IN

SOLENNI PRAEMIORUM DISTRIBUTIONE SEMINARII LEODIENSIS

SECTIONIS PRIORIS,

HABITA

IN ABBATIA RODENSI,

DIE 18ª AUG. 1842

OBTIGIT

Litterarum Hebraïcarum

et Chaldaicarum in cursu

Phil. Superiori præmium

J. J. Faschamps,

ex Bolland.

J. A. Henrotay
prof.

Schryen
Sem. Rect.

Fafchamps,
1842.

ANTI-FEBRONIUS.

FEBRONIUS ABBREVIATUS.

Imprimatur

Mechliniæ, Martii 1829, *J. FORGEUR, Vic. Gen.*

ANTI-FEBRONIUS.

FEBRONIUS ABBREVIATUS

CUM NOTIS, ADVERSUS NEOTERICOS THEOLOGOS ET CANONISTAS, ETC.;

AUCTORE F. A. ZACCARIA,

SOCIETATIS JESU.

NOVA EDITIO, EMENDATA ET VITA AUCTORIS AUCTA.

TOMUS I.



BRUXELLIS,

APUD X. RENAUDIÈRE, EDITOREM.

LOVANII,

TYPIS VANLINTHOUT ET VANDENZANDE.

MDCCCXXIX.

29190

DE

FRANC. ANT. ZACCARIA.

Franciscus Antonius ZACCARIA honestis natalibus clarus, doctrinæ ingeniique præstantiâ clarior, eorumdemque monumentis clarissimus, primos inter sæculi decimi octavi scriptores venerandus, ex Mediolanensi Ducatu sub annum 1712 oriundus exstitit.

Adolescens Societati Jesu nomen dedit : in ea totum se permittere studiis, iisque semper vacare. Acre et fervidum ejus ingenium, naturæ magis quam præceptorum ductu, omnia ferme scientiarum genera penitùs comprehendere valuit. Hinc historiæ, philologiæ et rei antiquariæ peritissimus, hinc theologus verè doctus evasit. Hasce dotes egregias vir eximius dirigebat continuò ad majorem Dei gloriam, ad proximorum ædificationem et fructum, ad orthodoxæ fidei splendorem et augmentum, ad progressum proprium in virtute et pietate.

Postquam in Jesuitarum ordine, quem cum bonis omnibus exstinctum luxit, variis muneribus

fuisset perfunctus, Atestiorumque Principum Bibliothecæ (a morte celebratissimi *Muratorii*) præfecturam gessisset; tandem Romam, jubente et auspice Pio VI, venit. In ea urbe nobilium Ecclesiasticorum, qui in Clementino-Piana Academia degebant, in sacra historia Professor constitutus, vivere desiit anno 1796.

Hujusce Viri lucubrationum ac literariorum laborum notitiam, chronologico indice, quem describimus, exhibuit *Carolus Burdarius* presbyter Romanus.

CLASSIS PRIMA : SEU OPERA QUÆ FRANCISCUM ANTONIUM ZACCARIAM AUCTOREM HABENT.

§ I.

Opera ejus nomine prænotata.

1. *De' santi Martiri Fedele, Carpoforo, Gratiniano e Felino libri due, a' quali un terzo si è aggiunto dell' antica Badia detta de' SS. Gratiniano e Felino in Arona.* — Mediolani apud Franciscum Malatestam, 1750, in-4°.

2. *Bibliotheca Pistoriensis descripta, inque duos libros tributa, quorum prior MSS. trium,*

præcipuarumque Pistoriensium Bibliothecarum codices, posterior Pistorienses scriptores complectitur. — Augustæ Taurinorum, 1752, in-fol.

3. *Excursus literarii per Italiam ab anno* 1742 *ad* 1752. — Venetiis apud Remondinium, 1754, in-4°. Hoc volumen, in quo monumenta plura occurrunt, innumeris pænè mendis scatet, neque necessariis, quos auctor paraverat, indicibus instructum prodiit.

4. *Dissertatio ad Alphonsi de Ligorio Moralem Theologiam prolegomena de casuisticæ Theologiæ originibus, locis, atque præstantia.* — Anno 1757, præmissa est illa Dissertatio eidem Theologiæ in-fol. editæ Bassani (non Romæ uti mendax titulus præ se fert).

5. *Conspectus novæ S. Isidori Hispalensis operum editionis.* — Venetiis ex typographio Remondiniano, 1758, in-4°.

6. *Iter literarium per Italiam ab anno* 1753 *ad* 1757. — Venetiis, anno 1762, excudit Sebastianus Coleti, estque volumen secundum *Excursuum literariorum*, quod novo hoc titulo prodiit, ne ulla inter typographos contentio oriretur.

7. *Dell' antichissima Badia di* Leno, *libri tre.* — Venetiis apud Petrum Marcuzzi, 1767, in-4°. maj.

8. Eodem anno 1767 Pisauri, ex Amantino typographio exiit opus duos in tomos in-4°. tributum inscriptumque : *Anti-Febronio, o sia Apologia polemico-storica del primato del Papa, contro la*

dannata opera di Giustino Febbronio, dello stato della Chiesa, e della legittima podestà del Romano Pontefice. Quod opus anno deinde 1770 auctius et quatuor in tomis in-8° comprehensum Cœsenæ Gregorius Biasini typographus recudit.

9. *Deca di Orazioni volgari.* — Cœsenæ apud eumdem, 1769, in-12.

10. *Storia polemica del celibato sacro da contrapporsi ad alcune detestabili opere uscite a questi tempi.* — Romæ apud Zempel, 1774. Joh. Chr. Dreysigius hanc historiam, anno 1781, a se Germanicè redditam, Bambergæ vulgavit.

11. *Dell' anno santo trattato, Opera divisa in quattro libri, Storico l'uno, l'altro Ceremoniale, il terzo Morale, l'ultimo Polemico.* — Tomi duo Romæ, 1775, in-8°.

12. *De S. Petri Primatu, Romanaque Ecclesia ab eo condita, atque Episcopi jure administrata, adversus novissimum librum Londinensibus typis, ut titulus mentitur, excusum.* — Romæ, 1776, in-8° maj.

13. *Bibliotheca ritualis.* — Tria sunt volumina in-4°, Romæ, an. 1776, 1778 et 1781 edita. Tomus I agit de libris ad Sacros utriusque Ecclesiæ, Orientalis et Occidentalis, ritus pertinentibus; tomus vero II de librorum ritualium explanatoribus; tomus III, seu tomi II pars altera, supplementa continet, præmisso Maldonati inedito de Cæremoniis tractatu, cui præter annotationes accedit gemina editoris dissertatio.

14. *Storia polemica delle Proibizioni de' Libri.* — Romæ, 1777, in-4°.

15. *De triumphali Pii VI, P. M. reditu ad ædes Quirinales epistola.* — Faventiæ, 1779, in-4°, et Romæ, in-8°.

16. *De ejusdem P. M. a paludibus Pomptinis reditu, inscriptiones tres gratulatoriæ.* — Romæ, 1780, in-folio palanti.

17. *Dissertazioni varie Italiane a Storia Ecclesiastica appartenenti.* — Romæ, 1780, tomi duo in-8°.

18. *Congressi letterarj sulla controversia tra li Sigg. di Camerino, e di Macerata.* — Anconæ, 1780, in-8°.

19. *Dissertationum Latinarum ad Historiam Ecclesiasticam pertinentium* tomi duo in-4°, Fulginei, 1781.

20. Præter hæc exstant ab auctore nostro conscripta opuscula, tum in opere P. Richa inscripto *Chiese Fiorentine ;* tum in Calogerana opusculorum Synagoge; tum in Symbolis Gorianis Decadis Florentinæ : pleraque tamen recusa fuerunt in operibus supra num. 19, 18, 3 et 2 designatis.

§ II.

Opera anonyma , aut pseudonyma.

1. *Lettere al Signor Antonio Lampridio* (cel. Muratori) *intorno al suo libro nuovamente pubblicato : de superstitione vitanda etc.* — Panhormi, 1741 , in-4° ; et iterum 1742 Lucæ , eodem Panhormi nomine retento. Quoniam vero Lampridius tres hasce epistolas omni studio refellere conatus fuerat, totidem epistolas Lampridianæ confutationi Zaccaria opposuerat ; quas tamen, quòd nimium aculeatæ visæ sint , supprimere maluit.

2. *Lettere di Atromo Traseomaco Calabrese sul libro* de eruditione Apostolorum *di un tal Giovanni Lami dottor da Santa Croce in Toscana.* —Venetiis, 1741, in-8°. Incredibile dictu est quantum bilis in has epistolas Lamius evomuerit. Novam igitur earum editionem quàm emendatissimam Zaccaria paraverat cum satis prolixa præfatione , ac pluribus annotationibus , ut Lamianis querelis , convitiis , calumniis occurreret; sed et ab hac curanda optimo consilio abstinuit , ne christiana caritas gravius læderetur.

3. *Observazioni sopra i primi cinque capitoli dell'*Esame Theologico (P. Fr. Danielis Concinæ) *del libro* (P. Nicolai Ghezzii) *intitolato :* Saggio de' supplementi , etc. — Bastiæ , 1745 , in-4°.

4. *Storia Letteraria d'Italia.* — Venetiis et Mutinæ, 1750-1759, tom. XIV in-8°.

5. *Difesa della Storia Letteraria, e del suo Autore contro le lettere Theologico-Morali di certo P. Eusebio Eraniste, ed altre lettere di un mascherato Rambaldo Norimene.* — Mutinæ (Venetiis), 1755, in-8°.

6. *Saggio critico della corrente Letteratura straniera.* — tomi duo, item tomi tertii pars I. et II, Mutinæ (Venetiis), 1756-1758, in-8°.

7. *Biblioteca di varia Letteratura straniera antica, e moderna, a continuazione del Saggio critico.* — Mutinæ, 1761, in-12-maj.

8. *Annali letterarj d'Italia.* — Tomi tres, Mutinæ (Venetiis) apud Zattam, 1762-1763. Quartus quoque tomus paratus fuerat, sed typis datus non fuit.

9. *Biblioteca antica, e moderna di Storia Letteraria, ossia Giornale critico, ed instruttivo de libri, che a letteraria Storia appartengono, secondo l'ordine delle materie accuramente disposti.* — Tomi tres in-4°, singuli in duas partes tributi, Pisauri, 1766-1768. Intermissum hocce utilissimum opus, quum auctor celeberrimæ Atestiæ Bibliothecæ præfecturam *Antifebronii* sui causâ dimisit.

10. *Instituzione antiquario-lapidaria, o sia introduzione allo studio delle antiche latine Inscrizioni.* — Romæ, 1770, in-8°.

11. *Antifebronius Vindicatus.* — Tomi IV,

Cœsenæ, 1771, in-8°, it. Francofurti, 1772. Næ illi ridiculi sunt, qui hoc opere latinam Italici Antifebronii versionem habere putant. Aliud hocce omninò opus est doctissimorum virorum calculis comprobatum.

12. *Istituzione Antiquario-Numismatica, o sia introduzione allo studio delle antiche medaglie.* Romæ, 1772, in-8°.

13. *Antidota contro i libri prodotti, o da prodursi dal Sign. Avvocato Cammillo Blasi intorno la divozione al sacro Cuore di Gesù con osservazioni, e monumenti.* — Florentiæ, 1773, in-8°.

14. *In tertium Justini Febronii tomum animadversiones romano-catholicæ, tribus epistolis comprehensæ. Accedit appendicis instar S. Cypriani Episcopi Carthaginensis et Martyris liber* de Unitate Ecclesiæ *cum annotationibus Illustriss. Massiliensis Episcopi, nunc primùm ex Gallico idiomate latinè redditis, aliisque Editoris adversus* Febronium, Boehmerum, *et* Schubertum *recentissimum inter protestantes Pontificii primatus oppugnatorem.* — Romæ, 1774, in-8°.

15. *La vera guida per chi Viaggia in Italia.* — Romæ, 1775, in 12.

16. *Bibliotheca selecta hist. ecclesiasticæ tum veteris tum novi Testamenti.* — Venetiis, 1776, in-8°. Excerpta hæc fuit ex nova Natalis Alexandri editione, de qua infrà num. 17 pag. XXI.

17. *Osservazioni Istorico-Geographico-Diplomatiche sopra i principali monumenti, su'quali*

si appoggia la lite innanzi la sagra Rota della Chiesa Arcivescovile di Ravenna co' possessori enfiteutici e liberi del Plebato di Porto Maggiore, etc. — Romæ, 1777.

18. *Nuova conferma delle osservazioni.* — Id. ibid. in-fol.

19. *Nuova raccolta di* 39 *documenti communicati dalla mensa avversaria.* — Id. ibid. in-fol.

20. *Lettere critiche contro l'Autore di certo Purgatorio politico.* — Senis, 1779 in-8°. In Romanis Ephemeridibus, quæ eas miris laudibus extollunt, doctissimo cuidam viro e Dominicana Familia primùm hæ Literæ falso tributæ fuerant.

21. *Nuovo Effemerologio universale con due discorsi, uno previo sul Calendario, l'altro posto in fine sulle Feste dell'anno.* — Romæ, 1780, in-12.

22. *Esami due Storico-Critici di varj documenti, su'quali si appoggia la famosa controversia di dominio della Mensa Arcivescovile di Ravenna* etc. — Romæ, 1781, in-fol.

23. *Difesa di treSommi Pontefici, Benedetto XIII, Benedetto XIV, e Clemente XIII, e del Concilio Romano tenuto nel* 1725, *diretta al P. F. Viatore di Coccaglio, perche si ravegga.* — Ravennæ (Venetiis), 1782; in hoc opere auctor, fictitio *Pistafilo romano* nomine assumpto, refellit Patrem Viatore, ex ordine Capuccinorum, qui janseniano dente Benedictum XIII, Benedictum XIV, et Clementem XIII, Romanumque Concilium anni 1725, carpserat.

24. *De doctis catholicis viris qui Justinum Febronium in scriptis suis retractandis ab anno* 1580, *laudabili exemplo præiverunt, liber singularis.* — Romæ, 1781, in-8°. Latet hic Zaccaria sub nomine *Theotimi Eupistini.*

Exstant præterea nonnulla auctoris opuscula, fictitiis nominibus prænotata, in ea opusculorum pro societate Jesu apologeticorum Sylloge, quam anno 1760 in-8°. Antonius Zatta Venetiis evulgare cœpit. Sunt autem præcipua :

25. *Lettere dell'Ab NN. Milanese ad un Prelato Romano apologetiche della C. di G. contro due libelli etc.* — Exstant tom. I et II cit. Syll.

26. *Converzationi di S. Pier di Arena, o sia ragionamenti sull'ortodossia' de Gesuiti etc.* — Ibid. tom. XII.

27. *Lettera del Portoghese Autore delle riflescioni sopra il Memoriale etc.* — Ibid. tom. XIII.

28. *Discorso delle persecuzioni della C. di G. tratto dalla vita di S. Ignazio, descritta dal P. Daniello Bartoli, con breve, e alcune importanti annotazioni di Liberio Candido.* — Ibid. tom. XVII.

CLASSIS SECUNDA : SEU OPERA ALIENA A FRANCISCO ANTONIO ZACCARIA EDITA, COLLECTA, ILLUSTRATA, AUT IN ALIAS LINGUAS VERSA.

§ I.

Ejusmodi opera, quæ editoris nomen præ se ferunt.

1. *Cremonensium Episcoporum series a Ferdinando Ughellio primum contexta, deinde a Nicolao Coleto aliquantulum aucta, nunc tandem restituta, emendata, pluribusqne ineditis documentis locupletata etc.* — Mediolani, 1749, in-4°.

2. *Theses historicæ, chronologicæ, criticæ, philologicæ ad vitam Constantini M. ab Antonio Maria Lupio, Flor. S. J. propositæ* (Panhormi, 1736), *cum annotationibns et appendice* Zaccariæ. — Exstant (1752) tom. IX. symbolar. Gorii Decad. Florent. p. 133-176.

3. *Dissertationi e lettere filologiche antiquarie del P.* Anton Maria Lupi *Fiorentino della C. di G. date per la prima volta in luce, adornate di annotazioni, e delle memorie ad esso spettanti.* — Arretii, 1753, in-8°. maj. Ejusdem auctoris dissertationes alias, atque has inter celeberrimam illam de christianis Baptisteriis apud Siculos, typis paratas habebat.

4. *Marmora Salonitana.* — Exstant tomo II, *Illyrici sacri* cl. P. Danielis Farlati S. J. in operis calce. Venetiis, 1753, in-fol. Consule *Hist. Lit. Italiæ*, Tom. IX. p. 409.

5. *Delle Masnade, e d'altri servi secondo l'uso de' Longobardi, ragionamento di Monsign.* Giusto Fontanini, *colle annotazioni del* P. Fr. Anton. Zaccaria. — Romæ, 1754, in-8°. Exstat. tom. IX. Symbolar. Gorii Decad. Rom. p. 127 - 199.

6. *Theologia moralis R. P.* Thomæ Tamburini etc. — Venetiis, 1755, in-fol. In hac editione præter indices, accedunt Zaccariæ uberrima prolegomena. Vide quæ de ea animadversa sunt in *Hist. litt. Italiæ* tom. XII. p. 330.

7. *Anecdotorum medii ævi maximam partem ex archivis Pistoriensibus collectio. Accedit series Episcoporum Pistoriensium etc.* — Augustæ Taurinorum, 1755, in-fol. Hanc seriem ex Ughellio et Coleto excerpserat, sed monumentis confirmaverat, eamque seorsum edere constituerat.

8. *Manuale legendis expeditius rerum romanarum scriptoribus perutile, ab anonymo S. J.* (fuit is Carolus Andrian) *an.* 1736 *editum, nunc emendatum, multisque in locis auctum, ac Bibliographia præsertim antiquaria locupletatum.* — Venetiis, 1757, in-12.

9. *R. P. Dominici Vivæ S. J. opera omnia theologico-moralia.* — Ferrariæ (Venetiis), 1757, tomi octo in-4°. Accedunt in hac editione luculentissimæ Zaccariæ animadversiones.

10. *Dionysii Petavii S. J. opus de theologicis dogmatibus, nunc primum septem voluminibus comprehensum* (secundum scilicet duas in partes, totidemque volumina tribuitur), *in meliorem ordinem redactum; auctoris ipsius vita, ac libris nunquam in hoc opere editis locupletatum... dissertationibus ac notis uberrimis illustratum.*—Venetiis, 1757, in-fol.

11. *Jus Canonicum... explicatum auctore R. P. Vito Pichler è S. J. etc.*— Pisauri (Venetiis), 1758, tomi duo in-fol. In hac editione Zaccariæ curâ accedunt utiles quædam annotationes atque vindiciæ.

12. *Theologia moralis ante hac breviter concinnata a R. P. Hermanno Busembaum S. J., deinde pluribus partibus aucta a R. P. Claudio La Croix, postremo vero multis locupletata etc.* — Ravennæ (Venetiis), 1761, tomi tres in-fol.

13. *Disciplina Populi Dei in Novo Testamento ex Scriptoribus sacris et profanis collecta a Claudio Fleury... nunc annotationibus ac variorum Dissertationibus illustrata.* — Venetiis, 1761, tomi duo in-4°. Deinde anno 1780 hujusce operis in lucem emisit editionem secundam, in tres tomos in-4°. distributam, Bibliographiâ selectâ auctorum, qui de rebus ad Populi christiani disciplinam pertinentibus egerunt, aliisque egregiis additamentis locupletatam.

14. *Laudensium Episcoporum series a Ferd. Ughellio primum contexta, deinde a Nic. Coleto*

paululum aucta... nunc tandem restituta et emendata, pluribusque nondum editis documentis locupletata etc. — Mediolani, 1763, in-4°.

15. Item. *Cremensium Episcorum series etc.* — Brixiæ, 1763, in-4°.

16. Item. *Auximatium Episcoporum series etc.* — Auximi, 1764, in-4°.

17. Item *Series Episcoporum Cœsenatium etc.* — Cœsenæ, 1779, in-fol.

18. *Raccolta di dissertazioni in Italiano o scritte, o tradotte dal francese sopra puncti di storia ecclesiastica.* — In-12, an. 1776.

19. *Lo stato presente, o sia la relazione della Corte di Roma, già pubblicata dal Cav. Lunadoro, ora ritoccata, accresciuta ed illustrata.* — Romæ, 1774, tomi duo in-12.

20. *Scritture contrarie del Card. Sforza Pallavicini, e del Ch. Mons. Luca Olstenio sulla questione nata a' tempi Alessandro di VII se al Romano Pontefice più convenga di abitare a S. Pietro, che in qualsivoglia altro luogo della Città, ora per la prima volta date a luce con qualche annotazione.* — Romæ, 1776.

§ II.

Anonyma, aut pseudonyma.

1. *La Divina Commedia di Dante Alighieri con una breve e sufficiente dichiarazione del senso*

letterale diversa in più luoghi da quella degli antichi comentatori (P. Pompeii Venturi Senensis S. J.) — Veronæ, 1749, in-8°.

2. *Ad R. P. Claudii La Croix S. J. Theologiam moralem... supplementum, sive accessiones, in quibus de locorum theologicorum in morali scientia usu plurima disputantur; P. De Champs questio facti animadversionibus aucta recuditur; S. C. Concilii resolutiones ab an.* 1700 *ad hunc annum* (1749) *ac Benedicti XIV constitutiones, aliaque permulta, vel ad emendandum, vel ad vindicandum La-Croixium adduntur.* — Bononiæ (Venetiis), 1749, in-fol. Idem supplementum dimidio ferè auctius ibidem prodiit 1753; tandem in ipsam La-Croixii Theologiam moralem suis aptè locis illatum fuit, unde opus de quo supra num. 12. Vide *Hist. lit. Italiæ*, tom. 1. p. 50. et tom. VIII. p. 306.

3. *Lettera al Sign. Molines detto Flechier dianzi Protestante ad un suo amico coll' abjura da lui fatta dell'eresia Calviniana.*—Lucæ, 1752, in-4°. Noster auctor eam ex gallico latinè vertit.

4. *Introduzione alla volgar poesia in due parte divisa dal. P. Giambattista Bisso Palermitano, seconda edizione accresciuta, e migliorata.*—Lucæ, 1755, in-12.

5. *Acta SS. Bollandiniana, apologeticis libris in unum volumen nunc primum contractis vindicata, seu supplementum apologeticum ad Acta Bollandiniana, SS. D. N. Papæ Benedicto XIV.*— Antverpiæ (Venetiis), 1755, in-fol.

6. *Medulla theologica ex Sacris Scripturis, Auctore Ludovico Abelly.* — Ferrariæ (Venetiis), 1757, tomi duo in-8°.

7. *Biblia Sacra vulgatæ editionis ... uberrimis prolegomenis dogmaticis et chronologicis illustrata.* — Venetiis, 1758, in-fol.

8. *R. P. Joh. Stephani Menochii Doctoris Theologi e S. J. Commentarii totius Sacræ Scripturæ etc., cum variis accessionibus.* — Venetiis, 1758, tomi tres in-fol.

9. *Uffizio della Settimana Santa colle Rubriche volgari, colla spiegazione di tutte le Cirimonie, cogli argumenti delle Pistole, de' Vangeli, e de' Salmi, e con brevi annotazioni, che ne dichiarano i sensi.* — Venetiis, 1758, in-8°. Vide Auctoris nostri *Bibliothecam ritualem*, tom. I. p. 134.

10. *R. P. Jac. Tirini. S. J. in universam sacram Scripturam commentarius.* — Venetiis, 1760, tomi tres in-fol.

11. *Episcopus institutus ... a Bartholomæo Gavanto etc.* — Ferrariæ (Venetiis) 1760, tomi duo in-4°.

12. *Dizionario Storico-portatile composto in francese dal sig. Ab. Ladvocat, etc.*—Neapoli 1760, apud Benedictum Gessari, tomi octo in-8°; et iterum Venetiis apud Remondinium.

13. *Thesaurus Theologicus.* — Venetiis, 1762, tomi tredecim in-4°. Meminerit Lector exstitisse aliquem, qui inconsulto, atque adeò inscio Auc-

tore, licere sibi credidit nonnulla addere opuscula, ab Auctoris consilio aliena, aut inutilia, aut minus probanda, aliqua etiam omninò rejicienda. Ne quis decipiatur, indicem auctorum in hoc *Thesauro* editorum consulat tomo XIII, et quos non ibi invenerit, sciat eos furtim illuc irrepsisse.

14. *Prælectiones Theologicæ ... quas in scholis Sorbonicis habuit Honoratus Tournely etc.* — Parisiis (Venetiis), 1765, tomi undecim in-4°. Locupletaverat hanc editionem Zaccaria quamplurimis additionibus ac notis; harum tamen aliquas ab illo, qui in *Thesaurum Theologicum* manus immisit, miserrimè resectas dolendum est : nec bonus ille satis animadvertit, promissas alio in tomo fuisse, quas a suis deinde locis sustulit.

15. *Apparatus omnigenæ eruditionis ad Theologiam et jus canonicum, editio secunda romana in novum ordinem redacta, castigata, ac duplo auctior.* — Romæ, 1773, in-12.

16. *Stimolo a' Fedeli per segnalarsi nella divozione de'due principi degli Apostoli, Pietro e Paolo, per mezzo di dieci considerazioni sopra la loro vita, virtu, e miracoli, proposto da un pio Religioso* (fuit is P. Franciscus Maria Galuzzi S. J.). *Edizione terza, riveduta, e in varj luoghi corretta.* — Romæ, 1776, in-12.

17. *R. P. Natalis Alexandri Ord. FF. Prædicatorum, Historia Ecclesiastica... Editio omnium novissima... Bibliotheca selecta cum veteris, tum*

novi Testamenti, aliquot præstantium Virorum Dissertationibus in singulos fere tomos illatis, novis insertis annotationibus, et Dictionario Histor. Eccles. ad nostra tempora perducto, locupletata — Venetiis, 1776, tomi decem in-fol. Bibliothecæ, quæ in titulo indicatur, pars prior duobus historiæ ecclesiasticæ veteris Testamenti præmittitur, posterior tomo X, seu Dictionario. Utraque vero pars seorsum in unum, ut supra innuitur, peculiare opus fuit contractum.

18. *Vico-Æquensium Episcoporum series a Ferdinando Ughellio primum contexta, deinde a Nic. Coleto aliquantulum aucta, nunc novis curis restituta et illustrata.* — Romæ, 1778, in-4°. Hoc opus, aliaque hìc supra num. 1, 7, 13, 14, 15 et 16, in § 1 designata, ad restituendum illustrandumque Episcoporum Vico-Æquensium, Cremonensium, Pistoriensium, Laudensium, Cremensium, Auximatium et Cœsenatium catalogum, indefesso labore Zaccaria juris publici fecerat, ut Italis suis animos adderet, ut cæterorum Italicorum Episcoporum seriem illustrare, ut Ughellii *Italiam Sacram* a plurimis, quæ in immenso opere vitari vix possint, mendis repurgare instituerent. Eo igitur consilio Ughelliani operis editionem, anno 1763 et sequentibus, Florentiæ dedit cl. Del. Riccio.

* * * * *

Sunt et alia insuper opera, ad utramque CLAS-

sem spectantia, maximè post annum 1782 edita, quorum non habemus notitiam. Zaccaria fermè omnium sui ævi in Italia literariarum molitionum exstitit socius : *Ephemeridibus ecclesiasticis Romanis* cum viris clarissimis *Cucagni* et *Marchetti* operam dedit, in *Joannis Dominici Mansi* nova et amplissima Sacr. Conciliorum collectione, quæ Florentiæ et Venetiis, 1757 – 1798, 31 vol. in-fol. prodiit, multum operæ ac laboris consumpsit. Præterea de quibusdam quæ Zaccaria molieba-tur operibus, videsis in *Calogeranæ opusculorum Synagoges* tomo XXX, p. 487. Epistolam ipsiusmet ad Illustriss. D. *Josephum March. Scarampum*, Viglevanensium dein Antistitem. Profectò labo-riosus Scriptor haud immeritò posset ipse vocari χαλκεντερος, quo olim nomine donatum novimus Originem.

PRÆFATIO OPERIS.

Justini Febronii JCti de statu Ecclesiæ, et legitima potestate Rom. Pontificis *liber singularis* universo orbi notissimus est, neque a prima sui editione diu ignorari potuit, utpote quem summo Pontifici, Regibus ac Principibus, Episcopis Ecclesiæ catholicæ, denique doctoribus theologiæ et juris canonici novo ausu, nec minori præfidentia inscripsit auctor.

Pronum erat, ut singuli, ad quos dirigebatur, opus pervolverent, et doctrinam vel consilia sibi proposita pro suo quivis munere ac potestate ponderarent. Vidit Rom. Pontifex, ab ignoto homine in suo jure primatus terminos sibi præscribi, ultra quos, ut ait auctor, quidquid suscipitur, sanctæ nostræ religioni exitiosum esse intelligitur. Nec minis parcit, divini judicis tribunal, et seculi potestates, ad tollendos sacri re-

giminis excessus, objiciendo. Nil dicam de genio curiæ et romanæ gentis effigie, quam sat fœde depingit.

Exin excitat *Regum* ac *Principum* attentionem et vigilantiam ad ponendos Pontificii primatus nimietati veros limites, dum ille a turba hominum, qui *exempti* vocantur, sustentatur, atque reipublicæ persæpe noxius est.

Provocantur episcopi, ut fortiter jura sua restaurent : dicitur, ex rigore et inflexibilitate aulæ romanæ potissimas eorum jacturas et damna nata fuisse, invisos Romanorum mores, et populorum vexationes tandem principes Germaniæ determinasse ad excutiendum jugum, et acceptandum Lutheri systema, iisdem caussis præcludi adhucdum illorum cum Ecclesia reunionem. Sat inverecunde episcopis exprobrat auctor pluralitatem episcopatuum, translationem ad fœcundiores cathedras, brevia eligibilitatis, retentionem prælaturarum inferiorum cum episcopatibus etc., quibus inescati non valerent latrare, Ecclesiæ et Dei caussam defendere.

Doctoribus theologiæ et juris canonici magno

supercilio objicit *absolutam in Ecclesia monarchiam*, unde tanquam corollaria deducit magnum numerum opinionum, assertionum, quæ revera non minus absurdæ, quam nimium excessivæ ac commentitiæ sunt.

Nemo dubitabat, hæc ad invidiam dicta fuisse, dum omnes absurdæ quæstiones, quæ dispersim in variis auctoribus rudioris adhuc seculi inveniuntur, non modo uni, alterive, sed integris scholis, et doctorum collegiis tanquam propriæ ac communes adscribuntur. Rari sunt, inter jurisperitos præcipue et moralistas, auctorum libri, qui ab omni labe immunes sunt. Offendit sæpe una sententia in auctore male, vel magis temere asserta : at si ex omnibus, qui prodierunt libris, harum assertionum indicem texere, et omnia simul in unum cumulum projicere velis, mox fœdissima doctrinarum voragoexsurget, quam si velut communem objicere audeas, de injuria sibi illata expostulabunt omnes ; neque enim, quod ab uno peccatum fuit, etiam alter luere debet. Omnes autem illæ opiniones, quas inibi recenset auctor, nunquam communes, et nostro ævo ita obsoletæ sunt ac derelictæ, ut vix unam a quopiam defendi videas, quin continuo con-

traditionibus et sibilis se expositum sentiat : tanti interest, rem genuina, qua patet, et non contorta, atque adversa facie præsentare.

Postremo theologis et canonistis despoticum monarchatum, ac doctrinam de infallibilitate Rom. Pontificis objectat Febronius, tanquam præcipua reuniendi Protestantes cum Ecclesia catholica obstacula, cum tamen hanc ultimam sententiam nullibi ut dogma fidei venditant, nec priorem, qualem ipse depingit, defendunt.

Stabat rei novitate et insolentia perculsus totus orbis, dum ignotus auctor summos in utraque republica magistratus, Papam, Episcopos, Reges, Principes, omnium sapientûm, doctorumque magisteria in sua vota publice interpellare ausus est. Catholici principes, dum ecclesiasticos et Romam potissimum hoc opere lacessitos cernerent, interim manum retrahentes quiete expectabant, quos animorum motus et sensa intempestivus hic partus procreaturus esset.

Attamen non siluit Roma, ubi liber Justini Febronii die 27 Februarii anno 1746, damnatus atque prohibitus fuit, quæ damnatio et prohibitio

in singulos postea auctoris libros renovata est : sequebatur censura Universitatis Coloniensis publice edita idibus Septembris anno 1765. Nec minus plures episcopi hunc librum pro suo eximio zelo stigmate notarunt, ejusque lectionem prohibuerunt.

His neutiquam fractus Febronius, qui jam in suo libro et censuras romanas contemnere, et vaticana fulmina non timenda esse docuit, censuræ romanæ Viennensem in Austria opponit, ubi ejus liber innocuus declaratus fuit, addens, eundem Venetiis, in Portugallia, Gallia et Belgio doctorum virorum manibus teri, multumque æstimari. At quantumcunque de censura Viennensi sibi glorietur, illa judicio Romano, episcoporum et integræ academiæ utique posthabenda erit, dum controversiæ in materia doctrinæ et religionis ad tribunal ecclesiasticum pertinent, illaque censura privatorum doctorum fuit, quibus fors, quod Febronius Romanis etc. censoribus objicit, æquo si non majori jure dicere liceat, eos proprio suo systemate ac opinionibus præventos fuisse. Certe haud leviter mirabantur alii, censores Viennenses non advertisse ad quædam principia, præprimis de subtractione obedientiæ et resistentia opponenda legitimo capiti Ecclesiæ,

quæ si valerent, non minus summis principibus et monarchis infesta esse possent.

Surrexerunt interim viri in Germania et Italia non minus graves, quam doctrina et eruditione præstantes, qui opus Febronii hinc inde vellicabant : quippe existimabant, eo ipso remedio, quo reunio Protestantium quæritur, et facilior horum reditus ad Ecclesiam speciose obtenditur, potius planissimam viam ad schismata sterni, et dum unio quæritur, ipsum unionis centrum deperdi. Postquam enim auctor Papam sub obtentu salvandi episcoporum jura omni jurisdictione exuit, hanc in tota Ecclesia ita reponit, ut infallibilitatem fidei et morum dogmata, atque in his ultimatum judicium tandem ad solum concilium generale deferat, nempe ad judicem, qui non, aut rarissime existit, sicque dissoluto, vel tenuiter tantum cohærente nexu unionis, episcopos potestatibus secularibus adglutinat : vere nonnemo Febronii systema duobus verbis expressit : *reformatio Anglicana.*

Ast respondit, quantumcunque et undique sat valide impetitus, mira animositate Febronius, sic tamen, ut continuis repetitionibus laboret, quin

et sæpius omnes justæ moderationis leges excedat. Offendunt enim haud parum honestas aures contumeliæ, improperia, sarcasmi, queis summum Pontificem despotam et Dominum dominantium tom. II, pag. 23, superbum, ambitiosum, auctorem et caussam schismatum tom. III, pag. 36 et alibi sæpe, romanam curiam et urbem sedem impietatis, luxuriæ, hypocrisis etc., denique ut plura alia taceam, celeberrimam Academiam Coloniensem complosam factionem, homines ignavos, adulatores etc. compellare non veretur. Non parcit aliis doctis viris, gravibusque auctoribus, que ishactenus eruditus orbis literarium honorem detulit. Ex adverso obstupuêre omnes, dum Gersonem, Bossuetum, Natalem Alexandrum, Fleurium sanctis Patribus proxime accenset, *quorum*, ut ait, *scriptis sancta Mater nostra Ecclesia tantum debet, ut nulli in hoc genere post sanctos Patres debeat amplius.* Tom. I. in præfat.

Habuit hic liber tamen patronos æque potentes atque illustres, de quibus in præfatione tom. II. auctor, vel quisquis alius suo nomine gloriatur, politicos nempe, et multos aularum ministros: his jungebatur ingens sciolorum et semi-doctorum turba. Nec mirum! eo præsertim tempore,

in quo aliunde dissidia inter ecclesiasticum et politicum ordinem gliscebant, et ambo non raro collidebantur. Dissimulandum quoque non est, in clero fuisse non paucos, qui vel eruditionis specie capti, vel propriis affectibus indulgentes, aut quia cernebant inibi quædam ad vota sua impugnari, ultra quam oportet, vel doctrinæ suæ penus ferebat, sapere volentes, auctori ambabus manibus adplaudebant.

Res plausus inter et laudes haud stetit; fructus protulit infelix hæc arbor undequaque pessimos. A multis jam annis coacervatim et plena libertate sparguntur schediasmata, libelli, quibus Papa, episcopi, omnisque clerus dirissime impetuntur, proscinduntur que : in his Romano Pontifici ea potestas et jura palam denegantur, quæ priora etiam Ecclesiæ secula, Patres, canones, concilia eidem adjudicarunt, vel in ipso venerata sunt; potestas, rectus usus, abusus, excessus, defectus, omnia miscentur, nihil distinguitur : Papa sic inter episcopos reponitur, ut sit numero quidem primus, potestate tamen æqualis, et divinus primatus jam non in aliquo jure, sed in mera politia et præcedentiæ cæremonia constituatur : onus vigilantiæ, adhortationis, cor-

reptionis eidem imponitur, attamen quidquid agat, in omnibus iterum episcopis et fidelium cætui usquequaque subjicitur, umbra honoris ipsi relicta, potestate subtracta.

Episcopi, ut aiunt, in primogenia sua jura revocantur, subordinatione tamen ad Petri primatum sublata, vel ea, quæ inter ideas imaginarias vix locum habet: quantum Romano Pontifici detrahitur, in episcopos æquo jure dispertitur, ne jurisdictio et potestates Ecclesiæ omnino contempta ac derelicta esse videatur; verum, dum episcopi his blandimentis trahuntur, nexus *unitatis*, quæ Ecclesiæ catholicæ character est, vix non dissolvitur, et centrum deperditur: tot ferme primatus assurgunt, quot episcopi numerantur; omnes omnia possunt, nullus, nisi ad speciem tantum, et politice subordinatur. Quod autem una ex parte pro exaltatione episcoporum, et eorum jurium impenditur, altera sub jugum potestatis secularis trahuntur, una manu solvuntur, altera ligantur, et alienæ potestatis servi fiunt.

Quid dicam de contemptu cleri, regularis præcipue? volvito infames hos libellos, et iniqua horum consilia: clericorum bona, loca, personæ

potestati seculari subduntur : regulares præprimis omnium peripsema sunt, deridentur impune, vexantur, exspoliantur, a sua vocatione, statu, bonis, juribus deturbantur, non honori, famæ personarum, aut integri alicujus ordinis, nec sanctitati locorum parcitur, vitium unius, alteriusve toti ordini imputatur. Infelix hominum genus! in his divitiæ invidiam excitant, in aliis paupertas disciplicet, omnibus otium, disciplinæ solutionem exprobrant. Ipsi omni juri subjiciuntur, sed nullum eis, nec naturale, gentium, divinum, humanum patrocinatur, quasi vita monastica, quæ est apostolorum æmula, non jam a primis nascentis Ecclesiæ fidelibus, posthac ex Thebaide et Ægypto, a sanctissimis quoque vel legislatoribus vel restauratoribus, sed ex orco suum ortum haberet.

Sed *opes* unde illis advenerunt? a pietate majorum, qui eas non in luxum et luxuriam profuderunt, sed ad Dei cultum impenderunt : statui tunc nihil detractum videbatur, quando tot ex statu hominibus, sibi invicem succedentibus in secula usque pro sua sustentatione provisum esse censebatur. Si per parsimoniam auxerunt, an non jure possident? utique jus naturæ suum

cuique et tribuit, et conservat. Si sunt, qui ditescunt per fraudes et rapinam, si bona sua dilapidant, ut prodigus, talibus per me auferte.

Pauperes sunt? hoc ipso, quod monachis opes inviderent laici, fuêre medio ævo etc. alii sanctissimi ordinum institutores, qui novellas suas plantationes in stricta paupertate vivere voluerunt : sive ergo pauperes, sive divites sint, eos odio habet mundus, quia de mundo non sunt.

Otium exprobrant? si sancta meditari, legere, orare, psallere, divina peragere otium est, de hoc etiam quamplurimos sanctos a primis usque seculis accuses, necesse est, et cœlum evacuabis. Mirum! otium vocant, et totus mundus, quin et otiosissimi in eo homines ab isto otio tantum abhorrent.

Disciplinam ubivis solutam esse contra veritatem prætenditur : in monasteriis Germaniæ non paucis accuratius observavi, disciplinam optime vigere, in quibus autem non viget, reformentur, si exemptiones, privilegia ruentis disciplinæ caussa sint, tollantur, non omnia sus deque vertantur, crimen unius vel paucorum toti or-

dini non imputetur : quod si jugum, cui se sponte addixerunt, portare nolint, si Ecclesiæ, statui aut ipsi ordini inutiles, quin et nocivi sint, tunc de medio tollantur.

Equidem ego de numero eorum non sum, qui monachorum patrocinium suscipiam; quis enim eos amplius defendat, cui soli hominum generi nulla, sanctissima quamvis jura suffragantur, nec contra odium, invidiam, detractiones, calumnias, direptiones defendere valent ?

Taceo dein, modo omnem disciplinam ecclesiasticam, loca, bona, personas potestati seculari ita substerni, ut in has et in illa Papa episcopi et prælati Ecclesiæ sine ista vel nihil omnino, vel non nisi precario valeant. Tribunal seculi in Ecclesia erigitur, unde jam non ut olim leges subsidiariæ, atque rogatæ (quod tutorum ac defensorum est) sed propria auctoritate ac principali in ipsam dimanant, quasi totus ignoraret mundus, apostolos, Pontifices, episcopos per prima tria secula, et posthac continua traditione, absque interventu potestatis civilis disciplinam, ecclesias ordinasse, propria auctoritate canones, statuta circa bona, loca, personas sacras, quin

et ipsos monachos edidisse, disposuisse. In concilio Chalcedonensi, ubi potissimi circa disciplinam canones de depositione Flaviani atque Dioscori, de clericis, monachis, sacratis Deo virginibus, monasteriis in diversiora secularium non convertendis, de foro et caussis privatis episcoporum, clericorum etc. sunt editi, dum judices imperiales rogarent, utrum Patres res episcoporum ex sacris canonibus, vel legibus pragmaticis decidere vellent, clamavit sancta synodus : *contra canones nihil pragmaticum valeat, canones Patrum teneant.* Contra hæc omnia nihil valent inanes glossæ, violentæ interpretationes, ineptiæque indoctæ, quippe nimium clara ac certa sunt. Dele prius sacras paginas, apostolorum acta et scripta, tolle prima tria secula, traditionem, historiam, documenta, canones veteris Ecclesiæ, et tum talia persuadere audebis; verum, quisque perspiciet, se non amplius ad veterem et primævum Ecclesiæ statum revocari, sed novum omnino superstrui.

Talibus argumentis, quæ hactenus dixi, hodie omnia folia implentur, exigua sunt, ut facilius et copiosius emantur, lingua vernacula eduntur, ut plebs infima quoque veneno imbuatur. Nulla

honestatis, modestiæ, debitæ reverentiæ aut christianæ charitatis ratio habetur. Abusus, scandala, et necessariam inde reformationem obtendunt, sed idem a multis seculis, si a Montanistis et Donatistis incipias, obtendebant hæretici, et tamen sua reformatione semper deformarunt Ecclesiam, seque ipsos ab ea absciderunt. Bonum status prætexitur? at num bonum status cum bono Ecclesiæ stare non poterit? stetit per plura secula absque diminutione potestas ecclesiastica firmiter in Rom. Pontifice, episcopis, conciliis, etiam tum quando status civilis maxime florebat. Cur hodie stare non possit?

Facile ad hoc respondent politici : principia status, aient, mutata sunt; antehac bonum Ecclesiæ, uti tunc ferebat, cum bono status politici facile combinari poterit, modo amplius non potest. Profecto in hoc jamjam totius rei cardo vertitur : novimus, Puffendorfium jam prælusisse, qui statum in statu admittere noluit : hodie recentiori philosophia exculti pragmatici rempublicam jam non Christianam, sed Platonicam sibi effingentes, talem status ideam tenent, quæ ab omni (nisi fors naturalem excipias) religione præscindit; postquam autem principia semel ar-

repta ac stabilita sunt, ut hæc firma permaneant, atque suum effectum et finem certius sortiantur, necesse est, ut qui gubernaculum status tenet, omnia possit, et nihil non possit. Obstet igitur huic status philosophiæ religio aut potestas Ecclesiæ, quæ in hac status idea non comprehenditur, quocunque modo aut via cedere debebit, ne principia semel stabilita, ac status ipse evertantur. Vides hinc fundamentalem rationem, ob quam Ecclesia hodie *serva* fiat, et jamjam religio statui subesse cogatur. Vides etiam, in Ecclesiam Dei prima iterum reverti tempora, ubi philosophi Ethnici Apollonius Thyanæus, Euphrates, Demetrius Cynicus, Musonius, ejusque gener Artemidorus, Damis Pythagoræus, Dio, Lucianus Epicureus aliique novellum christianorum gregem ore, calamo vehementer oppugnarunt, quando hodierna philosophia pariter inimica est Ecclesiæ, et si singula Ecclesiæ secula suas hæreses tulerunt, moderni seculi hæresin recte *philosophiam* dixeris. Scripsit seculo V, S. Gelasius I. P. in commonitor. ad Faust. contra fautores Acacii, qui Imperatoris favore se defendebant : *Si quantum ad religionem pertinet, nonnisi apostolicæ sedi juxta canones debetur totius summa judicii : si quantum ad se-*

culi potestatem, illa a Pontificibus, et præcipue a beati Petri vicario debet agnoscere, quæ divina sunt, non ipsa eadem judicare; nec sibi hoc quisquam potentissimus seculi, qui tamen christianus est, vindicare præsumit, nisi religionem forsitan persequens. Agebatur autem ibi de excommunicatione et absolutione Acacii episcopi Constantinopolitani. Talia principia tunc palam tenuit, sibique imperterrite vindicavit Ecclesia, neque cum bono status pugnare tunc videbantur.

Porro his omnibus, quibus Dei Ecclesia modo impetitur, oppressionibus, quanquam fundamentum non posuit, attamen modum, viamque præscripsit Febronius, quatenus illa principia status ac philosophiæ facilius et speciosiori sub prætextu in effectum deducantur. In dictis supra schediasmatis atque libellis famosis vix argumentum, de quo tractant, invenies, quod non in opere Febroniano similibus rationibus defenditur, oppugnaturve, quod si totum confutando oppresseris, etiam illi fundamento carebunt. Accedit, idem fere fatum huic operi, quod Isidori decretalibus evenisse, ut sicut hæ in id tempus inciderent, quo disciplina in Ecclesia longe aliis

ex caussis necessario mutata fuit, ita illud tum publicam lucem aspexit, quando principia status variationem subiêre; equidem disciplina in-et ab Ecclesia mutari potuit, quia variabilis est: at principia status catholici cum detrimento religionis mutari non possunt, nisi et hæc mutari aut abrogari velint. Fuerunt utique egregii Viri, qui Febronium strenue refutarunt, et ad incitas usque redegerunt; his quod addam (sincere fateor) non habeo, quin et huic meo qualicunque labori persæpe duces atque magistros fore, lubens concedo; alia tamen laborem hunc subeundi, mihi insedit ratio. Liber Febronii manibus plurimorum teritur: ejus argumenta ad cœlum usque extolluntur, opiniones avide imbibuntur, et jamjam in praxin deduci a multis diu exoptabantur, modo deducta fuisse lætantur.

Ex adverso refutatores Febronii in paucorum manibus hærent, tum quia præcipui eorum, utpote Itali, in terris nostris admodum rari sunt, tum quia fusiori stylo, et per ambages sæpe rem tractant, quæ refutandi methodus delicato huic seculo parum arridet, minus ea delectantur, qui jam tota mente sua Febroniani sunt. Accedit, multos tunc ea nondum vidisse, quæ modo videmus, manibusque palpamus.

Existimo etiam, multum ad confutandum aliquem librum referre, ut non tantum argumenta et assertiones, quibus refellendis adversarius se occupat, sed integer sensus et verba auctoris in medium proferantur, ut lector non tam ab adversario præveniatur, quam ipse inter caussam et caussam judicare possit, qua ratione ad audienda utriusque partis momenta facilius inclinatur; quippe hoc ævo nemo lectione alicujus libri instrui cupit, sed quivis censorem ac judicem agit. Dein necesse est, ut res quam brevissime absolvatur, ne lectores tædio afficiantur.

Febronium igitur sisto, sed abbreviatum. *Notas* addo, quæ tot responsiones sunt aut refutationes Febronii, quem presso pede semper sequor. Habent Febroniani suum Febronium, habent hi et alii ejusdem refutationem, quam pariter, quantum gravitas materiæ, aut veritatis indagatio patitur, in compendium contraxi.

Quæret quispiam (nam critico huic seculo etiam pro quavis vocula ratio reddenda est) quare refutationes meas *notas* compellaverim, cum sint ipso textu sæpe prolixiores? Respondeo, non esse notas decoratorias vel explanatorias, quas textu

breviores esse convenit, sed esse notas refutatorias, vel si mavis, criticas, quæ non cum textu, sed cum materia, de qua tractatur, proportionem habere debent, et ideo sæpe prolixiores esse.

Scio interim, quid mihi hodierni reponant scioli, et novi seculi scriptores : *antiqua hæc sunt,* aient, *sæpiusque recocta, moderno gustui amplius non quadrant.* Respondeo : quoties eadem objectio reperitur, sufficit, et optime quadrat eadem responsio, quamdiu hæc nullo contrario argumento convincenter eliditur : contra eundem morbum semper idem antidotum propinatur, et errori aut falsitati eadem veritas opponitur. Attamen in notis meis vetera et nova leges, fors etiam talia, quæ alibi non legeris : lectori æqualiter et argumenta Febronii, et contraria responsio oculis subjiciuntur, solum quæritur, utrane pondere prævaleant? si gustui non sapiant, hic vel nimium delicatus, vel parum sanus est.

Monarchatum Papæ defendo, non despoticum, non dominatum in Ecclesia, non talem, qualem Febronius et adversarii fingunt, sed certos intra limites coarctatum, qualem sacræ paginæ, et traditio nobis ostendunt.

Quæstionem, *utrum concilium sit supra Papam*, vel e contra *Papa supra concilium generale?* ad inutiles disceptationes rejicio : utraque propositio aut falsa idea de concilio aut æquivocatione laborat. Papa non est supra- nec infra- sed in- et cum concilio generali, quia sine præcipua parte Ecclesiæ, sine capite tota Ecclesia et concilium *generale* nec est, nec intelligi potest : plus non probant ea omnia argumenta, quæ pro auctoritate conciliorum generalium adducuntur. Nihilominus Papa est supra concilium quodcunque maximum, quod Pontifici vel non fuit unitum, vel in quo capitis auctoritas non intercessit : idipsum demonstrant vicissim ea momenta, quibus Rom. Pontificis auctoritas supra concilia propugnatur. Hoc sensu dixit S. Gelasius I. P. epist. contra fautores Acacii, *quod firmavit in synodo sedes apostolica, hoc robur obtinuit, quod refutavit, habere non potuit firmitatem, et sola rescindit, quod præter ordinem congregatio synodica putaverit usurpandum.*

Infallibilitatem Rom. Pontificis extra concilium in controversiis fidei ac morum sustineo, utique non absque *consensu Ecclesiæ*, attamen non *expresso* nec *futuro*, quia uterque impossibilis

foret, dum prior, eo quod diutius exspectari deberet, celerius medendo malo non conveniret, posterior autem insuperabili difficultati obnoxius est, dum omnium vel plurimorum in orbe episcoporum consensus vix aut nunquam certo explorari vel innotescere posset : igitur consensu *tacito* atque *præsenti*. Est autem semper præsens, quia Pontifex nihil definit, nisi prius consultis et consentientibus suo concilio domestico, Ecclesia Romana, episcopis illius regni et provinciæ, ubi quæstio ac controversia agitatur, vel orta fuit, reliquorum autem episcoporum consensus, ad quos quæstio vel non attinet, vel non pervenit, jam certo adesse præsumitur : hujus ratio sufficiens et certa est nexus communionis cum sede apostolica in fide atque doctrina, vi cujus in his eidem consentiunt reliqui episcopi, et quia e contrario nullam caussam habent dissentiendi; hinc sequitur, hunc consensum respectu priorum esse expressum, respectu reliquorum tacitum atque prudenter et juste præsumptum, ideoque hoc ipso præsentem; quo igitur sensu non *solus* Pontifex, sed hic *cum Ecclesia* sibi adhærente et consentiente definit. Hæc fusius tractantur c. 5 et 6 in not.

Huic interpretationi nec minimum obstat, quin

potius cum ea plane concordat Gallorum declaratio, quam die 19 Martii anno 1682 edidit clerus Gallicanus proposit. IV. *In fidei quæstionibus præcipuas summi Pontificis partes, ejusque decreta ad omnes et singulas ecclesias pertinere, nec tamen irreformabile esse judicium, nisi Ecclesiæ consensus accesserit.* Satis indeterminate loquitur clerus Gallicanus : dicit, summi Pontificis *præcipuas esse partes*, petit *consensum Ecclesiæ :* attamen non explicat, quænam sint illæ *præcipuæ partes*, qualis *consensus*, tacitus vel expressus, præsens atque præsumptus vel futurus? In decidendis quæstionibus *præcipua pars* est definire, decernere : in nostra sententia definit, decernit Pontifex : non excludimus, sed addimus *consensum Ecclesiæ* partim expressum, partim tacitum, sed tamen juste præsumptum, ac moraliter præsentem.

Equidem nos in quatuor articulos declarationis cleri Gallicani alicubi nostras animadversiones in notis proferimus, nec omnibus scriptoribus Gallis assentimur; idcirco tamen nihil honori, reverentiæ Ecclesiæ Gallicanæ, quæ eruditione, zelo, doctrina, disciplina aliis multum præstat, detractum esse volumus : nos hìc non quærimus,

quid privati doctores, scriptores, episcopi, clerici hinc inde in Gallia senserint, aut modo sentiant, sed toti Ecclesiæ Gallicanæ assurgimus, omnique reverentia complectimur: dogmata Gallicana (Ecclesiæ intelligo; nam quorumvis scriptorum, ministrorum, politicorum aut secularis potestatis placita nobis canones non sunt) haud refugimus, sed amplectimur, quando Febronium et adversarios cum Ecclesia Gallicana non consentiri, haud semel demonstravimus, de qua tamen falso et in vanum sibi gloriantur.

Me Isidorianum esse objicient alii. Ast omnino falluntur. Studio genuina certaque testimonia collegi, ut plurimum Isidori decretalibus anteriora, et si posteriora, tunc eorum auctorum ac talia, quæ nemini suspecta esse possunt: traditionem, Patres, concilia, non Isidorum secutus sum. De his me judicet lector. E contra, Febronius non semel, dum genuina et certiora testimonia ei non suppetebant, spurias merces in medium profert, in quo alios judicat, seipsum condemnans.

Præjudiciis me teneri ulterius insimulabunt. Sed argumenta mea ponderent adversarii, videantque, utrum præjudicia sint? illa prius sol-

vant, non deridendo, contemnendo, æquivocationibus, vanis glossis, interpretationibus verum sensum invertendo, alienum substituendo, et si hæc nihil proficiant, accusando, criminando, calumniando, prout egit Febronius. Hic equidem quæcunque ad respondendum apta esse videbantur, jam omnia corrasit, omnium systemata et libros exhausit; hisce iterum respondimus. Quod si ergo nostra responsa non ex integro evacuent, adversarii vel nova et firmiora adferant argumenta (nam repetita atque recocta respuimus) responsum amplius non feremus, quin potius ipsos *de præjudiciis* reos agimus, qui sua systemata, opiniones, argumenta jamjam pro certis venditant, quin oppositis rationibus satisfacere, eas enervare, aut suas satis firmare valeant. Studium atque favorem utriusque partis rursum abjiciat lector, æquam sententiam ferat, quis præjudiciorum magis reus sit?

Opponent cohortem *auctorum*, *scriptorum*, *canonistarum*, quin et *theologorum*, qui hodie, heri, vel nudiustertius nati sunt. His tamen nihil moveor; idipsum præjudicium est, quod in numero auctorum ponitur. Recentiores fere omnes uno ore, sed tamen unus ex alio loquuntur,

alios spernunt, sibi invicem applaudunt, laudantque, sed recenter nati nec traditionem facere, nec traditionis testes esse possunt, cum traditio sit vetus testimonium et consuetudo. Quandoque non veritatis studio, non impigre ruminando, non propria conscientia edocti, sed lege sibi data, quæ proponuntur, defendunt, quin et adulationis pruritu trahuntur. Quem talium moveat auctoritas? absint præjudicia, argutiæ, violentiæ, temerariæ elocutiones et judicia, quævis res et actio eo ordine ac facie, qua patet, non aliena, quam ignorantia vel invidia ei affingit, inspiciatur, minime suspecta auctoritas et testimonia veterum audiantur, nihil temere innovetur; nam quidquid quovis modo ad religionem pertinet, semper periculosum est innovare, id Ethnicis jam certum erat, atque Eusebius philosophus apud Stobeum, et Isocrates apud Nicoclen gravissime monuerunt : *in his, quæ ad Deorum cultum pertinent, ita facito, quemadmodum est a majoribus præceptum; novitatem semper exhorruerunt sapientes.*

Tandem dum adversarii non habent, quod amplius cum honore objiciant, ad evitandam convictionis suæ confessionem, argumento, ut ita dicam, Thrasonico sæpe utuntur, de pedan-

tismo, fanatismo, enthusiasmo, atra bili, et quidquid stultitiæ est, sibi adversantes arguunt. Perpendat lector, utrum leviter, temere, cum vano supercilio (quod pedantum est) utrum solo imaginationis æstu impulsus, fictisque ideis plus æquo indulgens (quod de fanaticis dicitur) utrum irretento res imaginarias propugnandi zelo stimulatus (de quo enthusiastæ culpantur) meum systema, sententias, argumenta defendam? veritas quæritur: si hanc teneo, si argumentis eam evinco, tunc utique supercilium explicare, eandem cum ardore et zelo propugnare licebit? bilem interim medicis scrutandam relinquo.

Ad *consequentiarios* me ablegabis? invidiose hoc nomen ab iis excogitatum fuit, qui de veritate suæ doctrinæ desperant, sibi absque ulteriori indagine fidem haberi superbe et cum imperio postulant, aut suas fraudes, dolosque latere volunt. Docti hoc nomen non horrent, quia et principia et sequelas ruminant, soli indocti ad has non attendunt; tales autem esse, qui adversarios illo nomine compellant, comperimus. Modo consequentia legitime deducatur, quid habes, quod opponas? si talem doctrinam aut principia adferas, quæ malam aut falsam

sequelam post se trahunt, jam non alios, sed teipsum accusa.

Cæterum, si Febronii systema meas per notas penitus enervetur, nihil est, quod amplius desiderari possit, non enim singula verba et periodi enucleatim ut elidantur requiritur, sufficit totum systema funditus eversum fuisse, quod me per notas effecisse confido, plura, si necesse foret, addere paratus. Interim de omnibus absque partium studio eruditus judicet lector.

JUSTINI FEBRONII

JURISCONSULTI

CAPUT I.

DE EXTERIORI FORMA REGIMINIS, QUAM IN ECCLESIA SUA CHRISTUS DOMINUS INSTITUIT.

§ I.

De Methodo rite interpretandi textus S. Scripturæ ad hanc materiam pertinentes.

Theologiæ moderni nævi.

Pro statu Ecclesiæ, ejusque regimine dignoscendo Auctor duos ponit fontes, *Scripturam* et *Traditionem*. Ad interpretandam Scripturam ex Vincentio Lirinensi, jubet abesse dialectica ratiocinia, et umbratilem scholasticorum disputandi modum, sed sequendum esse sensum Patrum *universalem*, qui, si ex eorum scriptis liquido non constat, ex eorundem Patrum atque Ecclesiæ agendi ratione erui debet; ubi vero Patres ipsi inter se dissentiunt, *Antiquitatem novitati* proponendam esse. Inde sequitur traditionem esse necessariam; *usus* quique *constans et uniformis disciplina* plerumque certa sunt.

Exin de nævis Theologiæ scholasticæ atque differentia inter illam et Theologiam positivam

multum discurrit, illius originem et incrementa refert ex Lud. de Gendre, Tract. de mor. et consuetud. Gallorum. Lutherum, ut theologorum Scholas ignominiose traduceret, Theologiam Scholasticam definiisse, ait, *quæ a Parisiensium Sorbona mixtione quadam ex divinis eloquiis et philosophicis rationibus, tanquam ex Centaurorum genere, biformis disciplina conflata est.* Hanc absurdam methodum sectari, qui divinarum institutionum auctoritatem ad calculos dialecticos aut metaphysicos contrudunt, contra quos citat Tertull. de præscript. cap. 7. item Apostolum ad Coloss. 2. v. 8. *videte, ne quis vos decipiat per philosophiam et inanem fallaciam, secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi, et non secundum Christum.* Et Ambrosium L. I. de fide, cap. 13. *credimus Piscatoribus, non Dialecticis.* Postquam autem hæc ex Gregorio Zallwein, et Melchiore Cano confirmaverat, admittit tamen argumentum, quod a ratione ducitur, non tamen tale, quod ex Aristotelis placitis, et tribus ejus formis status politici, non quod a majori aut simili, nec quod a naturalibus deducitur.

Pari modo a Theologia removeri vult certas quasdam distinctiunculas in Philosophorum schola enatas, inter *mediate* et *immediate*, inter *vim directivam* et *coactivam*, *directe et indirecte.* Has ad subruendam magis veritatem, quam ad eam asserendam, et fere solum ad declinandam convictionis

confessionem inventas esse contendit, pugnas verborum esse, prætereaque nihil.

Demum acerbe dolet, esse inter Theologos docentes et Doctores, qui ex instituto profitentur principia Italica, eadem obtrudunt omnium nationum discipulis, in id veluti conducti, ut libertates et prærogativas regni vel patriæ supprimant, aut sensim ignorari et negligi faciant. Quærit dein anxie Febronius, an a talibus doctoribus instituti viri, aliquando utiliter servire possint in aulis et Episcoporum curiis? quales ex his scholis olim prodituri sint Theologi ad futurum forte concilium mittendi? quis horum audebit loqui de resuscitandis e pulvere decretis concilii Constant. et Basileensis? quis pro libertate Ecclesiæ Germanicæ? quis pro salute totius Ecclesiæ Catholicæ per reformationem Curiæ Romanæ procurandæ?

Displicet eidem, quod Juventus Germana olim frequentius ad universitatem Bononiensem missa fuerit, nihilque interesse ait, utrum Italia accedatur pro studiis, vel in Germania italicis principiis imbuantur Germani, indeque infert, Catholicorum potius in Germania academias emendandas esse. Præstitisset Ecclesiæ, Innocentium III. PP. nec tam juvenem electum fuisse, nec Bononiæ, imo nec Parisiis studuisse. Tandem quod de misera Theologiæ facie, idem de moderno Jure Canonico ex Benedicto Oberhauser deplorat.

NOTA.

Quandoquidem de dogmate aliquo Religionis, seu Doctrina Catholica, vel etiam statu Ecclesiæ sermo est, scripturam et traditionem præcipuos fontes esse, nemo Theologorum est, qui ignorat, atque in interpretanda scriptura dialectica ratiocinia abesse, et quoad fieri potest, communem consensum Patrum vel constantem Ecclesiæ sensum sequendum esse, sicque novitatem antiquitati cedere debere, non ex uno Vincentio Lirinensi omnes scimus. Distinguimus tamen inter dogmata et disciplinam, quæ mutari potest, et ubi sæpius antiquitas novitati cedere debet. Cogita solum canones pœnitentiales et disciplinam veterem Ecclesiæ circa pœnitentiam publicam etc. *Regula fidei*, ait Tertullianus L. de veland. virg. *una omnino est, sola immobilis et irreformabilis; hac lege fidei manente, cætera jam disciplinæ et conversationis admittunt novitatem correctionis.* Jam quod attinet eos S. Scripturæ textus, quibus ultramontani, ut ait Febronius, monarchicum Ecclesiæ regimen probant, et utrum hi eosdem in suam sententiam inepte interpretentur, quos idcirco *Sophistas verbosos* apellat, nondum est hujus loci definire. Prius hostis vincendus est, quam arroganter ei insultandum.

Neque utrum Theologia *positiva scholasticæ* sit præferenda? hic multum contendo. Hoc norunt omnes docti, utramque solum accidentaliter et

secundum methodum differre. Nævos autem, stylum incultum, multas quæstiones inutiles, frivolas in Theologiam Scholasticam irrepsisse non negamus, quod tamen vitio sæculorum et hominum imputare debemus, non indoli et naturæ ipsius Theologiæ, nunquid et aliis scientiis idem contigit? fors posteri docto huic, uti vocant, sæculo multa objicient, saltem in scientiis majorem profunditatem, quam elegantias, aliasque minutias desiderabunt. Abusus igitur corrigendi, non vero damnanda ipsa scientia, quamquam ab his nævis, ut plurimum, jam purgata est theologia scholastica. Noverit interim Febronius ex cit. Ludov. de Gendre, theologiam scholasticam in Gallia natam et excultam, atque in Sorbona civitate donatam fuisse, qui nobis doctrinam gallicanam toties objectat, laudatque. Equidem non miror, Lutherum theologiæ scholasticæ infensum fuisse; hoc tamen vituperio non caret, quod Febronius hujus ignominiosam definitionem modernis Theologis mox aptare audeat. Lutherus cum asseclis certe huic scientiæ non ideo infensus erat, quod inutilis aut mala esset, sed quia ope illius, et disputando se sæpius in angustias redactos videbant: notum est illud Lutheri: *tolle Thomam, et sustulisti Ecclesiam*, et illud Buceri: *tolle Thomam, et dissipabo Ecclesiam.* Pariter Franciscus Stancarus Anglus: « *plus valet unus Petrus Lom-* » *bardus, quam* 100 *Lutheri*, 200 *Melanchto-*

» *nes*, 300 *Bullingeri*, 400 *Petri Martyres*, *et* » 500 *Calvini*, *qui omnes si in mortario con-* » *tunderentur*, *non exprimeretur unica uncia* » *veræ theologiæ*. » Habeat hæc Febronius ex ore hæreticorum pro Theologia scholastica, qui contra eam Lutherum in auctoritatem assumit, et capiet, qua de causa et mente alicubi contra illam vociferentur. Ex adverso, SS. Patres si audiamus, ii non solum in exponenda Catholica doctrina, ratiocinatione et argumentis usi sunt, de quibus a Dyonisio Areopagita incipiendo, per singula omnino sæcula exempla proferre possemus, verum etiam aperte dialecticam ad stabilienda dogmata utilem esse dixerunt, atque laudarunt. Clemens Alex. L. I. Strom. *Opem fert dialectica*, *ne prosternamur ab hæresibus*, *quæ faciunt incursiones*. Basil. in cap. 2. Isai. *Dialectica instar muri est dogmatibus*, *quod ea non sinit facile decipi*, *et quorumlibet incursioni patere*. Aug. de Doctrin. Christ. c. 13. *Disputationis disciplina ad omnia genera quæstionum*, *quæ in Litteris sanctis sunt penetranda et dissolvenda*, *plurimum valet. Tantum ibi cavenda est libido rixandi*, *et puerilis quædam ostentatio decipiendi adversarium*. Legantur opera Patrum, præprimis Tertulliani, Ambrosii, Hieronymi etc. quos citat Febronius, quos omnes dialectica et omni philosophica disciplina insigniter imbutos fuisse constat, quin et in asserendis dogmatibus, ac præcipue in refellendis hæreticis argumentis et

ratiociniis e dialectica petitis usi sunt. Scire potuit et debuit hoc Febronius, qui ubique SS. Patres jactat. Dum autem alicubi Patres dialecticæ strepitum ab Ecclesia procul arceri volunt, contra eos potissimum agunt, qui e Platonis et Aristotelis philosophia tela depromserunt, quibus fidei doctrinam impugnarent, ac per fraudulentas sophismatum artes, et argutiarum laqueos, incautos et simplices circumvenêre, quique fidei dogmata ad leges dialecticæ expendebant, ac ratiociniis subesse voluerunt, unde natæ sunt hæreses Valentini, Marcionis, Manetis, Aetii, Eunomii etc. Contra abusum vel malum usum clamabant igitur aliqui Patres, dialectica et jugi ratiocinio ipsi utebantur, imo laudabant. Sic loquitur Tertullianus : sic intelligi debet Apostolus. Ambrosius vero aperte non de theologia, quæ est scientia, sed de fide loquitur, quæ utique non humanis nititur ratiociniis. Eadem mens et sensus est S. Leonis, et Hadriani PP. quos in suo Theodoro a Palude adhuc addit Febronius, quippe ultimus neutiquam contra theologiam, sed contra dialecticam disputationem insurgit. Neque Florianus Dalham citatus a Febronio ei favet, dum post relata in suo Theodoro a Palude verba cap. 1 pag. 343. mox sic prosequitur : « *non tamen id a me eo dictum existimet,* » *perinde atque dum cum perversis agendum est,* » *eorumque errores perstringendi, nullum esse* » *velim ratiocinio locum ; nulla enim seria trac-*

» *tatio, nulla disputatio, nulla falsi confutatio* » *fieri sine ratiocinio potest. — Quod si tamen* » *quis syllogismi modulos inferre voluerit, non* » *ei repugnabo, modo dicacitate non excedat, neve* » *negotium per solas formulas conficiendum pu-* » *tet.* » Idem Dalham postquam sibi objecerat præter alios cit. a Febronio textum Pauli ad Coloss. § 313. sic respondet : « *Sed in his et* » *ejusmodi locis scriptura intelligit rationem cor-* » *ruptam, et malitia ac passionibus philosopho-* » *rum, quorum effata passim pro naturali lumine* » *habebantur, deturbatam.* » Et revera Paulus utique vult, esse Episcopum potentem, exhortari in doctrina sana, et vaniloquos ac seductores, qui contradicunt, arguere. Denique idem Dalham § 314. sic finit : « *Eodem quoque in sensu* » *intelligendi sunt Patres, quibus primis Chris-* » *tianismi temporibus acris et perpetua erat contra* » *paganos philosophos colluctatio, qui, fallaci dia-* » *lectica abutentes, Christianos imperitos circum-* » *venerunt. Quin imo fateri oportet, eosdem* » *— — — æstu disputationis et fidei ardore* » *abreptos, durius nonnunquam contra rationem* » *locutos esse.* » Nil ergo contra theologiam scholasticam conficit Febronius, dum Florianum Dalham objectat. In hunc sensum loquitur etiam Petavius tom. I. Theol. Dog. in Proleg. ubi Febronius egregie adumbratur, dum ille ait, eos maxime theologiam scholasticam atrocius insectari, qui a communi et ecclesiastica doctrina quomodocunque dissentiunt.

Sed neque distinctiunculæ illæ *inutiles pugnæ verborum sunt, prætereaque nihil.* Sunt verba significantia, habentque suum sensum et vim in quæstionibus declarandis. Habent enim et scientiæ suos, ut ita dicam, terminos technicos, per quos verbis concisis dicunt quæ alias per ambages et fusiori explicatione proferri deberent. Quod si illæ distinctiunculæ in quæstionibus, utrum Episcopi suam potestatem *immediate* a Deo habeant? utrum Pontifex, quoad *vim coactivam*, subjiciatur conciliis? utrum hic nec *indirectam* potestatem habeat in temporalia etc.? Dico, si hæ distinctiunculæ nil nisi pugnæ verborum sunt, anne operæ pretium fuit, ut Febronius tot folia conscriberet ad refellendas adversariorum sententias, quando hi aliunde jam convicti per tales distinctiunculas solum probrosam convictionis confessionem declinant. Utique et ipse Febronius in his distinctionibus quandoque magnam vim et integrum systema collocat, præcipue § sequenti, ubi claves *immediatius* Ecclesiæ, quam Petro datas fuisse, operosius contendit.

Interim ne sollicitus sit Febronius, quales viri ad futurum fors concilium mittendi sint? certe tales, quales in conciliis Constant. Basile. et Tridentino fuêre, omnes utique theologia scholastica imbuti, quæ tunc maxime florebat, modo dein sanis, et statui Ecclesiæ proficuis principiis nitantur. An Febroniana sint talia? sub judice lis est, de quibus in decursu patebit. Certe in

Germania si academiæ sint emendandæ, Ecclesiæ, et bono religionis, quin et politico tali reformatore male consultum foret. An tantus est Febronius, ut etiam antiquissimæ ac celeberrimæ Academiæ Bononiensi invidiam creare possit, unde viri summi prodierunt Pontifices, Cardinales, Doctores etc., quorum doctrinam totus venerabatur orbis, et ipse Febronius non paucos in rem suam cum encomiis in opere suo citat? et Innocentius III. ubinam suo tempore debuisset scientiarum fundamenta ponere, si eidem præstitisset, nec Bononiæ, nec Parisiis studuisse? nempe Principia Italica tunc etiam Parisiis et in tota Gallia regnabant. Cæterum hunc Pontificem, quem viri gravissimi doctissimum, et in jure consultissimum, Febronius e contra interpretem exoticum appellat, non tamen in hunc solum injurius.

§ II.

Diversæ Patrum sententiæ circa textum Matth. 16, *v.* 18. *referuntur.*

Inter has communior, et materiæ conveniens interpretatio adoptatur.

Febronius affert textum Matth. 16. *quem dicunt homines esse filium hominis?* respondens Petrus: *tu es Christus Filius Dei vivi.* Regerens Jesus: *Beatus es Simon Barjona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui*

in cœlis est. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam, et tibi dabo claves regni cœlorum, et quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis, et quodcunque solveris super terram, erit solutum et in cœlis. Ex hoc textu, ait auctor, Romani, eorumque fautores concludunt, soli Petro immediate a Christo datas esse claves Ecclesiæ, atque per hunc reliquos Apostolos, horumque successores Episcopos omnem sacram auctoritatem dimanare. Quod autem hæc sententia Patribus et universalis Ecclesiæ sensui haud conveniat, sequentibus vult ostendere.

1. Per *Petram hanc*, ait, multi Patres intelligunt *fidem*, seu *confessionem* Divinitatis Christi a Petro factam. Citat, pro hac interpretatione, Hilarium, Gregor. Nyss. Chrysost. Ambros. Gregor. M. Theodoret. summos Pontifices S. Leon. Innocent. II. Urban. II. Hadrian. I. Nicola. I. Stephan. VI. Item orationem in Missa vigiliæ Apostolorum Petri et Pauli, cui non repugnat oratio pro festo Cathedræ Rom. die 18 Janv. in missali et breviario. Ait denique in eundem sensum ab eruditis laudari saltem triginta quinque Patrum et antiquorum scriptorum commentarios.

2. Alios per *Petram* intelligere Christum, qui secundum scripturas revera est lapis angularis, fundamentum et caput essentiale Ecclesiæ. Pro

hac sententia citat Augustin. Hieron. Theodoret. ac Hildebertum Archiepisc. Turon.

3. Communior denique sententia est, qui per Petrum intelligunt omnes Apostolos, quia omnes sunt fundamentum Ecclesiæ, et sicut Petrus Domino omnes interroganti nomine omnium respondit, ita et in replica Christi cum Petro intelliguntur omnes Apostoli. Citat. Origen. Hieron. Augustin. S. Leon. Theophilact. Eucher. Paschaf. Radbert. Hincmar. Odon. Cluniac. Pet. Bles. Gratian. Card. Cajetan. Hanc sententiam Sæculo VIII communem fuisse ait, atque cum Bossueto pro uno in contrarium mille posse recenseri.

4. Has Patrum interpretationes in speciem contrarias, in substantia non discordare, nullibi tamen ab iis agnosci formam Monarchicam in Ecclesia, cujus regimen soli Petro committatur, aliis Apostolis tantum in partem sollicitudinis vocatis. Quod si autem aliqui verba citati textus sacri Romano Pontifici adplicent tanquam primati, honoris gratia id fieri, neque idcirco eos excludere reliquos Apostolos et Pastores.

5. Ex his tamen Christi verbis probari primatum Petri, qui tamen *fines Directorii et formæ* non excedat.

6. Addit reflexiones ex Gregorio Zallwein. Etsi Petrus sit fundamentum Ecclesiæ fixum et inconcussum, si tamen fundamento nullum ædificium superstruatur, si partes ædificii inter se et cum fundamento non conglutinentur, si la-

pides angulares deficiant, fundamentum nihil valet, neque usui est. Sic, nisi fabrica Ecclesiæ Petro tanquam fundamento superstruatur, atque indissolubili nexu eidem conjungatur, nihil prodesse firmitatem Petri. Unde concludit, immobilitatem fundamenti haberi ab ædificio seu Ecclesia, quatenus hæc indissolubiliter cum fundamento cohæret.

7. Hoc experientia firmari in causa rebaptizantium, quartodecimanorum, et trium capitulorum. Controversiæ, lites et hæreses terminari non potuerunt, nec pax in Ecclesia fuit, quamdiu non fuit concentratio inter Pontifices et Ecclesiam.

NOTA.

Cum cit. textus Matth. 16 unum ex præcipuis fundamentum ex scriptura habeatur, unde primatus, forma, et ordo regiminis in Ecclesia probatur, ideo omnes vel Papatus, vel Ecclesiæ hostes, dum eum ex SS. litteris expungere non valent, saltem in alienum sensum detorquere nituntur, ut vel omnino non de Petro intelligi, vel ei saltem nihil præcipuum hìc collatum fuisse velint. In isto igitur textu præcipuus quæstionis cardo vertitur, in quo tum vindicando tum explanando nos diutius detineri lector haud male vertet; quod si huic textui genuinus sensus aut relinquatur, aut explosis adversariorum ratiunculis et frivolis interpreta-

tionibus restituatur, totum Febronii systema nutabit, immo corruet.

In universa Ecclesia apud omnes Theologos et Interpretes communis et certa doctrina est, S. Scripturam semper intelligendam esse in sensu litterali et proprio, quamdiu nullus error aut inconveniens sequitur, et postea primum allegoricos sensus admitti posse, quia in illo fundatur dogma fidei. Quæro igitur, quisnam sit in hoc textu sensus litteralis a Spiritu S. intentus? quod si ille obvius, et materialis non subsistat, atque Patres, et interpretes in interpretando textu dissentiant, erit igitur hic textus sine certo et intrinseco sensu, consequenter pro regula fidei sumi non poterit. Hinc amplius sequitur, eum textum nulli sententiæ unice inservire, et si sententia Italorum inde non probatur, multo minus adversariorum opinionem firmari. Imo in sensu Febronii nec Primatum, qui tamen fide divina creditur, ex illo textu, neque ex aliis probari posse.

Nos igitur dicimus, sensum litteralem in textu Matth. 16. eum esse, quem verba et littera exprimunt: hæc autem verba in sensu litterali et obvio tam clara sunt, ut certe nulla explicatione, nulla interpretatione indigeant.

Quis enim legens hunc textum secundum sensum litteralem in his verbis, *respondit Petrus, caro et sanguis non revelavit tibi, tibi dico, tu es Petrus, tibi dabo claves, quodcunque ligaveris,*

quodcunque solveris, ubique non solum Petrum, sed potius omnes Apostolos, et totam Ecclesiam subintelligeret? dum tamen tota oratio ad solum Petrum dirigitur, et Salvator, si reliquos Apostolos voluisset comprehendere, tam facile in *plurali* prosequi potuisset, ac prius cœperat, *quem vos me esse dicitis?* nempe dicendo : *vos estis beati, vobis dico, vobis dabo* etc. Si Petrus non ex sua sententia, sed nomine omnium respondit, cur solus *beatus Simon Barjona?* an vero et alii Apostoli sunt, et vocantur *Barjona?* an et aliis nomen mutatum est? verum *huic*, qui est Barjona, *huic*, cui Pater revelavit divinitatem Christi, *huic*, dicitur, quod sit Petrus, et *huic*, qui est Barjona, et vocatur Petrus, dantur Claves regni cœlorum.

Hæc omnia in sensu litterali apertissima sunt. Si tam clarum textum Febronius pro se citare posset, ad nullam aliam interpretationem confugeret, ad solum litteralem sensum provocaret, et Patres alium sensum eidem applicantes figurate tantum aut accommodatitie loqui contenderet. S. Franciscus Sales. serm. 32. de Ecclesia contra hæreticorum ministros, qui cum Febronio in hoc textu per Petrum totam Ecclesiam intelligunt, sic ait : *omnem lapidem movent, ut quantum possunt, inquinent fontem Evangelii, ne Petrus ibi reperiat claves suas ..... si igitur, hoc interpretandi modo non pervertatur scriptura, nunquam ab aliquo in alienum sensum*

detorquebitur. Et infra. *Quod si sic liceat explicare loca clara, nihil omnino in scriptura reperietur, quod in omnem sensum retorqueri non possit.* Scio, Febronium ad hæc tom. 3. pag. 287. respondisse. *Fuit vir hic sanctissimus magnus asceta; an in studio critico Canonum et conciliorum peræque expeditus, dubitare licet.* Verum hic non de studio critico, canonum et conciliorum agitur, sed de simplici expositione textus secundum litteram, ubi nullæ utique falsæ Isidori decretales occurrunt. Fuit autem Salesius in utroque Jure magisterio donatus, fuit Episcopus, fuit certe theologus, qui ultra 72000. ad veram fidem convertit, fuit, ut ait Cardinalis Petra, toti Galliæ, et universo catholico orbi venerabilis. Febronius igitur inurbana sua crisi in hunc sanctum conticeat.

Verum ait Febronius, SS. Patres hunc textum diversimode explicant. Ita est, sed salvo semper sensu litterali, quem nullibi excludunt, imo etiam sæpe adstruunt.

Si igitur SS. Patres hujus textus sensum litteralem non modo admittant, sed et ipsi adstruant, dein ratio dari potest, quare eidem quando aliam notionem substituant, tunc Febronius ex diversa illa interpretatione contra nos nihil evincet.

Jam accedamus Patres, quos pro prima sententia, nempe quod per *petram* intelligatur fides, *seu* confessio Divinitatis, ex Launojo et Dupinio citat

Febronius. Verum hi ipsi alibi in sensu litterali per *petram* intelligunt Petrum, sicque nostram sententiam confirmant. Ita Hilarius Lib. 6. de Trinit. ait : *Beatus Simon ædificationi Ecclesiæ subjacens, et claves regni cœlorum accipiens.* Idem in Psalm. 131. *Petrus primus filii Dei confessor et fundamentum*, et in cap. 16. Matth. de Petro ex professo sic loquitur. *O in nuncupatione novi nominis felix Ecclesiæ fundamentum, dignaque ædificatione illius petra, quæ inferorum leges dissolveret.* Petrus ergo hìc fundamentum Ecclesiæ dicitur. Gregor. Nyssen. Serm. 2. de S. Steph. *Celebratur Petri memoria, qui Apostolorum est caput, et una quidem cum ipso cætera membra Ecclesiæ glorificantur, Dei vero Ecclesia in IPSO solidatur. Hic enim, juxta prærogativam sibi a Domino concessam, firma ac solidissima petra est, supra quam Salvator Ecclesiam fundavit.* En ! Petrus Apostolorum Caput, et petra Ecclesiæ. S. Chrysost. Petrum sæpe nominat *Ecclesiæ basin, columnam, fundamentum fidei*, et hom. 9. de pœnit. *Petrum cum dico, petram nomino infragilem crepidinem immobilem.* Item in serm. de negat. Petri. *Beatum me prædicasti, ac petram Ecclesiæ nuncupasti, dicens, tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Ambros. cit. a Febronio, Comment. in Luc. cap. 9. v. 20. *Petra autem est Christus : etiam discipulo suo hujus vocabuli gratiam non negavit, ut et ipse sit Petrus, quod de*

petra habeat soliditatem constantiæ, fidei firmitatem. Hìc apte distinguitur Ecclesiæ fundamentum primarium et secundarium. Idem in hymno de S. Petro, ait : *hoc ipsa petra Ecclesiæ canente culpam diluit.* Item clarissime in Psalm. 40. *Ipse est Petrus, cui dixit : tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Theodoretus quidem, de hac materia incidenter tantum loquens, confessionem Petri fundamentum Ecclesiæ asserit, quo autem sensu tales locutiones intelligi debeant, inferius patebit. Quod attinet Rom. Pontifices, plura possent afferri loca, ubi auctoritatem suam et fidei firmitatem in cit. Matthæi loco et promissione Christi reponunt. Pariter triginta quinque Patres et scriptores, quorum meminit, et pro hac sententia allegat Febronius, per *petram* Petrum intelligere, certa supersunt monumenta, si vacaret tot textus exscribere, et quorum clarissima testimonia affert Carrichius. Interim hìc sufficiat, eosdem Patres, quos nobis hoc loco objicit Febronius, per *petram* ipsum *Petrum* etiam intellexisse.

Allegat dein pro *doctrina*, ut ait, *Ecclesiæ* orationem Missæ in Vigilia Apostolorum, cui nullatenus repugnare dicit orationem pro festo Cathedræ : *Deus, qui B. Petro Apostolo tuo, collatis clavibus regni cœlestis, ligandi atque solvendi Pontificium tradidisti etc.* At hìc aperte claves utique dicuntur Petro traditæ. Et revera textus D. Matthæi in his memoratis Officiis, in

hymnis, versiculis, antiphonis, responsoriis, lectionibus litteraliter ubique regnat.

Ipsi Græci quoque in Euchologio sic orant: *Deus, qui Principi tuorum Discipulorum et Apostolorum Petro Ecclesiam tuam inædificasti, et qui claves ei dedisti.* Item in lithurgia Methodii Patriarchæ Constant. *Domine Deus, qui regni tui clavibus Petro Apostolorum tuorum Principi creditis, sanctaque tua Ecclesia super eum ædificata etc.* Ita orat Ecclesia græca, ita latina: et si legem credendi lex statuit supplicandi, ut ex Cœlestino I. concludit ipse Febronius, hæc potius doctrina Ecclesiæ erit. Cæterum, si hæc ipsa prima sententia, qua Ecclesia supra fidem et confessionem Petri fundata dicitur, Febronio, ut ait, videtur esse *doctrina Ecclesiæ*, quare eam non sequitur? cur potius tertiam sibi sententiam eligit? —— secunda sententia per petram intelligit Jesum Christum. Pro hac citat Febronius Hieronymum et Augustinum. Ille autem significat clare Petrum esse illam petram, super quam Ecclesia ædificata est, L. 1. advers. Pelag. *quid Platoni et Petro? ut ille Princeps Philosophorum, ita hic Apostolorum fuit, super quem Ecclesia Domini stabili mole fundata est.* Item tom. 4. part. 1. Comm. in c. 16. Matth. edit. Paris. Mart. *Sicut ipse lumen Apostolis donavit, ut lumen mundi appellerent, cæteraque ex Domino sortiti vocabula, ita et Simoni, qui credebat in petram Christum, Petri largitus est nomen, ac*

secundum metaphoram petræ, recte dicit ei: ædificabo Ecclesiam meam super te. Etsi autem Christus alicubi dicatur petra, non ideo ubicunque legitur verbum *petra*, intelligi debet Christus, sic in illis verbis, *lapis offensionis et petra scandali, semen cecidit supra petram*, in sensu litterali nullibi denotatur Christus; quippe nomina metaphorica non ubique eundem, sed prout ad diversa objecta referuntur, diversum sensum habent. Quod si vero cit. Matth. loco petra Christus est, verba textus habebunt contortum hunc sensum: tu es Petrus, et super me ædificabo Ecclesiam. Quid ad hoc opus mutatione nominis, et Simonem novo nomine vocare Petrum? ad quid illa verba: *et super hanc?* utique sensus planus, obvius et naturalis est: cum tu sis Petrus seu petra a me constitutus, super hanc petram ædificabo etc. Nempe *hanc* se refert in sensu obvio ad id, de quo modo sermo erat. De S. Augustino notant peritiores, eum ob imperitiam linguarum existimasse, vocem *Cephas* non significare petram, ideoque Petrum et petram non idem esse, hinc in his verbis mysterium latere putans, petram Christum dixit, cujus etiam rationem dat L. 1. retract. c. 21. *Non est dictum illi* (Petro) *tu es petra, sed tu es Petrus.* Et loco a Febronio citato; *non enim a Petro petra, sed Petrus a petra vocatus.* Ecce putabat utriusque vocis, sicut in latino, ita et in græco et syriaco diversam esse significationem. Natal.

Alex. Dissert. 4 Sæc. I. §. 3. Aliam rationem affert hujus diversæ interpretationis; verum ex verbis S. Patris ista, quam nos damus, satis manifesta est. Non tamen hæc Augustino tam certo insedit sententia, ut alibi per petram Petrum intelligendo, non etiam nostram amplexus sit sententiam, uti ipse cit. loco fatetur. Sic in Psalm. 69. *Petrus, qui paulo ante eum confessus erat Filium Dei, et in illa confessione appellatus erat PETRA, supra quam fabricaretur Ecclesia. Et Serm.* 15. *de Sanctis. Petrum itaque fundamentum Dominus nominavit, — supra quod ecclesiastici ædificii altitudo consurgit.* Quæ dein ex Theodoreto et Hildeberto Turonensi opponuntur, hoc loco momentum non habent. Non enim negamus, Christum principale et primarium Ecclesiæ fundamentum ac petram esse, in quo sensu isti loquuntur; sed neque hi negant, in allato textu Petrum fundamentum secundarium, et quasi Vicarium a Christo constitutum fuisse.

Sequitur sententia tertia, et communior, ut ait, et quam ipse adoptat Febronius, quæ in allato textu per Simonem Petrum alios quoque Apostolos intelligit. Contrarium ego ex iis ipsis, quos pro se citat, Patribus ostendo. D. SS. Augustino et Hieronymo mox dixi. Miror autem, quod Origenem citet Febronius, qui loco objecto ait: *Petra est quilibet Christi Discipulus, et super talem construitur omnis ecclesiastica Doctrina.* Ergo non soli Apostoli, sed omnes Chris-

tiani petra Ecclesiæ sunt : igitur aperte in sensu accommodatitio ibi loquitur Origenes. E contra hom. 5. in Exod. §. 4. Petrum vocat *magnum Ecclesiæ fundamentum*, *et petram solidissimam*, *super quam Christus fundavit Ecclesiam.* Hìc de solo Petro loquitur. Item idem in cap. 16. Matth. *neque adversus petram*, *super quam Christus ædificat Ecclesiam*, *neque adversus Ecclesiam portæ inferi prævalebunt.* S. Leo. in loco a Febronio cit. *Cum ego* (Christus) *sim inviolabilis petra*, *ego lapis angularis*, – – – *ego fundamentum*, – – – *tu tamen quoque petra es*, *quia mea virtute solidaris*, *ut quæ mihi sunt propria*, *sint tibi mecum participationi communia.* De Theophilacto, nescio, an sui compos fuerit Febronius, dum eum allegavit, dum ille præfatum textum Matth. aperte de solo Petro interpretatur. *Licet*, ait Theophil., *ad Petrum TANTUM dictum sit illud*, *tibi dabo claves etc. tamen omnibus Apostolis olim datum est*, *quando dicit*, *quorum remiseritis etc.* Utique hìc quæritur, utrum textus Matth. de solo Petro intelligi debeat? Theophilactus ait, hoc *tantum* de Petro dictum esse, aliis Apostolis vero etiam potestatem *olim*, id est, alio loco collatam fuisse, nempe per verba, *quorum remiseritis etc.* quid clarius?

De Paschasio Radberto, Eucherio, Hincmaro infra ostendam, quo sensu intelligi debeant, et locuti fuerint, quippe dum textum Matthæi ad alios quoque Apostolos extendunt, neque sen-

sum litteralem, neque Petrum excludunt, imo de hoc ipso principaliter et proprie intelligi volunt.

Ut autem mens SS. Patrum et vetus traditio circa interpretationem hujus textus latius adhuc pateat, addo alios etiam Patres, omnes tamen referre nimis longum foret. S. Basil. L. de Judic. Dei. *Petrus, qui et cæteris antelatus Discipulis fuit, cuique magnificentius, quam reliquis omnibus datum testimonium est, — — — cui claves regni cœlestis commisit.* Cyrill. Alexand. in Joan. L. 2. c. 12. *Nec Simon jam fore nomen illi, sed Petrus, prædicit, vocabulo ipso commode significavi, quod in eo tanquam in petra, lapideque firmissimo suam esset ædificaturus Ecclesiam.* Tertull. L. de Præscript. *Latuit aliquid Petrum, ædificandæ Ecclesiæ petram dictum?* Epiphan. hæres 59. *Summus Apostolorùm, qui factus est nobis vera firma petra, fundans Domini fidem, in qua ædificata est modis omnibus Ecclesia, quod confessus est Christum Filium Dei, audivitque, quoniam super hanc solidæ fidei petram ædificabo Ecclesiam meam.* Chrysost. hom. D. S. Ignat. M. *Quem toti terrarum orbi præfecit Petrum, cui claves cœlorum dedit, cujus arbitrio et potestati cuncta permisit.* Ignat. Patriarch. Const. apud Harduin. Tom. V. fol. 979. *O claviger regni cœlorum et petra, in qua Christus Deus suam firmavit Ecclesiam.* Cyprian. L. de Unit. *Super illum unum ædificat Ecclesiam.* Optatus Milevit. L. 7.

advers. Parmen. *Præferri omnibus Apostolis meruit, et claves regni cœlorum communicandas cæteris solus accepit.* Petrus Damian. *Cum intueor Petrum, quem ipsa manus omnipotentis regni cœlestis clavibus investit, — — super quem fundatur Ecclesia, cui potestas ligandi et solvendi conceditur, qui cœlos claudit, et aperit etc.* Dicat nunc Febronius, nostram sententiam Patrum, imo universalis Ecclesiæ sensui parum convenire, postquam demonstravimus præter hucusque adductos, etiam eos, quos contra nos citat, Patres sensum litteralem textus Matth. 16. secundum nostram interpretationem admittere, imod iserte adstruere.

Quid? si ipsos Febronii heroes contra infelicem hunc pugilem in aciem producere possem, Ludovicum Maimburgum de Institut. et Prærog. Ecclesiæ Rom. Alphons. Tostat. in cap. 16. Matth. Petrum de Marca de Discrim. Cleric. Bossuet. T. 1. Defens. Declar. Cleri Gall. L. 3. c. 12. ubi ait, ob gloriosam fidei confessionem Petrum dignum fuisse ea inviolabili promissione, qua Ecclesiæ fundamentum constitutus fuit. De hoc tamen alibi.

Jam ad id deveniamus, quid ex tribus a Febronio allatis sententiis, et applicatis unicuique horum Patrum ac scriptorum testimoniis ipse concludat, dein quid nos inde concludamus?

Ni fallor, Febronius ita concludit, per istas tres sententias totam traditionem exhaustam esse,

atque in iis universalem Ecclesiæ sensum latere, ita quidem, ut sententiæ Romanorum, prout eos appellat, ex Patribus et traditione nihil sit reliquum, quo Petrum fundamentum Ecclesiæ constitutum, eique *uni* claves a Christo datas esse probare possint; idque tam certo lectori persuasum esse vult, ut deinceps in suo opere sæpius ad id, tanquam ad rem jam liquido demonstratam, provocet.

Ego vero sic concludo : 1° cum pro explicando textu Matth. 16, Febronius tres afferat SS. Patrum sententias, inter quas ipse tertiam adoptat, eo ipso Febronius non habet, nec sequitur *universalem* sensum et doctrinam Ecclesiæ, cum et suam sententiam tantum dicat communiorem, atque, ipso teste, pro prima sententia, præter a se citatos Patres, adhuc ab eruditis laudentur saltem triginta quinque Patrum et antiquorum graviorum scriptorum commentarii. Ubique autem jactat Febronius, se sequi certam traditionem et constantem doctrinam Ecclesiæ.

Dicit equidem, has Patrum sententias, in speciem diversas, in substantia non discordare. Dicit, sed non probat, nec eos concordare facit. Certe secunda sententia, quæ per *petram* intelligit ipsum Christum Dominum, quomodo cohæret cum illa. Tertia Febronii, ubi per *petram* intelliguntur omnes apostoli? si *petra* Christus est, utique apostoli non sunt *petra ?* ais : Christus est fundamentum unicum *primarium et essen-*

tiale, apostoli sunt *secundarium et ministeriale.* Bene! sed extra Rhombum. Hoc ipso loco quæritur, utrum Christus in cit. textu Matthæi fundamentum aliquod *secundarium* et *sui vicarium* constituerit, vel solum seipsum indigitaverit? negat illud sententia secunda, et asserit Christum se ipsum tanquam *petram* et fundamentum Ecclesiæ designasse, adeoque ista expositio aperte excludit fundamentum secundarium, sensusque esset: *Tu es quidem Petrus, et ego sum petra, super quam ædificabo Ecclesiam meam.* Nihil hìc pro reliquis apostolis inferri posset, etsi alibi etiam dicantur fundamenta Ecclesiæ; siquidem fundamentum primarium non ita necessario includit secundarium, ut omne id, quod de primo dicitur, etiam de secundo intelligi possit, sed e contra secundarium supponit principale, ut quod de illo dicitur, principaliter ad primarium referri debeat; uti nos postea in nostra sententia convenientius explicabimus. Neutiquam itaque secunda sententia cum tertia Febronii cohæret, aut concordari potest.

Concludo 2° ipsos Patres, quos pro qualibet ex his tribus sententia citat Febronius, non adeo constanter allegatæ sententiæ adhæsisse, ut non alibi per *petram* ipsum et solum Petrum intellexerint, uti patet ex textibus supra a me ad quamlibet sententiam adductis.

Concludo 3° quando omnes citati Patres, aliique nulli ex allegatis tribus sententiis constan-

ter inhæsere, sed etiam nostram amplexati sunt, censendum est, eos potius in explicando sensu litterali textus in nostram consensisse, præcipue si aliæ explicationes a nostra non multum discordent, et facile conciliari possint. Quippe cum sensus litteralis scripturæ sit certus et primarius, præsumendum est, Patres ab eo in explicando non recessisse, nisi quando tantum adplicative et figurate loquuntur : et aliunde si Patres alicubi de aliquo textu obscure loquuntur, explicandi sunt per ea, quæ alibi clarius dicunt, et textui magis conveniunt. Proin censeri debet, SS. Patres, dum textu Matth. 16. alium sensum substruere videntur, non in sensu proprio et litterali locutos fuisse.

Sed et facile cæteræ sententiæ, in quas quandoque Patres propendere visi sunt, cum nostra conciliantur. Et quidem *prima* vult, per *petram* intelligi fidem seu confessionem divinitatis Christi, quam fecit Petrus. Nobis nihil obstat; nos enim dicimus, Petrum, non ut est filius Jonæ, sed ut est primus confessor divinitatis Christi fundamentum Ecclesiæ constitui, ita ut illa publica confessio divinitatis et fides Petri fuerit causa meritoria hujus prærogativæ, sicque fides Petri causa est, propter quam datur, et Petrus persona, cui datur hæc prærogativa. Pono vades hujus interpretationis Hilarium et Hieronymum. Ille in c. 16. Matth. *dignum plane confessio Petri præmium consecuta est.* Deinde de Petro sic loquitur :

O in nuncupatione novi nominis felix Ecclesiæ fundamentum. Ecce! causam meritoriam, ecce! subjectum, cui præmium datur. Iste Epist. 61. ad Pammach. ait, non Petrum, sed *fidem Petri ambulasse super aquas.* At certe Petrus verè ambulavit super aquas; fidei igitur tanquam causæ tribuitur, et solum significatur, Petrum non propriis naturæ viribus, sed virtute fidei hoc miraculum patrasse. Ratio ergo, cur Petrus *petra* sit, fides est seu confessio Petri, ita ut Petrus quatenus primus confessor et fidelis sit petra et fundamentum Ecclesiæ.

Quid multa? si Febronius hanc sententiam et fidem Petri cum omnibus Apostolis, quare ego non facilius et rectius cum solo Petro conciliare possim?

Secunda sententia est, per *petram* intelligi *Christum.* Augustinus præcipuus hujus assertor, ut dixi, peritia linguarum destituebatur, quæ tamen, juxta Dalham, prima regula interpretis esse debet. Error igitur manifestus præjudicio esse non potest, et quamvis reliqui auctoritate Augustini decepti (sunt autem tantum numero sex) hanc sententiam amplexi sunt, et ejusdem verba exscripserint, nullum pondus adjicere possunt, quia hæc opinio semper errori innititur. In hoc tamen Febronio veniam dare non possumus, quod citet etiam Augustini L. 1. retract. quasi ibi suam sententiam confirmet, cum tantum eam referat, et ex duabus, quæ lectori probabilior videatur,

eligendam relinquat. Sed dicat Febronius, quænam sit altera, quam S. Doctor ibi refert? utique non illa Febronii, quod omnes Apostoli sint petra, sed nostra, qua per petram solus intelligitur Petrus : sic enim clare l. c. ait S. Pater. *Dixi in quodam loco de Apostolo Petro, quod in illo tanquam in petra fundata sit Ecclesia.* Ecce hanc sententiam etiam alicubi tenuit, et hæc nostra, non Febronii est. Pergit S. Aug. *qui sensus etiam cantatur ore multorum in versibus beatissimi Ambrosii.* Ergo hic sensus, hæc sententia jam tum multorum fuit. Imo cum præter hos duos sensus et sententias, de nulla alia mentionem faciat S. Doctor, et inter has duas solum optionem det lectori, ultro sequitur, eum præter has nullam interpretationem agnovisse.

Cæterum, juxta illam sententiam *petra* Christus est : Petrus autem a petra appellatur, quasi aliquid a *petra*, scilicet sicut nomen, ita et rem hoc nomine significatam participaret, quo sensu etiam cum nostra sententia convenientius conciliari posset, quam cum illa Febronii, uti supra vidimus; non tamen opus est, illam, quæ in errore fundatur, operosius conciliare.

Tertia sententia Febronii est, qui per *petram* omnes Apostolos intelligit : omnes Apostoli, ait, fundamentum Ecclesiæ sunt, juxta illud ad Ephes. c. 2. v. 20. *ædificati supra fundamentum Apostolorum.* Quis hoc negat? verum juxta hunc textum etiam veteres Prophetæ funda-

mentum Ecclesiæ Christi sunt, *supra fundamentum Apotolorum et Prophetarum;* igitur per *petram* etiam Prophetæ deberent intelligi? habent ergo et isti claves Ecclesiæ? quod ex interpretatione Febronii sequeretur. Juxta nos, cæteri Apostoli sunt fundamentum Ecclesiæ, sed non in hoc loco Matth. 16. constitutum, ubi de solo Petro sermo est: illi sunt fundamentum, sed Petrus, secundum hunc textum, specialius et præcipuum est.

Opponis Patres, qui in petra omnes Apostolos intelligunt: at hi Patres textum non litteraliter ibi interpretantur; nam ego supra adduxi et horum, quos Febronius opponit, et aliorum Patrum testimonia, qui cit. textu in sensu litterali per *petram* solum Petrum intelligunt. Ut autem constet, quomodo Patres in speciem contrarii concilientur, sit quæstio.

Quo sensu aliqui Patres per Petrum omnes Apostolos intelligant?

Præprimis sciendum est, aliquas prærogativas in SS. Litteris consignatas, omnibus Apostolis communes esse, aliquas uni Petro proprias. Omnibus communes sunt.

1° Vocatio ad apostolatum. *Vocavit Discipulos, et elegit duodecim ex ipsis, quos et Apostolos nominavit.* Matth. c. 10. Marci c. 3. Lucæ c. 6.

2° Potestas ligandi et solvendi. *Quæcunque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cælo, et quæcunque solveritis etc.* Matth. c. 18.

3° Auctoritas docendi. *Qui vos audit, me audit, qui vos spernit, me spernit.* Matth. c. 10. Luc. c. 10. Joan. c. 13.

4° Missio. *Locutus est eis dicens.* — — — *euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos etc.* Matth. c. 28. Marci c. 16.

5° Ordinatio in Episcopos et Presbyteros, atque potestas remittendi peccata. *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis etc.* Joan. c. 20.

Prærogativæ uni Petro propriæ sunt.

1. Mutatio nominis. *Simonem, quem cognominavit Petrum.* Luc. c. 6. Matth. c. 10. et Marci c. 13. Item *Tu es Simon, filius Jonæ, tu vocaberis Cephas etc.* Joan. c. 1.

2. Fundamentum Ecclesiæ: *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Matth. c. 16.

3. Cura et officium pascendi oves Christi. *Pasce agnos meos,* — — — *pasce oves meas.* Joan. c. 21.

4. Potestas clavium Ecclesiæ; *Tibi dabo claves regni cœlorum etc.* Matth. c. 16.

5. Firmitas in fide et officium confirmandi fratres. *Ego autem rogavi pro te, ne deficiat fides tua, et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos.* Luc. c. 22.

Certum est, ubicunque communis aliqua omnibus Apostolis prærogativa collata est, etiam

præsentem fuisse Petrum, nec ullibi exclusum fuisse. E contra, ubi singulares Petro prærogativæ conferuntur, nullibi fieri mentionem reliquorum Apostolorum, adeoque eas in Petro quid amplius significare et operari, quam illas communes, quas Petrus cum cæteris Apostolis æqualiter accepit.

Quando igitur aliqui Patres etiam reliquos Apostolos fundamentum Ecclesiæ, eisque claves datas esse dicunt, vel non ad hunc textum Matth. 16., sed alias prærogativas communes respiciunt, vel saltem non in sensu litterali interpretantur, et hæc ratio est, quare iidem Patres textum Matthæi modo de solo Petro exponunt, alibi vero, quod hìc de Petro dicitur, etiam ad alios Apostolos adplicant. Certe nisi hoc dicas, eorundem Patrum textus diversi conciliari non possunt. Clare hoc patet in objectis a Febronio textibus Hieronymi et Theophilacti. Sic Hieron. loc. cit. habet : *Super petram fundatur Ecclesia, licet idipsum ALIO IN LOCO super omnes Apostolos fiat.* Et Theophilact. *Licet ad Petrum TANTUM dictum sit, tibi dabo claves etc. tamen omnibus Apostolis OLIM datum est.* Patet hìc, Patres se referre ad alios textus et prærogativas communes omnibus, nec prærogativam illam singularem Matth. 16. idcirco Petro denegare. Imo Theophil. expresse ait, ibi ad Petrum *tantum* dictum esse, *tibi dabo claves etc.* Quid sequitur ? in aliquo sensu verum esse,

omnes apostolos æqualiter cum Petro esse fundamentum Ecclesiæ, habuisse claves, sed tamen Matthæi 16 solum Petrum singulariter, specialius, et eminentiori modo fundamentum designari, ac immediate accepisse claves. Quid enim opus fuisset, mutare nomen Petri, et eum verbis tam amplis ac magnificis alloqui, si ei nihil singulare datum fuit, quod non jam cum cæteris apostolis accepisset.

Hoc sensu intelligendi sunt etiam illi Patrum textus, qui dicunt, Petrum figuram et personam Ecclesiæ aut apostolorum gessisse, nomine Ecclesiæ claves accepisse. Nam Petrus ibi persona publica a Christo, NB. non ab Ecclesia constituitur, et claves accipit Ecclesiæ, id est, pro et propter Ecclesiam, non ut delegatus Ecclesiæ, sed ut supremus post Christum princeps, pastor et rector Ecclesiæ. Unde ipse Augustinus, qui in hunc sensum sæpius citatur, se ita explicat in Tractat. 124 in Joan. *Petrus apostolus, propter apostolatus sui primatum, Ecclesiæ gerebat figurata quadam generalitate personam.* Id est, ut primas non ut procurator et legatus Ecclesiæ. Cæterum, figurata expositio non impedit veritatem historiæ. Sic, juxta eundem Augustin. psalm. 108 Judas erat figura malorum, sicut Petrus, ratione sui primatus, figura bonorum et Ecclesiæ : sicut ergo nihilominus verum est, Judam solum vere et personaliter prodidisse Christum, ita et Petrum vere et personaliter accepisse claves.

In hoc igitur sensu omnes objecti patrum textus cum nostra sententia facile conciliantur, secus autem cum sententia Febronii ii patres, qui textum Matthæi de solo Petro interpretantur.

Dicit equidem Febronius, quando patres, de S. Petro aut Rom. Pontifice honorifice loquentes, ei hunc textum specialius adplicant, non inde reliquos apostolos excludere. At gratis dicit, nec probat, imo contrarium probant ipsi textus patrum, qui sic de Petro loquuntur, ut de aliis apostolis nec mentionem faciant, nec facere velle signo aliquo produnt, quinimo quandoque alios aperte excludunt. Vid. supra textus a me citatos.

Adhuc refugium Febronio superest. Ex verbis patrum, qui textum Matthæi de solo Petro interpretantur, ait, tantum inferri primatum Petri. Recte, sed tecum confligis, Febroni. Ergo hoc ipso in textu quid speciale de solo Petro intelligitur, quod ad alios apostolos referri non potest, sicque per Petrum non omnes intelliguntur apostoli. Primatus utique infertur, sed etiam qualis sit, inde probatur. Nunquid omnibus apostolis cum Petro dictum est, *quæcunque alligaveritis, quæcunque solveritis?* det igitur Febronius rationem quare Matth. 16 soli Petro dictum sit, *quodcunque solveris, quodcunque ligaveris?* si dicat, quod Christus Petro tanquam primati promisit, dein ad alios apostolos extendisse; ergo Christus etiam primatum ad alios extendit, et

tot constituit primates, quot sunt apostoli, sicque Petrus erit tantum primus inter pares, seu numero primus. Quî igitur genuinus primatus inde inferri potest? si autem ibi Petrus specialius petra et fundamentum Ecclesiæ constituitur, si ei singulariter claves dantur, si ei specialior potestas ligandi et solvendi tribuitur, tunc primatui huic amplior auctoritas, quam nudi *directorii* et *formæ*, ut somniat Febronius, inhæret, et hoc est, quod ex textu Matthæi in nostra sententia sequitur, de quo postea. E contra, dum in sententia Febronii in dicto textu omnes æqualiter ubique intelliguntur apostoli, neque primatus inde probari posset, quia Petrus nihil speciale haberet præ reliquis, præter nudum novum nomen.

Dissimulari quoque non potest, quod Febronius ait, cum Dominus omnes interrogaverit, *quem vos me esse dicitis*, etiam Petrum *nomine omnium* respondisse, *tu es Christus etc.*, ideo quoque in replica Christi omnes intelligi apostolos. Volo enim, quid Febronius intelligat *nomine omnium*? an Petrus sententiam *omnium* fors propalavit, et in respondendo eorum vices tantum egit? neutiquam; nam patres dicunt, eum primum et ante cæteros solum respondisse, utique propriam suam sententiam; quippe nullibi constat, in commissis habuisse, aliorum edicere sententiam, et Hilarius in Matth. c. 14 § 17 aperte dicit: *nam ignorantibus cæteris pri-*

mus respondit, tu es Christus etc. Dein quod respondit, non aliorum sententia, sed divina revelatione edoctus habebat, quod de cæteris qui non potest; alias non diceretur solus *beatus Simon Bar-jona*, neque ei soli diceretur, *tibi revelavit pater.* Scio, Hieron. in Matth. c. 16 dicere, *Petrum in persona omnium apostolorum*, et August. serm. 76. c. 1 § 1 *unum pro multis dedisse responsum.* Sed his non obstat, si dicamus, Petrum, cum alii ignorarent, quid respondeant, revelatione edoctum; loco omnium *suam propriam* publice dixisse sententiam, et hac responsione alios potius erudiisse, quid de Christo sentirent, ideoque ipse solus beatus dicitur, et præmium confessionis accepit : ex quo sequitur, in replica Christi et verbis sequentibus non reliquos posse intelligi apostolos.

Fucum dein facit Febronius citans Bossuetum, qui dicit, paucos esse, qui illud, *portæ inferi non prævalebunt adversus eam*, ad *petram* referunt, atque pro uno mille in contrarium recenseri posse. Fingit nostram hanc esse sententiam, ut plausum facere, et aliquot millia adversariorum in aciem producere possit. At etiam nos dicimus, et pauci sunt, qui hoc non dicant, per EAM vi connexionis sententiæ intelligi Ecclesiam, non vero petram. Sed quid inde? an ideo Petrus non est *petra?* vel forte non est firma *petra?* Dico ego, eo ipso firmiorem esse; nam si portæ inferi non prævalebunt adversus Ec-

clesiam, etiam non prævalebunt adversus petram, quæ est fundamentum Ecclesiæ; siquidem, destructo fundamento, utique rueret totum ædificium. Hinc bene ait Origenes in c. 16. Matth. *neque adversus petram, supra quam Christus ædificat Ecclesiam, neque adversus Ecclesiam portæ inferi prævalebunt.* Eadem habet S. Thom. in Catena.

Quas Num. 6. in confirmationem suæ sententiæ Febronius reflexiones addit, potius æquivocationes aut paralogismi sunt. Scimus, fundamentum absque ædificio nihil prodesse, scimus, necesse esse, ut partes ædificii inter se et fundamento cohæreant. An idcirco fundamentum ab ædificio et ejus partibus firmitatem habet, an ædificium et ejus partes, quantumcunque conglutinatæ, firma esse possunt absque fundamento? an ædificium labili fundamento superpositum, quantumcunque huic cohæreat, firmum et solidum est? utique qui sic ædificat, *similis erit viro stulto qui ædificavit domum suam supra arenam, et descendit pluvia, et venerunt flumina, et flaverunt venti, et irruerunt in domum illam, et cecidit.* Matth. 7.

Quod de necessaria concentratione inter Pontifices et concilia meminit Febronius N. 7, apte nos reservamus, ubi de superioritate conciliorum supra Papam, et cap. sequ. de centro unitatis.

§ III.

Genuinus et Patrum Judicio conformis sensus verborum Christi Joan. 21 proponitur.

Febronius ait, pro *indefinita et monarchica* potestate S. Petri allegari alium textum Joan. 21, ubi Petrus de amore Christi interrogatus, ter oves ejus pascendas accepit. *Pasce agnos meos, pasce oves meas.* Inde inferri, *uni Petro et soli successori* in cathedra Petri, independenter a corpore pastorum, *illimitatam et nullis vinculis restrictam*, solvendi ligandique potestatem concessam esse; verum etiam hæc Christi verba ex sensu patrum in persona Petri ad omnes pastores dirigi.

1. Citat Augustin. serm. 108. c. 4 de divers. Ambros. L. 2 de dignit. sacerd. c. 2, Chrysost. hom. 79. in Matth. Basil. constit. monast. c. 22, quod autem hæc verba Christi ad Petrum dirigantur, fieri propter solam ejus præeminentiam.

2. Qualitatem *pastoris et conductoris* gregis dominici non esse singularem et propriam solius Petri, sed omnibus apostolis et episcopis communem ex præfat. missæ de apost. *Quos operis tui vicarios eidem contulisti præesse pastores.* Item 1 Petri c. 5. — Distinctionem inter agnos et oves esse imaginariam, antiquitati incognitam, noviter, ad sustinendam absolutam Rom. Pontificis potestatem, inventam.

3. Nullam verbo *pascendi* inesse auctoritatem

et potestatem, quæ non æque ac amplius contineatur in illis verbis *sicut misit me Pater, et ego mitto vos.* Item *euntes docete omnes gentes.*

4. Hos et similes textus sacros, quos SS. patres etc. in varios sensus exponunt, firmum pro uno sensu, aliis exclusis, dare non posse argumentum; hinc Romanos in scriptura solidum non invenire præsidium, neque eorum desideriis in episcoporum, aliorumque gravamen ac præjudicium, concedendum esse.

NOTA.

Fallit hîc, et dolose lectores suos præoccupat Febronius, quando dicit, ex hoc textu, nos *indefinitam, illimitatam et nullo vinculo restrictam* Petri et Rom. Pontificis *monarchicam* potestatem probare, ita est, *monarchicam* inde probamus, sed non *indefinitam* et *illimitatam*, sed jugiter *temperatam*, de quibus infra.

Interim textus Joan. 21. in sensu obvio et litterali iterum per se clarum est. Petrum alloquitur Christus, quem designat nomine proprio et patris sui, *Simon Joannis.* De amore Petri, et non aliorum interrogat, *diligis me?* imo cæteros excludit, *diligis me plus his.* Ergo Petrus proprio, non aliorum, nomine, de suo amore responsum dedit: *Tu scis, Domine, quia amo te*, sequitur: *pasce oves meas, pasce agnos meos.* Omnes fideles, qui sunt in Ecclesia, sunt oves vel agni Christi: ergo omnium, id est, universalis Ecclesiæ pastor Petrus

constituitur. Nam peto : episcopi et apostoli suntne de grege Christi, vel non? suntne oves vel agni relate ad Christum summum pastorem, vel non? insanus es, si negas, apostolos fuisse oves Christi : si admittis : clare sequitur, quod Petrus fuerit etiam pastor apostolorum, dum ei Christus indistincte omnium ovium et agnorum curam commisit. Clarissime hoc comprobat, et ratiocinatur S. Bernardus, natione Gallus, et in Gallia scientiis imbutus L. 2. de Considerat. c. 8. ad Eugen. Papam. *Sunt alii cœli janitores, et gregum pastores, sed tu tanto gloriosius, quanto et differentius utrumque præ cæteris nomen hæreditasti : habent illi sibi assignatos greges, singuli singulos : tibi universi crediti, uni unus : nec modo ovium, sed et pastorum tu unus omnium pastor. Unde id probem, quæres? ex verbo Domini; cui enim non dico episcoporum sed etiam apostolorum, sic absolute et indistincte commissæ sunt oves? si me amas, Petre, pasce oves meas. Quas? illius vel istius populos civitatis? aut regionis, aut certi regni? oves meas, inquit. Cui non planum, non designasse aliquas, sed assignasse omnes? nihil excipitur, ubi distinguitur nihil, — — — ergo juxta canones tuos alii in partem sollicitudinis, tu in plenitudinem potestatis vocatus es.* Hæc Bernardus, quem alibi pro suis dicteriis egregie abutitur Febronius. Eadem fere tradidit Gregor. M. L. 4. epist. 32. ad Maurit. Aug. En igitur ideam regiminis monar-

chici in imagine pastoris et gregis, non ab Italis confictam, sed ab ipso Christo in Evangelio constitutam.

Infert Febronius : ergo cæteri apostoli et episcopi non sunt pastores? nonne et ipsis mandatum est, *pascere gregem Dei?* respondeo, falsam esse consecutionem. Christus est sacerdos primus et universalis; anne sequitur, nullum alium esse sacerdotem? Petrus est princeps apostolorum; an igitur nullus alius est apostolus? cum D. Bernardo dico, *sunt et alii janitores et pastores*, sed non universales et universæ Ecclesiæ, non sicut Petrus cum tanta auctoritate : *habent illi sibi assignatos greges, singuli singulos.* Petro *universi crediti sunt, uni unus* et totus grex, *nec modo ovium, sed et pastorum ipse unus omnium pastor.* Revera si omnes apostoli in hoc textu æqualiter fuissent constituti pastores, insulsa et irrationabilis foret Christi sententia, nam sic concluderet : quia tu, Petre, me amas plus his, ideo pascite omnes æqualiter agnos et oves meas, vosque omnes constituo æquales in ministerio et potestate.

Mandatum utique est apostolis et episcopis 1. Petri c. 5., *pascere gregem Dei :* sed quis mandavit? nonne ipse Petrus? et quem gregem? *qui in vobis est*, qui vobis creditus et assignatus est, non universum. Verum hæc luculentius ex dicendis patebunt. Ad 1. Augustinum opponit Febronius, qui ait : *non solus Petrus meruit*

pascere dominicas oves. At etiam nos, cum Petrum pastorum principem, et universalem nominamus, utique et alios pastores esse volumus, non enim esset princeps, non primus, si solus esset, neque universalis pastor particulares excludit. Verum et ipse Augustinus loco citato mox addit : *Petro primitus, quia in apostolis est primus.* Idem Lib. 2. contra Donat. c. 1. *quis enim nescit, illum apostolatus principatum cuilibet episcopatui præferendum esse.* Et psalm. contra part. Donati : *tenet me in catholica Ecclesia ab ipsa sede Petri apostoli, cui pascendas oves Dominus commendavit.*

Chrysostomum objicit : verum hic loco cit. ait, illa verba, pasce oves meas, *non ad sacerdotes solum, verum ad singulos nostrûm, quibus vel minimus grex commissus est, dicta esse.* Si ita : nonne et omnes patres – et matres familias, et magistri in scholis, quilibet superior in monasterio, et magistra inter moniales episcopi erunt? Chrysostomus aperte textum ad litteram non interpretatur, sed applicative in sensu accommodatitio et extensivo loquitur. Pari modo loquitur Basilius citatus, si tamen sit auctor constitut. monast. ibi enim alloquitur cœnobitas et horum præfectos, quibus textum Joan. 21. adplicat. Quis autem dicet, cuilibet Archimandritæ eandem in suos monachos esse potestatem, ac episcopo in suos diœcesanos? ex ipso textu advertere potuisset Febronius, aliam longe esse Basilii mentem et

interpretationem. Sic enim ait : *hoc a Christo docemur, dum Petrum Ecclesiæ suæ pastorem post se constituit.* Ecce ! Petrum vicarium Christi post se in sua Ecclesia. Pergit dein : *et omnibus præterea deinceps pastoribus ac magistris eandem tribuit potestatem.* Vides, Basilium hîc non de apostolis tantum, sed de omnibus pastoribus ac magistris loqui; an autem omnes magistri sunt episcopi ? item Basilius non dicit, hanc potestatem omnibus pastoribus, et magistris hîc loci, ubi de Petro sermo est, sed *deinceps* tribui.

Quod attinet Ambrosium, ille loco objecto non de apostolis, et episcopis tantum, sed et de omnibus sacerdotibus etiam secundi ordinis loquitur. Si valet igitur hæc sententia Ambrosii, *Petrus nobiscum oves pascendas suscepit, et cum eo illas nos suscepimus omnes*, tunc æque pugnant contra Febronium, sicque in textu Joan. 21. neque Petro, neque cæteris apostolis, neque episcopis aliquid singulare tribueretur. Alium igitur sensum Ambrosio substituat Febronius, aut nihil agit. Imo quam maxime hoc argumentum Febronio solvendum erit. Nam si omnes pastores sunt æquales, et si ex verbis Joan. 21. et Petri epist. 1. c. 5. omnes apostolos in munere pascendi pares esse contendis, etiam parochi erunt episcopis æquales, siquidem sacerdotali et pastorali munere, atque ministerio practico illi erga gregem sibi creditum non minus ac episcopi perfunguntur; quis autem epis-

coporum hoc feret, se cum parochis comparari? dicent utique, se sponsos esse Ecclesiæ suæ, curam gregis primariam et universalem totius diœceseos habere, parochos tantum ejusdem gregis portionem tenere ab episcopo sibi commissam cum dependentia etc. Idem nos de supremo pastore a Christo constituto relate ad alios pastores et cum proportione asserimus.

Omnes igitur a Febronio allati textus non sunt ad rem, contra nos nihil probant, vel etiam contra ipsum pugnant. E contra patres textum Joan. 21. communiter de solo Petro interpretantur, quos omnes adducere longum foret. Unum tantum, alterumve profero. Theophilact. in c. ult. Joan. *totius orbis ovium præfecturam Petro committit: non autem alteri, sed huic tradit.* Gregor. M. L. 5. Epist. 20. *cunctis evangelium scientibus liquet, quod voce dominica sancto et omnium apostolorum Petro principi totius Ecclesiæ cura commissa est. Ipsi quippe dicitur: Petre, amas me? pasce oves meas.* Leo M. Serm. 3. de Assumpt. sua. *De toto mundo unus Petrus eligitur, qui — — — et omnibus apostolis, cunctisque Ecclesiæ patribus præponatur. Ut quamvis in populo Dei multi sint sacerdotes, multique pastores, omnes tamen proprie regat Petrus, quos principaliter regit et Christus.* Confer. supra D. Bernard. Concil. Florent. definivit, *Rom. Pontificem omnium Christianorum patrem et doctorem existere, et ipsi in B. Petro pascendi, re-*

gendi et gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse. Nos igitur ex verbis Christi et hucusque dictis, quidquid sentiat Febronius, cum certitudine fidei colligimus, D. Petro universi gregis et totius Ecclesiæ curam demandatam fuisse.

Ad 2. Nos pariter non urget, quod Ecclesia in præfatione de Apost. canit, *quos operis tui vicarios eidem contulisti præesse pastores.* Nam nos non negamus, imo asserimus, et cæteros apostolos et episcopos esse pastores, at non universales totius Ecclesiæ, non cum tanta auctoritate, sicut Petrus, constitutos, secus tot essent Papæ, quot apostoli et episcopi. Ecclesia in missa sic orat, et omnibus sacerdotibus hanc orationem pro Papa præscribit : *Deus omnium fidelium pastor et rector, famulum tuum N., quem pastorem Ecclesiæ præesse voluisti, propitius respice, da — — — ut ad vitam una cum grege sibi credito perveniat sempiternam.* Hîc certe non intelligitur Ecclesia illa particularis romana, neque oratur pro illo particulari grege, si igitur valet illa regula a Febronio supra § 2. ex Cœlestino I. assumpta, quod lex supplicandi statuat legem credendi, nec aliter credat, et aliter oret Ecclesia, hinc credendum est, Petrum esse pastorem universalem Ecclesiæ, utique non alibi, nisi Joan. 21. constitutum.

Ex verbis Petri epist. 1. c. 5. a Febronio citatis quid concludam? utique Petrus mandat,

et quidem pro officicio tanquam pastor universalis, et mandat episcopis ac presbyteris ecclesiarum in Ponto, Gallatia, Cappadocia, Asia, Bythinia constitutis : quid mandat ? *pascite, qui in vobis est, gregem Dei*, utique non totum mundum, sed gregem quilibet suum, et ipsis commissum. Primatum hîc potius suum ostendit Petrus, et officium in episcopos exercuit, modum et formam pascendi præscribens. Hæc si attente legisset Febronius, pastorem universalem ita loquentem non induxisset.

Quod attinet distinctionem inter oves et agnos, quasi per illas episcopi, per hos cæteri fideles intelligantur, de hac non multum laboro, verbis Domini etc. sufficienter innixus. Habe tamen ex S. Eucherio Lugdun. episcopo de Nat. Apostol. *Prius*, inquit, *agnos, deinde oves commisit ei, quia non solum pastorem, sed pastorem pastorum eum constituit. Pascit igitur Petrus agnos, pascit et oves. — — — Regit et subditos et prælatos. Omnium igitur pastor est, quia præter agnos et oves in Ecclesia nihil est.* Vixit autem S. Eucherius anno 441. S. Hilario Arelat. coævus. Vel si duo dicantur Eucherii, vixit alter anno 529. S. Cæsario Arelat. æqualis. Similia fere habet Bernardus. Insignis igitur calumnia est, si dicat Febronius, hanc distinctionem imaginariam esse, et pro sustinenda absoluta Rom. Pontificis potestate a scholasticis noviter inventam.

Ad 3. Putat Febronius, verbo *pascendi*, si etiam

soli Petro dictum sit, nullam auctoritatem aut potestatem inesse, ita ut non æqualis imo amplior contineatur in illis verbis : *sicut me misit Pater, et ego mitto vos.* Et, *euntes docete omnes gentes.* At inepte et falso hoc contendit. Quantamcunque hæc verba auctoritatem et potestatem contineant, utique cum cæteris apostolis etiam Petro dicta sunt, proin ad prærogativas communes pertinent. Si quid ergo præter hæc specialiter Petro dictum est, si ei specialis cura pascendi commissa est, ei etiam quid amplius et specialius confertur. Hîc iterum audio, solum Primatum intelligi, et huc scripturæ atque patrum textus referri debere. Bene est : primatus infertur, et simul, qualis sit, intelligitur, nempe cura totius Ecclesiæ, et officium pascendi omnes oves et agnos Christi. Hanc igitur curam, hoc officium pascendi eo modo, quo Petrus non habent cæteri apostoli, secus plures essent primates, et hoc ipso nullus verus primatus.

Ad 4. Confidenter, imo audacter et falso concludit Febronius, ex eo, quod SS. patres allatos textus scripturæ varie interpretentur, romanorum, ut per contemptum vocat, sententiam in scriptura solidum non invenire præsidium, proin ab iis certiora afferenda esse.

Ego ex dictis certiora affero, et confidentius concludo. Verba textus Joan. 21. per se clara sunt, hîc loquitur de solo Petro; patres a Febronio in contrarium citati; non sunt ad rem,

et contra nos nihil probant; imo SS. patres communiter textum in nostro sensu interpretantur, distinctio inter agnos et oves non est nova, per verbum pascendi, Petro quid specialius et amplius confertur. Idem superius de textu Matthæi demonstratum est : ergo Febronius hactenus operam perdidit, et nullibi firmum præsidium invenit.

Duo falsa committit Febronius, quod præterire non possum. Statim ab initio, ut prævertat lectores, dicit, duos esse fontes, scripturam et traditionem, e quibus certa aliqua sententia aut dogma hauriri possit, hosque ita conjungit, ac si scriptura sibi ipsi nunquam sufficiat, sed semper ab interpretatione aliorum dependeat. Si Febronius theologus, et non tantum jurisconsultus esset, scivisset, hanc legem theologis et interpretibus scripturæ præ omnibus poni : non esse recedendum a sensu litterali, nisi manifesta cogat ratio. 2° ait : Ubi patrum sententiæ sunt diversæ, nullum argumentum formari posse, quod in genere dictum, etiam falsum est. Siquidem attendendum est, quomodo diversæ sint sententiæ? si revera negent, ac rejiciant multi, quod alii asserunt, admittimus regulam, usque dum accedat definitio Ecclesiæ. Si vero rem eandem tantum diverso modo exprimant, aut in diverso sensu, modo litterali, modo mystico et figurato loquantur, ita ut in substantia conciliari queant, falsissima est regula, et vix scripturæ locus esset,

de cujus sensu certi esse possemus. Quippe tunc ea interpretatio præhabenda, quæ ad sensum litteralem scripturæ accedit.

Videas hìc fallaciam simul et inconstantiam Febronii. Cum adverteret, in allatis Matth. 16. et Joan. 21. textibus clarum scripturæ sensum, mox ad interpretationem patrum provocavit, et primo quidem omnes suos, vel saltem nullum pro nobis esse finxit : postea fors sibi larvam detrahi veritus, in fine, quoad hos textus, saltem diversas esse patrum sententias fatetur, adeoque a nobis nullum certum argumentum erui posse. Quod si verum esset, nec Febronius inde aliquid probare potuit. At nos per decursum jam demonstravimus, patres et doctrinam Ecclesiæ nobis certius et apertius, quam Febronio consentire.

§ IV.

De aliis S. Scripturæ locis, quæ in hanc causam allegantur.

Affert Febronius ex Bellarmino quinque adhuc scripturæ loca, quæ romanæ curiæ advocatos in suam sententiam pertrahere, ait. Dein prosequitur.

1. Silentium S. scripturæ in re tanti momenti de absoluta monarchia et illimitata potestate Rom. Pontificis ingens excitare dubium de veritate hujus sententiæ, neque Christum Ecclesiæ satis prospexisse, si rem tantam tam obscuris et incertis expressionibus, ut sunt dicta quinque loca,

involvit, neque ex aliis textibus eam sententiam integra regna et provincias catholicas, adhibito impigro studio, invenire potuisse.

2. Scripsisse Lucam integrum librum de actis apostolorum, nullibi tamen ex iis colligi, cæteros apostolos suspexisse Petrum ut magistrum et præceptorem, minus ut talem, a cujus nutu et voluntate illorum ministerium dependeret. Contrarium potius colligi ex act. 8. v. 14. ubi apostoli audientes Samariam recepisse verbum Dei, *miserunt ad eos Petrum et Joannem*, et ut Gerson ait tract. de potest. eccles. consid. 11. *tanquam subditos Ecclesiæ.*

3. Posse interpretes exercere ingenia sua circa curiositates historicas scripturæ, et alia religioni innoxia, non vero in iis, quæ religioni et Ecclesiæ præjudicium afferre possunt, uti est systema monarchicum, ubi tot sacros textus, nullo præeunte patre, quin magis contra omnium sensum in rem suam violenter detorquent contra decretum trident. sess. 4.

4. Tournelium equidem excusare Bellarminum, quia Ecclesia nusquam declaravit, interpretationem alicujus textus scripturæ eo ipso esse rejiciendam, quod non sit ex communi patrum consensu, alias sequeretur, ex innumeris scripturæ locis nihil theologice inferri posse, cum pauca sint, quæ SS. patres non varie explicaverint. Hoc, ait Febronius, in pluribus admitti posse, non tamen in his textibus, queis Bellarminus utitur;

nam ex iisdem facile esset, quemlibet episcopum, imo et laicum supra Ecclesiam præponere.

NOTA.

Sciat Febronius, nos quidem non rogatos, nulla spe illectos, neque mercede conductos rom. curiæ advocatos, sed auctoritate scripturæ et majorum convictos, nostram sententiam in duobus supra allatis scripturæ textibus potissimum ac principaliter fundare, quamquam non desint et alia loca, quæ huic sententiæ patrocinantur. Nostrum non est Bellarminum ubivis defendere : hoc tamen et Bellarmino et cuivis theologo licet, quod alibi in S. scriptura obscure reperitur, ad illud, quod alio in loco de eadem re clarius dicitur, referre et explicare.

Ad 1. Non siluit, sed satis clare loquitur scriptura, Matth. 16. et Joan. 21. hinc illa quinque loca a Bellarmino citata, ubi Ecclesia familiæ, domui, ovili, corpori comparatur, conjuncta cum illis duobus textibus statum et formam Ecclesiæ aperte declarant. Nimium autem dicit Febronius, integras provincias et regna, hanc regiminis ecclesiastici formam ibi hucusque invenire non potuisse. Invenerunt certe patres, quos magno numero supra adduximus. Verum de hoc infra amplius videbimus. Fors Christus voce *monarchia* uti debuisset, ut tandem id subodoraret Febronius? at non proprie et in sensu stricto monarchiam in Ecclesia instituit, neque ad le-

ges monarchiæ politicæ eam gubernari voluit. Febronius autem haud sincere agit, dum semper verbo *illimitate etc.* utitur. Nam talem monarchiam in sensu Febronii in scriptura non inveniri ultro fatemur. De quibus suo loco.

Ad 2. Si legerit Febronius acta apostolorum, *Petrus apostolorum princeps et supremus præco Ecclesiæ*, ut ait Cyrill. Cateches. 11. primus inter apostolos recensetur. Act 1. utique non ratione vocationis aut ætatis, nam utraque Andreas erat prior. Item Act. 2. *Petrus et undecim.* Act. 5. *Petrus et apostoli.* Primum concilium pro electione Matthiæ convocavit, hujusque convocandi causam proposuit. Act. 1. Primus post acceptum Spiritum S., præsentibus cæteris apostolis, evangelium promulgavit. Act. 2. Et in ejus confirmationem primum miraculum patravit. Act. 3. Ananiam et Saphiram mentientes tanquam supremus a Christo veritatis judex et vindex coram apostolis publice increpando morti tradidit, et ut ait Hieron. Dei judicium annuntiavit. Act. 5. Primus, cœlesti visione edoctus, jussit gentiles baptizare contra opinionem eorum, qui ex circumcisione erant. Act. 10 et 11. Controversiam de circumcisione et legalibus non poterant finire Paulus et Barnabas apostoli, ideoque congregatur concilium Hierosolymis, et cum magna disquisitio fieret, Petrus primus sententiam dixit, ad quam conticuerunt omnes, et mox cæteri quoque apostoli secuti sunt. Act. 15. Notari me-

rentur verba vicarii Christi, quibus sententiæ suæ auctoritatem conciliavit. *Viri fratres, vos scitis, quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit PER OS MEUM audire gentes verbum evangelii, et credere.* Ecce Petrus dicit, se specialiter a Deo electum esse, ut *per os suum* audirent gentes evangelium, suam doctrinam perciperent, et crederent, et hoc dicebat coram omnibus apostolis, nemine contradicente; hæc si non singula, saltem simul sumpta, et rite expensa probant non solum primatum honoris et præcedentiæ, sed et majorem auctoritatem ac potestatem, quam Petrus præ cæteris Apostolis, et coram illis exercuit. Paulus tertio post conversionem anno, quantumvis a Deo vocatus et Spiritu S. edoctus, ascendit Hierosolymam, videre Petrum. In quem finem? *studio honoris priori apostolo deferendi,* ait S. Hieron. tom. 6. pag. 124. S. Chrysost. hom. 87. in Joan. *Petrus os erat apostolorum, et princeps et vertex ipsius cœtus, propterea et Paulus eum præter alios visurus ascendit, simul ut ei ostenderet, jam sibi fiduciam habendam.* Paulus igitur, licet a Deo vocatus apostolus, apostolatus officium exercere non ausus fuit, nisi prius honorem deferret Petro et missionis suæ rationem eidem daret: et revera quantumvis jam antea in synagogis prædicaret Christum, discipuli tamen sibi ab eo metuebant, neque ei fidebant, donec Petro de sua vocatione et missione ratio-

nem dedisset. Puto etiam, illa verba Chrysostomi, *Petrus os erat apostolorum etc.*, nonnihil dicere. Hæc omnia cum antecedentibus vel non legit Febronius, vel non suo, sed alieno oculo legit, fucumque obtendere voluit politicis, et scripturam ignorantibus, quasi Petrus, pro collata sibi potestate, nihil singulare gesserit. At ais, apostoli miserunt Petrum cum Joanne ad Samaritas? quid tum? non omnis missio imperium et jurisdictionem præsupponit. Sic Christus dicitur mittere Spiritum S. Lucæ 24. et Joan. 16. sic Josuæ 22. Israëlitæ miserunt Phineen principem suum, et teste Josepho L. 20. antiq. Judaic. Ismaëlem Pontificem. Gersonem ego non moror, auctorem privatum, et in opinione de superioritate concilii supra Pontificem nimium præoccupatum : huic oppono Cajetanum, celebrem commentatorem in S. scripturam, qui in hunc locum ait : miserunt non imperio, sed fraterna charitate, ut capitulares subinde mittunt episcopum ad aulam. Intererat autem, ut genti Samaritanæ, quæ alias implacabili schismate a Judæis dissidebat, princeps apostolorum et vicarius Christi præ aliis præsto esset, non ad prædicandum evangelium, quia Samaria jam receperat verbum Dei, sed postquam ambo apostoli Samaritis per impositionem manuum dedissent Spiritum S., Petrus eos in fide confirmaret, ordinaret eorum Ecclesiam, constituendo in ea presbyteros et episcopos, quod officium hierarchicum ad Petrum præcipue spectabat.

Ad 3. Iterum mala fide agit, et lectoribus imponit Febronius, ac si nostra sententia sit contra communem patrum sensum, et textus sacri violenter in eam detorqueantur. Jam supra ostendimus, Matth. 16. et Joan. 21. ad litteram claram esse scripturam : legat dein patres, quos longa serie pro nobis adduximus, legat eos, quos pro se inepte citavit, et nobis potius favent, et desinet toties clamare patres. Quæro hîc, quo præeunte patre, Gerson supra dixit, apostolos misisse Petrum et Joannem *tanquam subditos Ecclesiæ ?* anne fors hæc conclusio theologica est, ubi minor, quæ supponitur, nempe quod omnis missio fiat a superiore tanquam ad inferiorem, falsa est ?

Ad 4. Non ita facile ex Bellarmino concluditur, quemlibet episcopum, imo laicum supra Ecclesiam poni posse. Sed sic concluditur : si Ecclesia comparatur in S. scriptura familiæ, domui, ovili, corpori, sponsæ, tunc sicut in familia paterfamilias, in domo herus, in ovili pastor, in corpore caput, in uxore maritus pro bono regimine constituitur, sic etiam in Ecclesia non quivis, sed qui a Christo ad hoc ordinatus est, Petrus et ejus successores pro bono regimine constituuntur. Hoc argumentum theologicum est, non frivola interpretatio, et in hoc etiam valet regula Tournelii, etiamsi de eo silerent patres.

§ V.

Formam Ecclesiæ non esse monarchicam, ex Scriptura demonstratur.

Febronius ait, formam Ecclesiæ non esse monarchicam, ex scriptura claros haberi textus, et quidem quod concilia œcumenica immediate a Deo suam auctoritatem habeant ex Joan. 14. *Ego rogabo patrem, et alium paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum spiritum veritatis.* Matth. 18. *Ubi duo vel tres sunt congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* 1. Epist. Timoth. c. 3. *Ut scias, quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quæ est Ecclesia Dei vivi, columna et firmamentum veritatis.* Act. 15. *visum est Spiritui S. et nobis.* Nihil magis pro hac auctoritate, aut ab ullo mortalium pro majori robore dici et exspectari debere, ait, citatque in hunc sensum patres concilii Basiliens. ad Eugenium P. Pergit, singulis apostolis, ne primo quidem excepto, a Christo dictum esse, ne vocentur rabbi, Patres, quia omnes sunt fratres, et unus est pater in cœlis, et magister Christus. Matth. 23. item quod auctoritas Papalis ab Ecclesia dependeat, erui ex Matth. 18. *si peccaverit in te frater tuus, vade, et corrige eum. — — — Si non audierit eos, dic Ecclesiæ* etc. Hîc, sub fratris nomine, etiam Papam intelligi, qui si corripientem fratrem non audierit, denuntiandum esse Ecclesiæ in concilio congregatæ, quod fieri non posset, si ipse foret Ecclesia superior.

1. et 2. Hoc argumentum confirmat ex Gersonio tract. de Potest. Eccles. consid. 4. qui citato textu etiam Papam comprehendit, ubi potestatem excommunicandi, definiendi, decernendi, obligandi multimodo principalius in Ecclesia, quam in Papa esse ait.

3. Omnes apostoli sunt fratres et membra ejusdem corporis : unum autem membrum minorem auctoritatem habet, quam totum corpus. In nullo statu monarchico subditi fratres Regis dicuntur, nec princeps membrum reipublicæ. Naturale est Ecclesiæ, etiam ex instituto Christi coire in corpus, seu collegium, quod non sit in statu monarchico, ut subditi collegialiter deliberent, et statuant. Quare Ecclesia tanquam corpus major est auctoritate, quolibet membro. Hinc Hieron. ait : *si auctoritas quæritur, orbis major est urbe.*

4. Ex Petavio Lib. 3. de Eccles. hierarch. c. 15. Monarcha definitur, cui regendi, gubernandi, imperandive suprema et ultima potestas inest, a qua magistratuum omnium auctoritas manat, dispersa per singulos : et ad eam tanquam fontem revocatur. Quærit Febronius : si ita, cur non Christus apostolos pro accipienda potestate ad Petrum misit, cur ipse immediate eos vocavit, et potestatem contulit ?

NOTA.

Mirum ! textus Matth. 16. et Joan. 21. qui cuivis legenti tam clari sunt, ut ex verbis et

circumstantiis de nullo alio, quam solo Petro intelligi possint, Febronio tamen ita obscuri sunt, ut eos potius ad omnes apostolos detorqueat, patresque in hunc sensum aptet et cogat. Nunc autem textus producit, quos claros esse dicit, cum tamen neque ad rem sint, nec in his explicandis convenienti testimonio fulciatur. Equidem Basileenses schismaticos et Gersonem ego non curo. Ad patres supra provocavit Febronius, horum testimonia oportuisset adducere. Idcirco majori ego jure ipsi sua verba supra §. 4. num. 3. in proprium sinum repono, *quod tot sacros textus nullo præeunte patre, quin magis contra omnium sensum in rem suam violenter detorqueat contra trident.* Febronio consultius fuisset in titulo a verbo, DEMONSTRATUR, abstinere, cum formam Ecclesiæ non esse monarchicam, ex scriptura ne quidem ad verisimilitudinem probare possit. Videamus autem, sin vera sint.

Conciliorum generalium auctoritatem immediate a Christo esse, ait Febronius, erui ex Joan. 14. admisso hoc, quid sequitur : ergo regimen Ecclesiæ non est monarchicum? anne concilia œcumenica semper præsto sunt? an Ecclesia extra concilia non regitur? an concilia quotidie, sicut in civitate magistratus congregari possunt? dein unde constat, in cit. textu Joan. 14. de conciliis sermonem esse : certe de his nec verbo fit mentio. Consolatur Christus discipulos de discessu suo, promittit eis consolatorem Spiritum Sanc-

tum, qui suggerat eis veram doctrinam et omnem veritatem, quique cum ipsis maneat in æternum. Infallibilitatem Ecclesiæ in genere inde quidem eruimus : at nihil hîc de conciliis, multo minus de modo et forma regiminis agitur. Imo textus nequidem de apostolis, ut in concilio congregatis loquitur. Nil igitur contra formam monarchicam concluditur. Idem aperte sensus est 1. ad Timoth. 3. nempe de Ecclesia in genere, non de ea ut congregata in concilio. Matth. 18. ne quidem de Ecclesia, minus de conciliis mentio fit; sed manifeste ad quosvis fideles pertinet, quod ibi dicitur. Nempe si duo in nomine Christi petierint aliquid, fiet illis a patre cœlesti, quia ubi duo vel tres sunt congregati in nomine Christi, ibi Christus in medio eorum est. Hoc solum per consequentiam, quod argumentum theologicum vocatur, inde deducimus : si ubi duo vel tres congregati in nomine Christi petant aliquid, Christus in medio eorum est, et certo exaudiantur, multo magis in medio erit, et exaudietur tota Ecclesia, et pastores in concilio in unum congregati. Textus ergo per se nec loquitur de concilio, neque de forma regiminis, sed tantum promissio et assistentia Christi pro concilio per conclusionem theologicam inde eruitur. Sic ex eodem textu argumentantur S. Gregor. M. Lib. 7. Epist. 110. Concil. Chald. epist. ad Leon. P. Synod. VI. Act. 17. Quod si verba textus in sensu Febronii sumantur, sequitur, etiam concilia par-

ticularia, imo duos vel tres parochos aut cives, in nomine Christi congregatos, esse infallibiles. Pari sensu illud Act. 15. intelligimus, in quo concilio Petrus præsedit, et primus sententiam dixit. Auctoritatem et infallibilitatem conciliis legitimis generalibus non negamus : at non de hoc quæritur, neque Ecclesia in concilio semper est collecta : de forma et modo regiminis quæritur tum in, tum extra concilia. Febronius ergo extra scopum aberrat.

Porro quid sibi hoc loco vult textus Matth. 23. *nolite vocare rabbi* etc. *Patrem nolite vocare vobis super terram?* Paulus seipsum vocat Doctorem gentium. 1. Timoth. 2. Et utique licet filio genitorem suum appellare patrem? manifeste hîc sola prohibetur arrogantia et affectatio honoris, atque insinuatur, unum esse tantum principaliter et per excellentiam magistrum Christum, et unum patrem in cœlis. Hæc, quæ in cit. textu dicuntur, nequaquam infinite absunt ab omni idea monarchæ, ut ait Febronius, non enim de illa hoc loco agitur : verum Febronius longissime abest a genuino sensu et interpretatione textus. Imo si vellemus argutari, diceremus, eo ipso apostolos fuisse revera magistros et doctores; si enim non fuissent, quare Christus eos hoc nomine solum ob humilitatem et in sui reverentiam appellari prohibuit? item eo ipso inter eos unum fuisse primum et quasi patrem; nam quare non dixit : nolite vocari patres, sed po-

tius nolite vobis vocare patrem, nisi quia revera unus inter illos erat pater, pastor et princeps præ aliis ordinatus : attamen ne obliviscantur patris summi et æterni, qui in cœlis est. Verum his adminiculis non indigemus.

Sequitur textus Matth. 18. v. 15. *si peccaverit in te frater tuus.* Verum qualem correctionem, quid sub nomine *fratris* et *Ecclesiæ* intelligit Febronius? hæc verba, item et illa, *dic Ecclesiæ,* ad Petrum dicta esse contendit. At hoc falsum est. Ex integro textu patet, quod Christus ad omnes discipulos locutus fuerit, quippe primum v. 21. dicitur, *tunc accedens Petrus ad eum dixit* etc. si igitur tantum postea Petrus ad Christum accessit, et cum eo collocutus est : ergo prius nondum cum solo Petro loquebatur Christus. Ait ulterius Febronius tom. 2. apolog. p. 227. etc. in antiquis missalibus in missa feriæ tertiæ post dominicam tertiam quadragesimæ, evangelium sic legi : *in illo tempore, respiciens Jesus in discipulos suos, dixit Simoni Petro : si peccaverit in te frater tuus.* Postea loco illorum verborum positum fuisse : *Dixit Jesus discipulis suis* etc. Hanc mutationem a correctoribus romanis, Bellarmino et collegis suis factam esse; quia prior lectio Petrum Ecclesiæ subjectum perspicue declarabat, atque similes mutationes, quæ illorum prætentionibus officiunt, a genio romanorum alienas non esse, testes hujus rei adhibet Richerium, Balluzium, Pereiram. Verum ostendat Febronius, qua auc-

toritate illa priora missalia prodierint, utrum debitâ solertiâ revisa, correcta etc.? saltem lectio horum missalium cum textu vulgatæ non consentit, ubi verba illa : *dixit Simoni Petro*, non leguntur : hæc autem vulgata a concilio tridentino in omnibus suis partibus approbata est, habuitque jam prius auctoritatem ab antiquissimis sæculis roboratam, ad hujus igitur formam correctio facta fuit : præterea, teste Pio V, in bulla anno 1570 consulti sunt antiquissimi codices minus corrupti tum vaticanæ, tum aliarum insignium bibliothecarum. Clemens VIII. anno 1603. in sua constitutione queritur, a tempore Pii V. iterum multa in missali, præcipue in textibus epistolarum et evangeliorum circa eorum initia perturbata et mutata fuisse. Si igitur a tempore Pii V. usque ad Clementem VIII. non obstante severissima prohibitione, nihilominus multa iterum mutata sunt, an non prioribus temporibus, ubi nulla talis cura adhibebatur, nec talis prohibitio existebat, etiam tantæ mutationes fieri potuêre. Correctio dein facta est non arbitrarie, sed ad normam et verba vulgatæ a concilio universali approbatæ, et hoc solum eam justam et authenticam esse convincit, dum interim ab adversariis alia lectio quidem ex missalibus ostendi, hujus tamen auctoritas vel authentia demonstrari non potest.

Insigniter quoque falsum est, textum in forma a Febronio allata *per multa sæcula* et *in omni-*

bus antiquis missalibus, uti hic ait, in Ecclesia legi, tum quia ne quidem missale ante Constant. concilium producere possit, in quo textus eo modo legatur, tum quia correctio non tantum ad textum nostræ vulgatæ, ut dixi, sed etiam ad antiquiores codices et missalia, in quibus illa verba non inveniebantur, facta fuit.

De calumnia igitur postulari debet Febronius, dum præstantissimo cardinali Bellarmino et sociis correctoribus audacter affingit, eos Clementi Papæ suggessisse, ut verba illa, *dixit Jesus Simoni Petro,* expungeret : et deinceps legeretur, *dixit Jesus discipulis suis*, et hoc solum ideo, ne Petrus videatur subjectus Ecclesiæ. Denique ut italos de crimine depravationis jure accusare videatur, atque lectores facilius ei fidem adhibeant, eos ad Edmundum Richerium, Balluzium et Antonium Pereiram remittit. Verum ipse Febronius tom. 1. append. 1. Richerium vocat osorem papatus et inimicum Pontificum, similia de Balluzio et Antonio Pereira ostendi possunt. Num hi igitur accusatores et testes idonei esse possunt?

Jam ad textum Matth. 18. revertamur, in quo cum Febronio, Gerson, Tostatus, Almainus, Ocham, Joannes major, Nicolaus Cusanus, Sarpius, Richerius sibi multum gloriantur. Inprimis textus manifeste loquitur de peccato et offensa privata, et correctione fraterna, *si peccaverit IN TE frater tuus, tunc corripe inter TE ET IP-*

SUM SOLUM. Hoc non proficiente, malum tantum manifestetur inter unum vel duos etc. Sermo igitur non est de correctione paterna aut judiciali, quippe hæc ad solum patrem et superiores pertinet, neque tenetur pater filium, judex reum prius apud alios deferre. Dein *dic Ecclesiæ.* Hìc sub nomine Ecclesiæ intelligitur pastor vel prælatus illius particularis ecclesiæ, cujus frater peccans membrum est; prælatus enim repræsentat Ecclesiam, sicut magistratus rempublicam. Ita S. Chrysost. Theophilact. Euthym. quod si per Ecclesiam hoc loco, nec Petrus, nec Papa, nec apostoli singulatim sumpti intelliguntur, tunc etiam nec episcopi, nec Rex aut princeps subintelligi possunt : igitur hi de injuriis proximo illatis non possent judicare, nec incorrigibiles reprimere, nec excommunicare ab Ecclesia, sed sola tota Ecclesia. Congregari igitur debet concilium generale, quotiescunque privata offensa vindicanda, corrigendus aliquis protervus, aut excommunicatio in aliquem induratum ferenda. Quis hæc non rideat? certe Petavius hoc ridendum putat, Du Hamel et Calmetus ipsi Galli, hìc per Ecclesiam pastores et præsidentes Ecclesiæ interpretantur. Quod si tamen Papa privatim peccaret in fratrem, fraterne etiam moneri posset cum reverentia ab uno vel pluribus, quod si non audiret, ulterius deferri non potest, quia non habet prælatum superiorem se, sed ut ait S. Thomas, tolerari debet, et recurri ad

Deum. Hæc si in Papa capere non potes, capies utique in monarcha politico, de quo eandem sententiam defendere debes.

Si autem Febronius velit, solum respectu Papæ *per Ecclesiam* intelligi concilium, non vero respectu aliorum, de quibus, ut dixi, neque intelligi potest, hoc utique esset, sensum textui pro libitu affingere et adplicare.

Quæro dein: si quis peccaret in Papam, factaque monitione unius vel plurium non resipisceret, an Papa deberet convocare concilium et eum deferre? hoc utique non dices, quod est contra praxin totius antiquitatis et Ecclesiæ a tempore apostolorum usque huc; sed ipse Papa habet potestatem corrigendi et plectendi talem inobedientem; per Ecclesiam ergo non intelligitur concilium, sed solum superior in Ecclesia habens potestatem judicandi, excommunicandi, interdicendi etc. Ex his jam patet, quid sentiendum sit de argumento Gersonis num. 1 èt 2 allatum, quippe hic textum tam inepte, quam ipse Febronius interpretatur.

Ad 3. Febronius totum scopum aberrat, falsoque concludit: etiam Christus Matth. 28. apostolos vocat fratres: ergo Christus et apostoli sunt æquales? Christus est caput Ecclesiæ, nosque membra ejus, *quis autem dubitet*, verba Febronii sunt, *uni membro minorem esse auctoritatem, quam toti corpori?* caput vero est etiam membrum, ergo Christus minorem auctoritatem

habet, quam totum corpus Ecclesiæ. Quis talia ratiocinia admittet, et tamen Febronii sunt.

Dicimus itaque, quod Papa frater noster sit, et coepiscopos fratres appellat, idcirco nihil de ejus auctoritate decedit æque, ac dum Christus apostolos fratres suos nominavit. Dein in toto corpore intelligitur etiam caput, et in hoc sensu majus est auctoritate singulis membris seorsim sumptis. Idem dicimus de Ecclesia, vel concilio, Pontifice etiam tanquam capite computato: at sine hoc neque totum, neque perfectum corpus est. Esset quidem extensive et multitudine majus, non vero intensive et auctoritate. Nam sicut caput in corpore est pars dominans ac regens, atque in hoc sensu non est cæteris membris auctoritate inferius: sic neque Pontifex respectu aliorum episcoporum in concilio. Hoc sensu S. Gregor. citat. lib. 5. epist. c. 18. dicit, Petrum esse primum membrum totius Ecclesiæ, cæteros apostolos tantum singularium plebium capita, omnes autem esse membra sub uno capite Christo. Non negat, Petrum esse caput Ecclesiæ, sed tantum respectu supremi capitis Christi, vult esse membrum, et quidem primum et sic esse caput universalis Ecclesiæ, sicut cæteri apostoli capita singularium plebium.

Pariter quod Ecclesia coeat in corpus seu collegium, quod princeps vocetur membrum reipublicæ, secus ac in regnis monarchicis fieri solet, rationem mox infra dabimus. Nec denique ef-

fatum Hieronymi ad rem est. Non enim hìc comparat auctoritatem Pontificis cum auctoritate concilii vel Ecclesiæ, sed consuetudinem particularem urbis Romæ, a Pontificibus nunquam approbatam, vi cujus diaconi se æquiparabant presbyteris, cum consuetudine aliarum Ecclesiarum, dicitque has propterea non debere a suis moribus et consuetudine recedere.

Ad 4. Ludit potius, quam argumentatur Febronius. Quis enim dicit, Christum constituendo Petrum caput et rectorem totius Ecclesiæ, ita abdicasse suam potestatem, ut non potuerit aliquam conferre cæteris apostolis? et si non abdicavit, nihil obstat potestas Petri, quominus etiam conferat aliquam reliquis.

Cæterum, cum Febronius continuo omnia misceat, et in Ecclesia potestatem monarchicam qualemcunque pro libitu, imo despoticam frivole supponat, aut saltem a nobis affirmari fingat, interest, ut circa hoc punctum sensum nostrum apertius explicemus. Hinc oritur nobis quæstio:

Utrum regimen Ecclesiæ sit monarchicum?

Nolim ego multum de nomine ac vocibus litigare. Nam apud omnes certum est, Ecclesiam non esse collegium mere pædagogicum, neque ejus supremam potestatem esse penes principes ac magistratus civiles, uti volunt protestantes; quippe hoc ipsum quantum a praxi trium pri-

morum sæculorum alienum sit, nemo non videt : sed esse rempublicam sacram, in qua alii sunt imperantes, alii obedientes; Christus enim in Ecclesia imperium non negavit, sed tantum modificavit, primum a regimine regum gentium, dein a se ipso sumens exemplum : *vos autem non sic*, scilicet despotice, sicut Reges gentium, sed sicut ego, qui summus præceptor, et dominus vester ministravi vobis, sicut unus ex minimis. Quis vero Christo in Ecclesia summum denegat imperium? jam vero hoc imperium adhucdum, utrum monarchicum sit, videamus?

Respectu Christi, imperium in Ecclesia esse proprie et perfecte monarchicum, nemo negabit. Ipse enim est supremus et independens doctor, legislator, rex, dominus et monarcha. Pater cœlestis de cœlo jussit, eum audire, *ipsum audite.* Matth. 3. quo declaratur doctor et magister totius orbis. De Christo dicitur psalm. 2. *ego autem constitutus sum rex super Sion, montem sanctum ejus, prædicans præceptum ejus.* — — — *Et nunc reges intelligite, erudimini, qui judicatis terram. Omnia tradita sunt mihi a Patre.* Matth. 11. *data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra.* Dein ut præteream innumera prophetarum, tum alia veteris et novi testamenti testimonia, nonne Christus propria auctoritate Ecclesiam, quæ est regnum ejus, fundavit, leges et præcepta dedit, ministros et pastores

ordinavit, præmia merentibus, et supplicia male facientibus æterna constituit, omnis potestas ab eo solo in Ecclesiam manavit, quæ dispersa per singulos ad ipsum tanquam ad fontem revocatur? Ejus potestas est suprema et independens. Num quid amplius pro supremo monarcha desideres? nisi forte fastum, pompam, et externa potestatis insignia adesse velis? verum hæc sua doctrina et miraculis ita supplevit, ut etiam dæmones coram ipso contremiscerent, et homines stupore ac reverentia perfunderentur.

Porro Christus ex hoc mundo discedens ad patrem, anne formam regiminis immutavit in Ecclesia, aliamque substituit? nequaquam: mansit et adhuc est supremus legislator, dominus, monarcha et caput Ecclesiæ, quantumvis invisibile. Verum, quia ipsum tanquam præsentem videre, audire et percipere non possunt subditi fideles, ideo fecit, quod facit aliquis monarcha diu absens, aut in longe a se dissito regno suo. Hic interim constituit cum suprema potestate sui vicarium, cui tamen ipse certas leges et conditiones pro gubernandis populis præscribit, ipse denominat inferiores præsides provinciarum et civitatum, ita tamen, ut huic suo proregi et vicario sint subordinati, eique de officio suo rationem reddere teneantur; hic vero eorum administrationi intendere, negligentias supplere, defectus corrigere, exigente necessitate, novis mandatis instruere, et si bono communi aut ipsi

monarchæ noxi inveniantur, eos deponere, aliosque, qui tamen qualitates a monarcha præscriptas habeant, instituere possit, ac debeat. Nihilominus in rebus summi momenti, unde salus regni et populorum dependet, hi præsides cum prorege et regni vicario conveniant, deliberent, atque cum ipso pro bono communi concludant. Anne hoc regimen non amplius est monarchicum, ubi omnia quidem vicario modo geruntur, nomine tamen et auctoritate unius ordinantur?

Talem ordinem regiminis ecclesiastici a Christo constitutum fuisse, constat ex dictis, et ex dicendis adhuc amplius constabit. Posuit apostolos omnes et eorum successores tanquam columnas et fundamenta Ecclesiæ, sicut monarcha præsides provinciarum columnas regni sui: posuit eos regere Ecclesiam Dei, quemlibet portionem et Ecclesiam sibi commissam, sicut quilibet præses provinciam vel civitatem suæ curæ traditam; imo posuit eos, etiam concurrere et curam habere pro universa Ecclesia, vel referendo ad primates et Ecclesiæ caput, vel statuendo et definiendo in concilio, et hæc est sollicitudo omnium ecclesiarum, sicut præsides provinciarum in conventu regni cum vicario statuere debent: Dedit eis jurisdictionem et potestatem ligandi atque solvendi, sicut præsides potestatem habent jus dicendi et gubernandi, et hæc quidem omnibus apostolis communia sunt. At præterea unum

tanquam sui vicarium cum suprema potestate elegit, nempe Petrum, cui cæteros omnes subordinavit : non enim frustra ipsum, mutato nomine, specialiter Petrum Ecclesiæ suæ constituit, cum alias jam esset fundamentum sicut cæteri apostoli : non ei frustra claves, auctoritatis et potestatis amplissimæ insignia dedit cum facultate ligandi et solvendi, cum hanc utique jam haberet communem cum cæteris apostolis : non ei soli frustra cum tanta verborum energia et repetitione omnes suas oves et agnos pascendos dedit : non denique frustra Christus oravit, ne deficiat fides in Petro, et jussit ei, confirmare fratres suos. Hæc nisi quid singulare pro Petro significent, dicerem ego, nec ista, nec alia pro reliquis apostolis aliquid significare. Verbo : illa omnia ad Petrum dicta vel nihil omnino significant, vel contra claram litteram ad omnes æqualiter apostolos referenda sunt, vel saltem primatum pro Petro singulariter indicant. Primum absque blasphemia non audes asserere. Si secundum : ergo nec primatus *nudi* directorii inferri poterit ? si tertium, tunc non solum primatum honoris, præcedentiæ, sed veræ potestatis et jurisdictionis admittere debes : equidem illa verba ad omnes apostolos dicta, *quodcunque solveritis, quodcunque ligaveritis* etc. veram jurisdictionem important : ergo dum Petro adhuc specialiter cum traditione clavium dicitur, *quodcunque solveris, quodcunque ligaveris* etc., specialis po-

testas et jurisdictio tribuitur. Sic etiam verbum *pascendi* in SS. litteris summam designat potestatem et jurisdictionem, imo regium officium. Ita 2. Reg. 5. ad David Deus loquitur per prophetam : *tu pasces populum meum.* Et Isai. 44. *Ego dixi Cyro, pastor meus es tu.* Hinc S. Leo in annivers. assumpt. de Petro dicit : *tu quoque petra es, quia mea* (Christi) *virtute solidaris, ut quæ mihi potestate sunt propria, sint tibi mecum participatione communia.* Ecce potestatem supremam, sed tamen vicariam! quid multa? omnes, et ipse Febronius per illa verba Petri, *pascite, qui in vobis est, gregem Dei,* potestatem et jurisdictionem intelligunt : ergo et per illa verba Christi ad Petrum, *pasce oves meas,* potestas et jurisdictio intelligi debet, et quidem summa ac universalis, quia omnes, sine exceptione, oves ei commissæ sunt, et pastor universalis constituitur.

Præterea utique talis est forma et regimen Ecclesiæ, qualis in S. scriptura demonstratur. At ibi Ecclesia comparatur, et vocatur una *familia* Matth. 24. una *vinea* Matth. 21. unum *regnum.* Ibid. unum *ovile.* Joan. 10. unum *corpus.* Rom. 12. una *navis.* 1. Petri 3. omnia autem hæc ab uno supremo gubernatore reguntur : familiæ cum auctoritate et potestate præest paterfamilias, vineæ dominus ejusdem, regno rex, ovili pastor, membris caput, navi navarchus, et omnes hæ figuræ ad demonstrandum regimen mo-

narchicum aptissimæ sunt. Quis ergo dubitet, illud constitutum esse in Ecclesia?

Jam quid amplius desiderat? forte, quia nomina *monarchia*, *monarcha* in scriptura et patribus non inveniuntur, ideo rem per ista nomina significatam negabit? ergo litem de nomine instituet? nonne sufficit ibi rem poni et significari, quidquid de nomine sit. At hoc non obstante Richerius, quem toties exscripsit Febronius, statum Ecclesiæ *monarchicum*, et Papam *monarcham* appellat. Hoc non obstante, Petrus de Alliaco, Natal. Alexander, Petrus de Marca, Gibert, aliique Galli regimen Ecclesiæ *monarchicum* esse dicunt. Hoc non obstante, Gerson Cancellarius Consid. 1. de statu Eccles. sic ait. *Status papalis institutus est a Christo supernaturaliter et immediate, tanquam primatum habens monarchicum et regalem in ecclesiastica hierarchia, secundum quem statum unicum et supremum Ecclesia militans dicitur una sub Christo. Quem statum quisquis impugnare, vel diminuere, vel alicui ecclesiastico statui particulari coæquare præsumit, si hoc pertinaciter faciat, hæreticus est, schismaticus, impius atque sacrilegus. Cadit in hæresin toties expresse damnatam a principio nascentis Ecclesiæ usque hodie, tam per institutionem Christi de principatu Petri super alios apostolos, quam per traditionem totius Ecclesiæ in sacris eloquiis suis et generalibus conciliis.* Vides Febronium hoc testimonio in multis om-

nino feriri. Idem tract. de Potest. Eccles. Consid. 9. *Christus voluit Ecclesiam suam regi principaliter sub uno et ab uno monarchice sicut est una fides, unum baptisma et una Ecclesia unitate capitis tam primarii, quam vicarii : quoniam iste est optimus principatus, præsertim in spiritualibus ad conservationem unitatis fidei, ad quam obligantur omnes.* En! Papam monarcham, en! principatum optimum in spiritualibus. Fateor equidem, nomen *monarchia* Ecclesiæ non univoce convenire, sicuti corpori politico; in hoc tamen ambo conveniunt, quod ab uno tanquam supremo principaliter regantur, atque in hoc sensu regimen Ecclesiæ dicimus monarchicum. Quippe regimen Ecclesiæ vel residet in omnibus, vel in aliquibus, vel in uno, vel in nullo : si primum, erit democratia, si secundum aristocratia, si tertium monarchia, si quartum anarchia et regimen nullum. Duo prima negat Febronius, qui tom. 1. append. 3. pag. 42. aperte ait, *de fide catholica esse, formam Ecclesiæ nec esse democraticam, nec simplicem aristocraticam.* Tertium, quod sit *monarchica*, toto nisu contradicit Febronius : *totum præsens opus nostrum*, ait tom. 1. c. 1. § 9. *in eo versatur, ut ejiciamus ex animis Italorum, et quorumdam aliorum, ideam status monarchici in Ecclesia.* Quid igitur restat, nisi anarchia, ut adeo nullum sit regimen in Ecclesia? quod hæreticum est. Ecce, in quem labyrinthum se involvat Febronius!

Interim ideo nomina *monarcha*, et *monarchia* in scripturis et patribus non reperiuntur, quia Christus noluit regimen Ecclesiæ, quantumvis monarchicum ad modum monarcharum politicorum pro libitu, arbitrarie, vel etiam despotice, potestate dominante, sed, charitate serviente, exerceri; tum etiam quia, respectu Papæ, non est *proprie* et *perfecte* monarchicum, quia ipse non propria, sed vicaria potestate regit. Ex his

Sequitur 1° falsissimum esse, quod Febronius semper repetit, et lectoribus ad nauseam usque inculcat, ideam status monarchici in Ecclesia ortum habere ex falsis decretalibus Isidori, quippe ex hactenus dictis constat, nos sola scriptura, nulla vero omnino falsa decretali inniti, de qua fallacia et impostura lectorem non abs re ad noscendum Febronii animum serio admonitum esse volo.

Sequitur 2° quod Papa teneatur regere Ecclesiam conformiter ad leges præstabilitas juris naturalis et divini; ipse enim tantum vicarius est; hinc leges naturales et divinas nequaquam abrogare, mutare, neque pro libitu et proprie in iis dispensare, bene tamen interpretari potest.

Sequitur 3° quod teneatur reverentiam habere legibus universalibus Ecclesiæ et canonibus, qui spiritu Dei conditi sunt. Quod enim ab apostolis, vel ab universa Ecclesia in œcumenicis conciliis, quæ habent assistentiam Spiritus Sancti,

vel antiqua praxi et consuetudine totius Ecclesiæ semel statutum et consecratum est, vicarius Christi non potest de iis perperam et pro libitu disponere, abolere, quia ei potestas in totam Ecclesiam solum data est in ædificationem, non in destructionem. Hinc Tertullian. L. de Præscript. c. 8. *nobis nihil ex arbitrio indulgere licet. — — — apostolos Domini habemus auctores, qui nec ipsi quidquam ex suo arbitrio, quod inducerent, elegerunt, sed acceptam a Christo disciplinam fideliter nationibus assignaverunt.* Potest nihilominus pro exigentia necessitatis, vel boni Ecclesiæ in iis dispensare, eis derogare, mutare etc. vel alias pro casu necessitatis providere; hæc enim variari et antiquari posse constat in lege concilii apostolici de sanguine et suffocato, de canonibus pœnitentialibus etc.

Sequitur 4° Papam posse leges condere novas exigente vel necessitate vel bono Ecclesiæ, et ad has omnes fideles obligare, et hoc quidem non ex consensu tacito Ecclesiæ, sed ex præsumpto Christi, cujus assistentiam habet, quia non est vicarius Ecclesiæ, sed Christi, sicut prorex non nomine, auctoritate et consensu subditorum, sed nomine et auctoritate sui monarchæ, cujus vicarius est, leges condit.

Sequitur 5° omnes controversias et lites tandem ad ejus tribunal deferri et finiri debere, quamdiu principalis monarcha est inaccessibilis, sicut controversiæ particularium provinciarum ad

tribunal proregis, sive dein per se, sive pro gravitate causæ in concilio rem definiat.

Hactenus dicta ab iis etiam admittuntur, qui regimen Ecclesiæ quidem monarchicum, sed aristocratia temperatum esse volunt, uti Bellarminus; siquidem hi contendunt, quod potestas Papæ sit immediate a Deo, universalis, et a cæteris membris inferioribus independens, quamvis episcopi etiam potestate propria, aut a Deo accepta regant ecclesias particulares, atque in conciliis ut veri judices definiant, nihilominus quoad exercitium suæ potestatis eidem subordinentur, eo ferme modo, quo supra de præsidibus provinciarum dictum est. Qui vero regimen Ecclesiæ simpliciter et pure monarchicum esse volunt, ut Card. de Luca, hi vocem *monarchia* non in tam lato sensu intelligunt, ut potestas Papæ sit arbitraria, illimitata, nullisque legibus aut regulis restricta, sed solum evincunt, ejus potestatem non esse ab Ecclesia, nec Ecclesiæ subjectam, neque quod in ejus exercitio ab Ecclesia dependeat. Hæ autem sententiæ reipsa in idem fere recidunt, nisi litem de nomine movere velimus.

Febronius igitur, dum per regimen monarchicum Ecclesiæ *dominatum absolutum, arbitrarium, despoticum, illimitatum, nullisque regulis restrictum* intelligit, et hos terminos ubique immiscet, vel a toto scopo aberrat, vel talem sensum et modum regiminis solum ad conflandam

invidiam nobis affingit, quod a viro prudenti et honesto longissime abesse debet. Nihilominus invidiosis illis objectunculis, quibus sua commenta amplius hinc inde firmare nititur, nos per decursum congrua responsa dabimus.

§ VI.

Potestas clavium universitati Ecclesiæ a Christo data est. Illam hæc per ministros suos exercet. Inter quos Rom. Pontifex primarius quidem est, nihilominus universitati subjectus.

Febronius ita orditur : quando anterioribus §§ probavimus, non unum Petrum esse fundamentum Ecclesiæ, neque illi soli traditas esse claves cum potestate solvendi atque ligandi, illud volebamus, et debebamus inferre, *Petrum solum non esse subjectum immediatum potestatis ecclesiasticæ*, sed clavium potestatem *universitati Ecclesiæ* proprie et ita transscriptam esse, ut illa per ejus ministros pro sua cujusque portione, ac inter hos per Summ. Pontificem exerceatur. Hanc dicit communem theologorum Galliæ sententiam tam veterum, quam recentiorum. Citat dein Alphonsum Tostatum in c. 13. Num. quæst. 48. qui ait, claves non esse datas Petro aut apostolis, tanquam determinatis personis, sed tanquam ministris Ecclesiæ, ideoque magis toti Ecclesiæ, quæ eas habeat *radicaliter* secundum *originem* et *virtutem*, prælati

autem Ecclesiæ tantum *quoad usum.* Dein in confirmationem adfert.

1° Tridentinum sess. 14. can. 15. *si quis dixerit, claves Ecclesiæ datas etc.* sess. 15. *cum potestas conferendi indulgentias a Christo Ecclesiæ data sit.* sess. 14. c. 5. *neque enim per Lateranense concilium Ecclesia statuit.* Item sess. 25. *cum Ecclesia catholica in sacris conciliis, et novissime in hac œcumenica synodo docuerit.* In his duobus locis, ait, Ecclesia distiguitur a concilio. Dein in professione fidei a Pio IV. edita dicitur, sanctæ Matris Ecclesiæ esse, judicare de vero sensu, et interpretatione scripturæ; si ad Ecclesiam pertinet judicare, infert Febronius, hæc potestas illi a Deo collata est, quam per suos ministros exercet.

2° Omnibus retro sæculis hanc fuisse patrum sententiam, citatque Tertullian. Scorpiac. c. 10. Augustin. lib. de agon. Christian. c. 30. Item tract. 50. in Joan. quam interpretationem etiam Gratianus caus. 24. quæst. 1. c. 6. adoptat. Item August. tract. 124. idem serm. 108. de divers. Cyrill. Alexand. lib. 12. sup. Joan. v. 22. Fulgent. lib. 1. de remiss. peccat. c. 19. item. c. 24. et lib. de fide ad Pet. c. 3. Gregor. I. lib. 6. exposit. in c. 16. lib. I. Reg. c. 3. Beda in c. 19. Matth. Idem homil. de S. Petro. Ili omnes dicunt claves Ecclesiæ datas esse, et Petrum, dum eas accepit, figuram Ecclesiæ gestasse; alia plurima adhuc patrum et doctorum testimonia, con-

tinuata serie usque ad concil. Tridentinum referre Launoium epist. ad Hadrian. Vallantium.

3° Hinc ulterius infert, cum Ecclesia potestatem *principaliter* et *radicaliter* habeat, eam juxta propriam suam dispensationem, id est, canone regi, concilii auctoritatem superiorem esse illa cujusque ministri, etiam Papæ, hunc non posse abrogare legem in concilio universali latam, nec in ea dispensare, nisi consensu saltem præsumpto concilii, episcopos in synodo generali congregatos esse judices omnium controversiarum ecclesiasticarum et personarum, etiam Pontificum Rom. frequentem conciliorum celebrationem perutilem esse, et vix non necessariam.

4° Romanæ curiæ fautores uti hisce effugiis: claves in persona Petri non tam ipsi Ecclesiæ, quam in *commodum totius Ecclesiæ* datas esse, item hoc non fuisse privilegium Petri, ejus morte finiturum, sed ejus primatui perpetuo adhæsurum, et in hoc sensu Ecclesiam accepisse claves, quia in ipsa per summos Pontifices semper subsistent. Verum has interpretationes utut de se bonas ac veras non exhaurire totam vim traditionis. Citat dein iterum Augustinum serm. 149. *nunquid istas claves Petrus accepit, et Paulus non accepit?* Item tract. 2. in Joan. *Petrus universam significat Ecclesiam. Ergo si* apostoli *personam gerebant Ecclesiæ, sic eis hoc dictum est, tanquam ipsi diceretur Ecclesiæ.* Idem lib. 3. de Baptis. c. 4. denique Natal. Alexand. histor. Eccles. sæc 15. et 16. dissert. 8. num. 54.

NOTA.

Contradictionibus scatet hic paragraphus, et continua petitione principii, tandem Febronius ad Richerii systema prolabitur. Ast neutiquam, quod nunc ita vult, etiam debebat inferre. Meminerit, se superioribus §§ hoc solum probare voluisse, *Petrum non solum*, sed etiam *cæteros apostolos æqualiter* esse fundamenta, et pastores Ecclesiæ constitutos. Quomodo ergo sequitur, totam Ecclesiam esse subjectum immediatum potestatis clavium proprie et ita, ut illa hanc per *ministros suos* exerceat? quid intelligit Febronius per *Ecclesiam?* anne *docentem?* id est, apostolos, omnes pastores, et episcopos? verum hi non per ministros, sed per se ipsos hanc potestatem exercent. Vel intelligit Ecclesiam *credentem?* id est, omnes fideles, et tunc sequeretur, non solos apostolos esse fundamenta et pastores Ecclesiæ, non his solis claves datas fuisse, quod in anterioribus §§ contendebat, sed omnes fideles, seu totam congregationem fidelium esse fundamenta et pastores, habere claves, quod quam ridiculum et absurdum sit, cuivis statim patet. At magis adhuc pateant contradictiones, et falsissimæ sequelæ.

1. Si allati textus probant, claves immediate Ecclesiæ, non Petro datas fuisse, et potestatem clavium ab Ecclesia per Petrum et apostolos, atque episcopos tanquam per ministros exerceri,

tunc totaliter destrueretur primatus Petri, siquidem Petrus jurisdictionem non a Christo, sed ab Ecclesia haberet, vel saltem primatus a Christo institutus esset puri ordinis absque potestate et jurisdictione, quod pluries damnatum est.

2. Si Ecclesia immediate accepit claves, et Petrus ab Ecclesia, tunc Ecclesia præexistebat ante Petrum. At fides contrarium docet : nam Petrus designatus fuit petra fundamentalis, supra quam ædificanda erat Ecclesia ; igitur Petrus existebat ante Ecclesiam, non potuit ergo Ecclesia nondum ædificata accipere claves. Hoc argumentum etiam contra Febronium adhuc pugnat, quando per *petram* intelligit omnes apostolos : nam hi omnes non nisi fundamentum Ecclesiæ essent, supra quod Christus adhuc ædificaturus esset ipsam Ecclesiam.

3. Si claves immediate datæ sint Ecclesiæ, tunc Petrus et apostoli eas non acceperunt a Christo, sed ab Ecclesia, adeoque nec horum successores Rom. Pontifex et episcopi. Quomodo ergo verum est, quod episcopi positi sint a Spiritu Sancto regere Ecclesiam Dei, et quod immediate a Deo habeant suam jurisdictionem, quod tamen Febronius etiam pro aris et focis propugnat? ecce iisdem argumentis, quibus papam Ecclesiæ subjicere laborat, etiam episcopos sua prærogativa et jurisdictione privat, et gregibus suis subjicit.

4. Sic tota Ecclesia, seu omnes fideles essent originaliter fundamenta et pastores sui ipsius,

haberentque claves ex institutione Christi, episcopi vero tantum haberent usum et exercitium hujus potestatis a communitate sibi concessum; hinc Ecclesia non esset fundata in Petro, neque in apostolis, sed Petrus et apostoli in Ecclesia: Petrus non pasceret oves, sed oves pastorem Petrum. Idem dicendum foret de episcopis. Jam quid de Tostato, quem in scenam producit Febronius? Alphonsus Tostatus schismaticam Basileensium doctrinam secutus est, a qua tamen postea eum discessisse ait cardinalis Petra. Quidquid sit, Tostatus suam sententiam tantum meticulose et opinanter ponit, dicens: *de Ecclesia videtur, quod etc.* Febronius autem pro certo ponit. Rationes Tostati, quibus innititur, falsæ sunt: ait enim, si claves non toti Ecclesiæ datæ sunt, sed Petro, sequeretur, quod apostoli non habuissent claves; et quod, defuncto Petro, non mansissent claves in Ecclesia. Falsum est, quod supponit; nam claves Ecclesiæ, prout significant supremam in Ecclesia potestatem, secundum sensum litteralem scripturæ, solus accepit Petrus, quamvis cæteri apostoli etiam habuerint potestatem ligandi et solvendi, uti jam probavimus. Mortuo autem Petro, claves manent, quia adhuc manet primarium fundamentum et caput Christus, qui assistit Ecclesiæ, et a quo in successorem Petri tota potestas transfunditur. Pro hoc casu plura adversariis solvenda sunt. Mortuo monarcha, ubinam se recipit potestas monarchica? et a quo novus successor eam accipiet?

mortuo episcopo, quomodo ejus successor jurisdictionem immediate accipiat a Deo, si claves et tota potestas sit in Ecclesia? Melchior Canus l. 4. de loc. Theolog. c. ult. sic respondet. *Mortuo summo Pontifice, una sine dubio Ecclesia manet, et manet in ea spiritus veritatis, sed manca et diminuta sine Christi vicario, et Ecclesiæ uno pastore relinquitur. Quocirca licet* veritas tunc etiam in Ecclesia sit. ——— *At si controversiæ fidei et religionis oriantur, Ecclesiæ judicia sine capite in terris non adeo certa sunt.* Denique Tostatus argumentum sumit a communitate civili. *Ubi est communitas, ait, ibi erit jurisdictio, et quia non potest administrari per universam communitatem, administratur per unum de communitate, sed jurisdictio est magis in communitate.* Hæc si vera sunt, reges et principes erunt tantum vicarii et procuratores populi, ut notat Podiensis episcopus; hac ratione et prætextu poterit quisque seditionem movere, sicque solia et coronæ nullibi securæ erunt. Periculosam autem hanc doctrinam regibus etiam Febronius adaptat: Tostati locum in extenso jam produxit Launoius, hunc in compendium contraxit Dupinius, et Febronius ex isto sic exscripsit, ut verba verbis, puncta punctis, commata commatis omnino respondeant, imo vero solœcismos, menda, depravationes perfecte imitatus est: hinc scimus, quos habuerit duces et exspoliaverit auctores. Jam ulterius respondeo.

Ad 1. Febronius hìc prodit ultro suum sys-

tema democraticum. Si enim corpus episcopale in concilio congregatum, quod est Ecclesia regens ac docens, distinguitur ab Ecclesia, quæ proprie immediatum subjectum clavium est, tunc per istam Ecclesiam nihil intelligi potest, quam plebs, multitudo fidelium, seu Ecclesia credens.

Interim in cit. Tridentini locis revera per Ecclesiam ipsum concilium, seu Ecclesia regens ac docens intelligitur : dum ergo dicitur, Ecclesia in vel per concilium statuit, idem est, ac corpus pastorum, Ecclesia regens in unum seu in concilio congregata statuit. Sic etiam quando dicitur, Ecclesiæ claves datas esse, intelligitur, Ecclesiæ regenti ; nam quod ad commune bonum Ecclesiæ datur, toti Ecclesiæ datum esse dicitur, et corpori expensum fertur, quod pro bono corporis datum est.

Imo communi usu loquendi dicimus, Ecclesiæ potestatem absolvendi a peccatis, et consecrandi corpus dominicum concessum esse, et prior quidem facultas ad potestatem clavium pertinet. Quis vero audet hoc de communitate interpretari, dicendo : neminem absolvi, nec consecrare posse, nisi voluntate et consensu totius corporis præsumpto? et tamen hoc sequeretur in sententia Febronii. Meminerit interim, quæ scripserat supra § 1. An non ipse egregium sophistam agit, dum hìc verbis tricare vult : Dein illa distinctiuncula *mediate* et *immediate*, quam ibi ad *pugnas verborum* ablegat, hoc loco *ad subruendam veritatem* abutitur.

Ibidem allegat etiam S. Paul. Coloss. 1. *Pro corpore ejus, quod est Ecclesia, cujus factus sum ego minister.* At truncavit textum Pauli, nullo enim interjecto, statim sequitur, *secundum dispensationem Dei, quæ data est mihi in vos.* Quod clare indicat, Paulum non fuisse ministrum Ecclesiæ ab ipsa constitutum, sed a Deo, a quo accepit potestatem.

Ad 2. Textus Tertulliani, *memento claves hic Dominum Petro, et per eum Ecclesiæ reliquisse,* præterquam quod ad rem non sit, ut patet legenti locum integrum, nihilominus directe contra Febronium pugnat. Si enim Christus claves primum Petro, dein per Petrum Ecclesiæ reliquit, tunc utique Petrus erit prius et immediatius subjectum clavium, quas Ecclesia a Petro, non Petrus ab Ecclesia accepit. Adhuc luculentius est testimonium Tertulliani lib. de pudicit. cap. 21. *qualis es evertens et immutans manifestam Domini intentionem personaliter hæc Petro conferentem : super te, inquit, ædificabo Ecclesiam meam, et tibi dabo claves, NON ECCLESIÆ, et quæcunque solveris et ligaveris, non quæ solverint, et ligaverint.* Videat igitur Febronius Tertullianum sibi omnino adversari.

Dum autem ad Augustinum recurrit, repeto ea omnia, quæ autem jam superius ad objecta (nam Febronius etiam eadem fere repetit :) ex eodem S. Patre respondi, itemque textus, quos pro nostra sententia ex S. Augustino al-

legavi. Ratio autem, cur S. Pater sæpius in Petro claves Ecclesiæ datas esse dicat, alia non est, quam quod contra Donatistas pugnare debuerit, qui negabant, sacramenta a malis ministris valide administrari posse : horum errorem prævertere volens, ubique claves et potestatem Petro et pastoribus non tanquam privatis personis, sed præsentantibus Ecclesiam, sicque Ecclesiæ datas esse dicit.

Interim ex Augustino certum est 1° quod nullibi claves Ecclesæ sic datas esse dicat, ut neget eas etiam datas esse Petro. 2° Si Ecclesia *in* Petro, vel *per* Petrum claves accepit, uti semper loquitur S. Augustinus, tunc utique Petrus *prius* et *immediatius*, quam Ecclesia accepit, neque Petrus per Ecclesiam eas habet, sed e contra Ecclesia per Petrum. 3° Si Petrus, accipiendo claves, personam gerebat Ecclesiæ, tunc ipse accepit ut persona publica nomine Ecclesiæ. At *Christus*, non *Ecclesia*, utpote tunc nondum ædificata, Petrum constituit personam et figuram Ecclesiæ : igitur non ut vicarius et delegatus, sed ut princeps et caput Ecclesiæ accepit claves, hicque character in Petro et successoribus semper mansit. Hæc autem omnia pugnant contra Febronium.

Eodem sensu intelligendi et explicandi sunt Fulgentius et Beda, qui objecta loca ex S. Augustino desumpsere, quod etiam de Gregorio I. tenendum est, quippe ut jam superius notavi,

SS. Patres et etiam nos dicere, Ecclesiam habere claves, et has esse in Ecclesia, sed in hoc sensu, quo sacrificium et sacerdotium habet, quæ tamen a Christo, non a multitudine dependent. Hom. in die sancto Beatorum Petri et Pauli apost. opp. Bedæ tom. VII. edit. Basil. anno 1563. pag. 112. *Petrus specialiter claves regni cœlorum et principatum juridicæ potestatis accepit.* Quomodo hæc cum sententia Febronii conciliari possunt?

Locus Cyrilli pro Febronio omnino nihil probat: non ibi sermo est de jurisdictione, non de tota Ecclesia, sed de solis apostolis, qui virtutem Spiritus S. acceperunt. Quomodo ergo inde probat, potestatem clavium *immediate* residere in tota Ecclesia?

Ad 3. Cum falsum sit, formam Ecclesiæ esse democraticam, omnem potestatem principaliter esse penes multitudinem, Papam et episcopos esse meros ministros Ecclesiæ sic, ut tantum ab ea potestatem communicatam habebant, sequitur, etiam sequelas a Febronio inde deductas falsas esse.

Ad 4. Si nostræ interpretationes *veræ* ac *bonæ* sunt, tunc verum est, claves non tam *ipsi Ecclesiæ*, quam *in commodum Ecclesiæ* datas esse. Ergo falsum est, quidquid Febronius toto hoc § dixit. Si *veræ* ac *bonæ* sunt, quare non exhauriunt totam vim traditionis? aut hoc tantum innuitur, aliorum patrum dicta per has interpretationes vere ac bene explicari, non tamen adhuc Augustinum, qui rursus objicitur? ergo

tota traditionis series in unico Augustino innititur? cum tamen § 1. Febronius nullam traditionem admittat, nisi quod constanter, ubique et ab omnibus traditum fuit. Interim primus Augustini locus cit. utique loquitur solum de Paulo et apostolis, non de tota Ecclesia, nihil ergo pro Febronio probat, qui claves *universitati credentium* datas esse contendit.

De cætero, quomodo Petrus figuram Ecclesiæ gestarit, et quo in sensu claves sint in Ecclesia, satis dictum est. Confer. etiam § 2. § 3. ubi liquido demonstratum est, textum Matth. 16. de solo Petro intelligendum esse, eique soli universalem potestatem et jurisdictionem traditam fuisse. Nobis volupe non est, prout Febronio, eadem semper repetere.

Superest, ut Febronii doctrinam cum Richerii aliorumque ejusdem notæ damnatis doctrinis conferamus. Edmundus Richerius, Gallicanus presbyter et facultatis theologicæ parisiensis syndicus, in lib. de ecclesiast. et polit. potest. sic tradit: *Deum et naturam prius atque immediatius ad totum suppositum, quam ad aliquam partem suppositi, quamvis nobilissimam intendere.* Inde concludit 1° *Christum fundando Ecclesiam PRIUS, IMMEDIATIUS claves sive jurisdictionem TOTI dedisse Ecclesiæ, quam Petro.* 2° *Papam et episcopos non nisi ministros esse, ut jurisdictionem illam exerceant nomine et cum consensu totius corporis.* Fuit autem hic liber Richerii a duobus conciliis provincialibus damnatus, et ipse auctor

auctoritate regia et decreto facultatis a syndicatu depositus est.

Quesnelli propositio nonagesima hæc est : *Ecclesia potestatem excommunicandi habet, ut eam exerceat per primos pastores de consensu saltem præsumpto totius corporis.* Hæc propositio *ab universa Ecclesia proscripta est.*

Hexaplorum scriptor in eandem Quesnelli propositionem sic ait, *claves universali Ecclesiæ commissas esse, non corpori pastorum duntaxat, sed et fidelium, quia Petrus horum ex æquo figuram gessit, cum christianus et apostolus esset.* Hi omnes antesignanum habent Lutherum lib. de captivit. Babylon. dicentem, neque Pontificem, neque episcopos ullam jurisdictionem habere in christianum populum, nisi de fidelium consensu.

Jam an non hactenus doctrina Febronii vix non ipsissimis verbis descripta est? Dixit Richerius, claves *prius, immediatius*, essentialius *toti* datas esse *Ecclesiæ*, quam Petro, *Papam et episcopos* non nisi *ministros* esse, ut jurisdictionem *exerceant nomine et cum consensu totius corporis.*

Quesnellus dicit, Ecclesiam potestatem suam exercere *per primos pastores de consensu saltem præsumpto totius corporis.* Hexaplorum scriptor ait, claves *universali Ecclesiæ* commissas esse, quatenus pastores et fideles comprehendit.

Febronius hoc paragrapho ait, *potestas clavium universitati Ecclesiæ data est, illam hæc per ministros suos exercet.* Item *Petrum solum non esse*

subjectum immediatum potestatis ecclesiasticæ, sed clavium potestatem universitati Ecclesiæ proprie et ita transscriptam esse, ut illa per ejus ministros — — —exerceatur. Et infra. *Ecclesiam principaliter, radicaliter obtinere potestatem clavium, quæ ab illa in omnes ejus ministros derivatur, et singulis — — — communicatur.* Hæc Febronii verba et sensus cum prioribus omnino eadem sunt : priores autem propositiones ex auctoribus allatæ, sunt damnatæ ab Ecclesia, et Richerius quidem in sua palinodia ad suam primam propositionem dicit, *hanc propositionem doctrinæ Ecclesiæ catholicæ a sanctis, vetustisque patribus fideliter expositæ adversari, libere fateor.* Ad suam secundam propositionem, quod Papa et episcopi sint tantum ministri et executores potestatis Ecclesiæ, ait, *hanc propositionem seu potius hæresin ex putridis Lutheri et Calvini fontibus me hausisse non diffiteor, qui ambo impie falsoque contendunt, proprie et immediate jurisdictionem Ecclesiæ fuisse datam a Christo, non S. Petro, aliis apostolis, et episcopis, nisi per accidens, instrumentaliter, et nomine Ecclesiæ.* Inde videmus, quales doctores habuerit Febronius. Equidem Launoio, Dupinio, Natali Alexandro adhuc gloriatur, verum hi viri, ubi primatum Pontificis nimium coarctant et deprimunt, ab omnibus perstringuntur, et ad Richeristas ablegantur. Launoii imaginem fædissime depingit Theophilus Ragnaudus, Dupinii bibliotheca etiam in Gallia

damnata fuit, Natalem alibi, præsertim in sua theolog. mor., de Pontifice aliter sensisse, inferius dicemus.

Denique suo se ore condemnat Febronius. In suis vindiciis append. 3. pag. 42. ait, *de fide catholica esse, Ecclesiæ formam haud esse democraticam, neque aristocraticam simplicem.* At ubi tota potestas est penes multitudinem, ubi hæc potestas tantum a communitate communicatur, ubi solum nomine et consensu hujus exercetur, revera forma democratica est : hanc autem formam statuit Febronius in Ecclesia, uti ex ejus verbis plane constat; ergo statuit formam in Ecclesia, qualem in eo non esse, de fide catholica est; quod autem fidei catholicæ opponitur, utique hæreticum est. Hæc non mea, sed tua sunt, Febroni!

De palinodia Richerii adhuc tricantur aliqui, eamque tanquam vi extortam, et postea iterum a Richerio revocatam ex Bailleto impugnant. Verum, quis est iste Bailletus? Bollandistæ et Graveson eum atro colore depingunt : quidquid sit, Bailletus hanc fabulam ex Morisoto, mendacissimo scriptore, desumpsit; quippe Morisotus in hac ipsa narratione multa falsa committit, dum circa ætatem Richerii, annum mortis, et tempus palinodiæ erravit : huic igitur scriptori tota fabula de retractatione innititur, neque de hac tabulæ aut testes proferri possunt.

E contra, publicis tabulis et instrumentis a

notario publico Petro Le Gaii anno 1631. confectis, ex testimonio trium presbyterorum et theologorum Parisiensium, compertum est, Richerium in extremo morbo palam et libere declarasse, se illam palinodiam seu declarationem nullius metu, gratia, impulsu aut minis, sed sponte, amplissima libertate, et plenaria voluntate, subscripsisse, eosque suos inimicos declarat, qui dicunt, ipsum invitum, aut contra voluntatem suam hæc fecisse. Hoc documentum produxit Duvallius, quod hactenus de sublesta fide convinci non potuit. Ipse Duvallius vero magister Sorbononæ et professor regius, quem instrumenta publica confinxisse haudquaquam credibile est, vocatur a Brietio vir doctissimus ac sanctissimus. Hanc denique ultimam declarationem Richerii agnoscunt Galli Morerius verbo Richerius, Tournelius tom. I. de Eccles. q. 5. art. 2. monumenta Trivoltiensia tom. I. ad annum 1703. etc. interim palinodia ista sive vera sit, sive ficta : nobis satis est, Richeri doctrinam ubique proscriptam esse.

§ VII.

Omnium Apostolorum in ecclesiastica potestate æqualitas, salvo Petri primatu, ex Scriptura demonstratur, item ex Synodo Hierosolymitana, disciplina primitivæ Ecclesiæ, tam sub Apostolis, quam Episcopis.

Febronius ita argumentatur : si Christus ab uno homine, totam Ecclesiæ summam omni tem-

pore dependere voluisset, divinæ sapientiæ haud conforme fuisset, in re tanti momenti, et omnibus scitu necessaria fideles in dubio relinquere insuperabili et errore, quod neque ex SS. litteris, neque ex sæculorum observatione uniformi manifeste habetur; nec verisimile esse, eum constitutum fuisse supremum judicem, qui controversias et causas finaliter terminare, ac hæreses damnare non potuit, ita ut ab eo non daretur provocatio, eique omnes hæretici et catholici adquiescerent.

1. Verba Lucæ 22, v. 24 et 25 ait, vix posse in alia, quam hac significatione accipi : *Reges gentium dominatum gerunt, et qui potestate ista summa fulgent, beneficiorum titulo ornantur. Absit autem hoc a vestro cœtu, sed in eo, qui prior, seniorve est, sit velut junior, et qui res dirigit, ministrum se esse cogitet.* Hìc munus *præcessoris*, ait, opponitur excellentiæ Regis, et status monarchicus excluditur.

2. Omnes apostolos in potestate æquales esse iterum probat ex S. Paulo ad Gal. 2. v. 7. ex Cyprian. de unit. Eccles. *Hoc erant utique et cæteri apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio prædíti honoris et potestatis.* Ex Hieron. lib. 1. advers. Jovin. *At dicis, super Petrum fundatur Ecclesia, licet hoc ipsum alio in loco super omnes apostolos fiat, et cuncti claves regni cœlorum accipiant, et ex æquo super omnes Ecclesiæ fortitudo solidetur.* Inde ait, omnes apostoli a pa-

tribus et Ecclesia vicarii Christi appellantur, fundarunt Ecclesias, evangelium annuntiarunt, episcopos constituerunt, omniaque, quæ Petrus, fecerunt, exceptis solis functionibus primatus.

3. Ex act. 15. Sic discurrit Febronius de concilio Hierosolymit. ascenderunt Paulus et Barnabas in qualitate *condisputantium* et *deputatorum* ab Ecclesia Antiochiena, non signanter, *ad Petrum*, sed in communi *ad apostolos et presbyteros*. Suscepti sunt Hierosolymæ *ab Ecclesia*, *ab apostolis*, *et senioribus*. Hìc notat, gradationem fieri a majori ad minores. Facta conventione et disquisitione, Petrus peroravit, non ut se solo *definiturus*, sed argumentis *persuasurus*. *Tacuit multitudo*, non quasi jam conclusum esset, sed ut audirent Paulum et Barnabam : postea Jacobus sententiam dixit, monens ulteriora scribenda gentilibus. Dein conclusum commune factum est, et decretum expediebatur sub communibus nominibus appellativis accurate juxta votum Jacobi ; ut aliqui dubitent, an non plus hìc fecerit auctoritas Jacobi, quam Petri. Petrus itaque non decidit solus, quod haud dubie fecisset, si potuisset, nec decisionem suo nomine publicavit : dein vellicantur adhuc cardinales Bellarminus et Orsi.

4. Apostoli inspirati erant quoad ea, quæ relata sunt in canonem scripturæ, non vero quoad omnes actiones suas relativas ad Ecclesiarum gubernationem.

5. Synodus Hierosolymit. ab omnibus pro norma conciliorum habetur. Quæ autem adversus necessitatem conciliorum, et pro decisionum papalium sufficientia allegantur, huic concilio non convenire, quia hoc opus non fuisset, si apostolis cognitum erat, soli Petro omnem auctoritatem et judicii certitudinem inhærere.

6. Alio suborto dubio, an ad evangelii gratiam gentes vocandæ sint? Petrus cœlitus edoctus suam visionem hac in re coapostolis aperuit. act. 11. v. 18. His auditis, tacuerunt, divina revelatione a Petro narrata edocti; quod si Petrus de proprio sententiam protulisset, non tam facile tacituri fuissent.

7. Ex modo, quo gubernata est Ecclesia per novem priora sæcula ab apostolis, horum discipulis et istorum successoribus, cognosci potest forma regiminis Ecclesiæ : sed viventibus apostolis, Ecclesia universalis non fuit gubernata a Petro ut monarcha, sed ab apostolis conjunctim cum illo : discipuli apostolorum horum exemplum secuti sunt. Episcopi rexerunt particulares Ecclesias inconsulto Pontifice. Citantur in hanc rem concilia Africana et quinque priora Orientalia. Item quod canones concilii Niconi IV, V, VI. Antiocheni XIII et XIV. Sordicensis III et VII. in judiciis episcoporum recursum ad Pontificem primum induxerint.

8. Etsi ante annum 325. nulla œcumenica concilia celebrata sunt, non ignorabantur tamen

jura eorum in ordine ad regimen universale, nec deerant media, quibus Ecclesiæ particulares de communibus negotiis conferrent.

9. Cum Melchiades P. in synodo romana Donatistas damnarat, et hi non quiescerent, Augustinus non dixit, istud judicium fuisse perem-torium, sed Donatistas potuisse adhuc plenarium concilium adire. Idem epist. 162.

10. In causa Apiarii episcopi Africani nil detulerunt appellationi ad sedem romanam, obtendentes decreta Nicœna, unde patet, quomodo patres isti auctoritatem Pontificis auctoritati conciliorum posthabuerint.

11. A Cœlestino P. in synodo romana in Nestorium sententia excommunicationis et depositionis lata est; attamen in synodo Ephesina act. 1. citatus adhuc vocatur *reverendissimus et religiosissimus episcopus Nestorius ;* cum vero sententia a synodo in ipsum lata fuit, appellatur simpliciter Nestorius, unde patet, causas in conciliis eo modo tractari et examinari, perinde ac si prius a Rom. Pontifice judicatæ non fuissent.

12. Eutyches a Flaviano patriarcha Constant. et Leone P. damnatus fuit. Provocavit hic ad concilium : consensit Leo, passi sunt legati Pontificis epistolam Leonis in concilio Chalcedon. rursus examinari, audebant hoc patres congregati : sed hæc omnia facta non fuissent, nisi eorum omnium sententia fuisset, supremum et ultimum Ecclesiæ tribunal residere penes con-

cilia, et ibi Rom. Pontificis judicium retractari posse.

13. Vigilius P. tria capitula probavit prohibens, nihil huic suo constituto contrarium scribere, proferre, aut ullam deinceps movere quæstionem. Nihilominus synodus Constantin. damnavit tria capitula, cui postea subscripsit ipse Vigilius; igitur Vigilius, et qui ejus sententiam sequebantur, occidentales episcopi, non senserunt, Pontificem esse supra concilium generale; secus omni jure reclamassent. At hoc nemini in mentem venit.

NOTA.

Totum hunc § omittere potuisset, imo contra seipsum conscripsit Febronius : quippe priori § totus in id incubuit, ut ostendat, claves universitati Ecclesiæ, et quatenus omnes fideles comprehendit, datas esse : Papam et episcopos potestatem, seu potius potestatis usum habere tantum ab Ecclesia, unde sequitur, regimen Ecclesiæ esse mere democraticum. Nunc autem iterum probat, jurisdictionem et potestatem supremam esse penes concilia, omnes apostolos æquales, sicque regimen facit aristocraticum. Taliter hic vir sibi ipsi nusquam constat, et perpetuo contradictionibus involvitur.

Interim neutiquam tacuit S. scriptura in re tanti momenti, sed satis aperte loquitur in locis et textibus a me hactenus adductis, et pa-

tres omnium sæculorum ex testimoniis allatis de hac re non obscure testantur. Neque obstat, quod aliqui contradicant, vel regimen monarchicum in Ecclesia se in scripturis non invenire dicant. Quot enim sunt S. scripturæ effata, dogmata et mysteria, quibus contradixere hæretici, et qui textus aliter interpretantes recognoscere noluêre? an vel ideo non sunt dogmata, mysteria? an nobis circa ea tacuit scriptura? Dubium vero de jurisdictione summi Pontificis utique *serius motum est*, quippe editor epistolarum Launoii testatur, ætate Launoii, has quæstiones, quas nempe ipse Febronius etiam propugnat, timide adhuc tractandas fuisse ob proscriptam Richerii doctrinam; imo claves immediate Ecclesiæ corpori datas esse, vocat *novitiam* et *politicam* opinionem, ecce! quam senectutem præferat sententia Febronii? dein auctor in eodem labyrintho semper circumerrat, si inter omnes apostolos in Ecclesiastica potestate perfecta datur æqualitas, quomodo salvabitur primatus Petri? repugnat enim vera inter omnes æqualitas potestatis, et major ac specialis in Petro; vel solum admittes primatum puri ordinis, numeri et nudi nominis absque omni potestate, et tunc omnes quoque hæretici tecum consentiunt?

Ad 1. Si ad verba Lucæ 22. totam Febronii interpretationem admittimus, an ideo status monarchicus excluditur? nequaquam; nisi Febronius velit, ipsum Christum sua suprema in

Ecclesiam jurisdictione exuere. Legat Febronius ulterius textum integrum; an non Christus mox proponit suum exemplum? *quis major est, qui recumbit, an qui ministrat? ego autem in medio vestro sum, sicut qui ministrat.* Non negat igitur Christus, unum cum potestate præesse cæteris, sed supponit, et affirmat, *qui major est, qui præcessor est.* Neque de simplici præcedentia *honoris, sed veræ potestatis et jurisdictionis* ibi agitur. Ad quid enim adduxisset exemplum regum gentilium, et suum proprium, si non de potestate et regimine ageretur? igitur solum de modo regiminis sermo est : primus ad modum regum gentium excluditur, *vos autem non sic :* secundus ad exemplum Christi præscribitur, *qui præcessor est, fiat sicut ministrator, sicut ego, qui ministravi vobis.* At Christus utique, qui se in modo regiminis Ecclesiæ præcessori exemplum proposuit, qui est Rex Regum, et Dominus Dominantium, etsi ministravit discipulis, supremam et monarchicam in Ecclesia habet potestatem; non igitur excluditur, sed potius inde probatur status monarchicus in Ecclesia, neque corruit, sed firmatur, quod in hunc locum scripsit cardin. Orsi. Imo huic argumento ex Lucæ 22. deprompto jam olim respondit origines comment. in hunc locum.

Principes gentium dominantur eorum, at principes Ecclesiæ serviant subditis — — — Non ista dicimus, ut inclinemus ecclesiasticum prin-

cipatum. Est enim interdum, quando secundum apostolum peccantes coram omnibus, arguant. — — — Est interdum, ut utens potestate sua tradat peccantem satanæ. Febronius fors magis gaudet testimonio acatholicorum : habeat tale ex saravia calvinista in Hollandia l. 2. de minist. Eccles. *Dominus dixit apostolis : vos autem non sic. Quis sanæ mentis interpretabitur, idem esse, ac si dixisset, non vocabimini Domini ? sensus verborum Domini nunquam fuit ab usitatis honorum vocabulis — — — interdicere discipulos. Docere tantum voluit, evangelicum ministerium, civile imperium, addo ego, gentilem tantum, et despoticum dominatum a suis discipulis abesse voluit, non qui evangelica modestia temperatus est.*

Cæterum, si in hoc textu Lucæ 22. non solus abusus potestatis reprobaretur, tunc interpretatio Febronii nimium probaret, nempe excluderet omnem potestatem et dominatum ab apostolis et Ecclesia, sic neque concilium generale auctoritatem in fideles haberet; singuli enim Ecclesiæ dispersæ vel congregatæ possent objicere : *Reges gentium dominantur eorum, vos autem non sic.* Denique Febronius vocem *major* interpretatur *senior*, et vocem minor *junior*. Ad quid ista? fors verba *major* et *præcessor* pro Pontifice ipsi jam nimium dicunt? nos insistimus verbis vulgatæ nostræ; sciat tamen Febronius, quod vox *senior* in scriptura sit nomen non solum ætatis et reverentiæ, sed et dignitatis auctorita-

tisque. Ad 2. epist. ad Gal. 2. v. 7. Tantum sermo est de officio apostolatus et prædicandi evangelium, nempe Paulo creditum esse evangelium præputii, sicut Petro circumcisionis, et in ratione apostolatus omnes æquales fuisse, nemo negat, quia omnibus æqualiter dictum est: *ite, prædicate evangelium* etc. at hìc de forma regiminis quæritur. Male igitur in hunc locum textum Pauli allegatur Febronius.

Ad Hieronymum jam supra, quod satis est, dixi ad § 2. num. 3. scilicet primitus supra Petrum fundatur Ecclesia, dein alio in loco super omnes apostolos, et super hos omnes ex æquo Ecclesiæ fortitudo solidatur; attamen hìc non eodem modo, sicut ibi super solum Petrum. Nam ubi ex æquo super omnes fundatur Ecclesia, etiam Petrus præsens erat, et hoc ad prærogativas omnibus apostolis communes pertinet; ubi autem super solum Petrum fundatur, prærogativa specialis est, constituitur Petrus fundamentum speciale et primarium, eique dantur claves Ecclesiæ, et hoc modo non fundatur super alios. Ad Cyprianum dico, Febronius truncavit textum; addat, quæ præcedunt, et sequuntur, et patebit, Cyprianum, totus quantus est, contra Febronium pugnare. Loco cit. Sic habet S. Pater: *loquitur Dominus ad Petrum, ego tibi dico, quia tu es Petrus, et super hanc petram* etc. Hìc integrum textum Matthæi 16. affert: dein prosequitur: *et iterum eidem post resurrectionem suam dicit, pasce*

oves meas; super ILLUM UNUM ædificat Ecclesiam suam, et illi pascendas mandat oves suas. Habes igitur hìc primo, quod Cyprianus textum Matth. 16. et Joan. 21. de solo Petro litteraliter intelligat; pergit dein : *quamvis apostolis omnibus post resurrectionem suam parem potestatem tribuat, et dicat, sicut me misit Pater, et ego mitto vos, accipite Spiritum S., si cui remiseritis* etc., *tamen ut unitatem manifestaret, unam cathedram constituit, et unitatis ejusdem originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuit.* En! in quibus parem dicat potestatem apostolorum, atque hanc ipsàm, licet parem potestatem ab UNO incipere originem, tanquam uni subordinatam. Denique infert Cyprianus : *hoc utique erant et cæteri apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio præditi, et honoris, et potestatis, sed exordium ab unitate proficiscitur : primatus Petro datur, ut una Christi Ecclesia, et cathedra una monstretur.* Cyprianus igitur primatum Petri in illis verbis Christi Matthæi 16. et Joan. 21. constituit : dein eam potestatem, quam Christus omnibus æqualem tribuit, uni tamen, nempe Petro substituit, denique hanc parem potestatem, quasi repetendo, ideo ab unitate et Petro proficisci dicit, ut una Ecclesia monstretur. In sensu Febronii Cyprianus debuisset dicere, exordium a pluralitate et æqualitate, non ab unitate proficisci. Sane quam plurima alia Cyprianus pro primatu Petri asseruit, quæ cum Febronii sententia reconciliari non possunt.

Ad 3. Febronius in concilio Hierosolymitano mirum sibi complacet. Verum an non eadem adhuc forma habetur in concilio œcumenico? In quo si Pontifex præsens est, ubinam solus decidit? ubinam decreta concilii suo solum nomine promulgat? quin hoc præjudicet statui monarchico Ecclesiæ, quem supra descripsi. At quæris: quare Petrus non sola sua auctoritate controversiam diremit, si potuit? quæro ego: quare Paulus et Barnabas apostoli eam non diremerunt? erant utique ambo Spiritu S. inspirati, et juxta Febronium in potestate pares Petro et cæteris apostolis? omnes episcopi utique, ait Febronius, sunt judices fidei, hos duos apostolos non faciet episcopis inferiores: at revera ignominiam facit duobus hisce apostolis, dum eos in hac controversia *in qualitate condisputantium* collocat. Quis episcopus feret, si in Ecclesia sua particulari lis oriatur, se tantum in *qualitatem condisputantis* reponi? cum ipse Ecclesiæ suæ judex sit. Quæro igitur ulterius: Paulus et Barnabas apostoli vel non potuerunt soli decidere controversiam, vel potuêre? si primum: ergo non erant æquales in potestate Petro et cæteris apostolis: si secundum, quare non diremerunt? De Petro respondeo: potuisset utique, ut ait Bellarminus, solus, sicut cæteri apostoli Spiritu S. inspirati controversiam dirimere, sed expediebat, ut res tanti momenti, qualis erat vocatio gentilium ad Ecclesiam, a quibus tanquam immundis et reprobis

omnes Judæi horrescebant, publice et coram tota multitudine tractaretur, atque de voluntate Dei edocerentur Judæi. Hinc Petrus, postquam sententiam dixisset, illos increpavit : *nunc ergo quid tentatis Deum ?* hæc verba satis inuunt, quod Pe-trus post dictam suam sententiam loquatur tanquam de re jam definita, etiam antequam aliorum suffragia audivisset ; non enim increpare poterat, nisi jam damnatos, vel de errore convictos. Cæterum, Petri sententiæ, tanquam regulæ fidei statim omnes adhæserunt, *tacuit omnis multitudo,* nec alii apostoli leguntur, suffragium dedisse, excepto solo Jacobo ; hic vero non quasi propriam sententiam dixit, sed illam Petri repetiit, magis adhuc explanans per verba prophetarum, et postea monens, adhuc ulteriora scribenda gentilibus. Ex his patet, totam controversiam in concilio respective solo Petri judicio finitam fuisse, non quasi cæteri apostoli non habuerint jus suffragium ferendi et judicandi, sed quod sententiæ Petri si non unice, saltem plurimum detulerint. Hæc rite expensa nostræ sententiæ quam maxime patrocinantur. Hìc tria adhuc notari merentur, quæ calliditatem, et minus sinceram Febronii mentem mire produnt. 1. Dicit, Petrus peroravit, non quasi *definiturus*, sed *persuasurus* cœtum, nempe ut Pontifici in concilio omnem definitionis auctoritatem detrahat. At legat Febronius citatum locum act. 15. et videbit, Petrum vere definiisse,

et suam sententiam pronuntiasse. Si enim hic non definiens locutus est, certe nullibi in hoc concilio. Imo mox ipse sibi contradicit Febronius, dum ait, inde morem invaluisse, ut sacri cœtus principes primi sententiam dicerent. Qui autem hic mos inde deduci poterit, si Petrus non definiturus, sed persuasurus peroravit, si consiliarium, non judicem egit? 2. ait, gradationem fieri a majori ad minores, quia Paulus et Barnabas susceptisunt ab Ecclesia, ab apostolis, a senioribus. Quare hoc? nempe ut inde confirmet suam opinionem, potestatem supremam esse penes multitudinem seu Ecclesiam, et episcopos esse tantum hujus ministros, et executores; hinc non veretur, ipsos apostolos multitudini subordinare, quos toties tamen ab ipso Christo suam potestatem accepisse affirmat. Verum tunc Ecclesia nondum erat congregata in concilio, nam primum postea convenerunt, ut habet sacer textus : igitur illa susceptio fuit tantum politica et civilis, adeoque pro Febronio nihil probat. 3. Ait, quia decretum accurate juxta votum apostoli Jacobi expediebatur, nonnullos dubitasse, an non plus hic fecerit auctoritas Jacobi, quam Petri? quinam autem sunt hi dubitantes? fors SS. Patres sunt? nam ad patres et traditionem provocat ubique Febronius. Quare non nominat? Sciat tamen lector, quinam sint? est Calvinus, est Abulensis ille, qui plura scripsit haud facile excusanda. En auctores Febronii ad deprimendam Petri et Pontificis auctoritatem!

Ad 4. Licet Petrus et apostoli non fuissent inspirati quoad omnia Ecclesiæ gubernationem concernentia, certi tamen erant quivis de potestate sua a Christo accepta, quam præcipue in rebus majoris momenti illis deesse non voluit Salvator. Non ergo defectus inspirationis causa fuit concilii congregandi.

Ad 5. Respondebimus, ubi de conciliis quæstio erit. Interim licet apostolis cognitum fuerit, solam Petri auctoritatem ad dirimendam quæstionem sufficere, non tamen id aliis et præcipue partibus litigantibus, et in religione adhuc novitiis cognitum fuit, qui neque duobus apostolis Paulo et Barnabæ cessêre; consultius igitur erat, ad indulgendum infirmitati eorum, rem in communi definire. Quæro ex Febronio; Paulus utique par auctoritate et potestate cæteris apostolis; cur ergo eidem non adquievêre litigantes? nunquid deerat, adhuc caput apostolorum, nempe Petrus? vel aliam rationem sufficientem afferat, si possit.

Ad 6. Quid facturi fuissent apostoli, si Petrus suam visionem divinam non narrasset, sed sententiam de proprio dixisset, non satis est tantum divinare. Argumenta proferat Febronius, non vanas conjecturas.

Ad 7. Quæ fecerit Petrus pro auctoritate primatus et suprema sibi collata potestate in Ecclesia, jam supra enumeravi § 4. ad num. 2. Quæ alii deinceps fecêre Pontifices successores per singula sæcula, in decursu patebit. Nolo enim to-

ties repetere singula, ubi etiam de citatis canonibus suo loco sermo redibit. Hîc solum noto, hos omnes ad finem Febronii nihil probare.

Ad 8. Respondebo, ubi illa media in medium producet Febronius. Quippe ut lectores in partes trahat, multa prævie supponit, vel probare spondet, quæ tamen nunquam probabit.

Ad 9. Extra rhombum vagatur, et nos non tangit hæc objectio. Nam. 1. de quæstione meri facti agebatur, utrum crimina Cœciliano objecta fuerint vera? utrum fuerit *traditor?* et a traditore ordinatus? in quæstione autem meri facti, quis dicit, judicium summi Pontificis, imo et concilii œcumenici esse infallibile? 2. concilium Arelatense ad summum fuit nationale, unde si objectio quid probaret, sequeretur, Pontificem non solum concilio generali, sed etiam nationali subjectum esse, quod hactenus neque ipsi adversarii postulare ausi sunt. 3. In eodem concilio Arelatensi, de quo loquitur S. Augustinus, sederunt judices et legati Pontificis Claudius et Vitus presbyteri, Eugenius et Ciriacus diaconi, et tres episcopi Galli Maternus, Rogaticius et Marinus, qui prius cum Pontifice in concilio romano judicarunt, quod fieri non potuisset, si vera et legitima fuisset appellatio a Papa ad concilium; unde potius in re facti ad eosdem judices melius informandos, quam ad novum tribunal causa delata est. At Augustinus dicit, Donatistis post judicium Pontificis adhuc reliquum fuisse plena-

rium concilium? audio : sed quid si Augustinus nostram hìc omnino confirmaret sententiam? ita revera est : Augustinus non dicit, Donatistis in via juris adhuc reliquum fuisse concilium, imo aperte ait, post judicium Rom. Pontificis concilium non fuisse necessarium, ideoque causam pro finita habuit, sed tantum eorum *perversitati* et *ad impudentiam* cohibendam, non juri datum fuisse. Verba Augustini l. c. sunt : *dedit aliud Arelatense judicium, aliorum scilicet episcoporum, NB. non quia jam necesse erat, sed eorum perversitatibus cedens, et omni modo cupiens tantam impudentiam cohibere.* En! perversitatem et impudentiam S. Doctor vocat, quod romanæ sententiæ Donatistæ non adquieverint, neque fuisse necessarium concilium. Quod si habuissent jus appellandi, utique necesse fuisset, eis aliud judicium concedere, propter quod nec perversitatis nec impudentiæ insimulari possent. Dum vero Augustinus prius dixerat, ipsis plenarium concilium reliquum fuisse, non in proprio, sed in sensu Donatistarum, et sibi objiciendo loquitur, quod clare patet ex verbis : *Ecce putemus, illos episcopos, qui Romæ judicarunt, non bonos judices fuisse.*

Ad 10, 11, 12 et 13. Singulariter respondebo, ubi de legibus, appellationibus etc. quæstio erit, ne cogar continuo eadem repetere. Hìc tantum in genere noto, ex his objectis sententiam neutiquam infirmari, sed potius probari : quod suo

loco patebit. Ostendat Febronius concilium legitimum, ad quod a Rom. Pontifice itidem legitimo appellatum fuit, et in quo neque Pontifex, neque ejus legati præsederunt, nec partem habuêre, neque a Pontifice confirmationem accepit : ostendat dein jus, non mera facta afferat. Vera appellatio proprie fit ab inferiori ad superius tribunal, ubi judex inferior, a quo adpellatur, non amplius potest sustinere personam judicis. Ubique autem in allegatis conciliis Papa per legatos adhuc personam judicis egit, in iis præcipuam partem habuit, aut saltem judicium cum auctoritate confirmavit. Ipse Febronius c. 4. § 2. Num. 16. de causis majoribus sustinet, esse summi Pontificis, curare, ne quid definiatur in conciliis, quod in communem Ecclesiæ statum impingat, et ideo Cyrillum Alexand. comperta Nestorii hæresi, duxisse, officii sui esse, rem tanti momenti cum Papa communicare. Et c. § 2. Num. 8. dicit, controversias, causas et lites hæresum terminari non potuisse, quamdiu non fuit concentratio inter Pontifices et concilia : in exemplum affert causas rebaptizantium, quartodecim annorum atque trium capitulorum, hancque ultimam causam finem obtinere non potuisse, donec Vigilius P. cum Patribus concilii Constantin. II. et hi cum Vigilio in unum conspiraverint : ergo per sententiam dictæ synodi causa nondum finita fuit, vel sibi ipsi contradicit Febronius.

Est igitur supremum et ultimatum Ecclesiæ

judicium penes summum Pontificem, et penes concilia, sed in his non sine Pontifice tanquam capite. Quod autem aliqui judicio rom. sedis non adquieverint, haud sequitur, hujus judicium non esse supremum et infallibile, vel ultimatum judicium solummodo penes concilia esse. Quot enim episcopi olim conciliis generalibus Nicæno, Ephesino, Chalcedonensi etc. restiterunt? quis inde concludit, concilia generalia non habita fuisse infallibilia in Ecclesia? talis igitur resistentia, et nuda facta non probant defectum potestatis in summo Pontifice. At tum quidem ad reprimendam tumultantium audaciam, vel frangendam hæreticorum pertinaciam, et ut Augustinus ait, eorum impudentiam cohibendam concilia quandoque vel utilia, vel necessaria sunt. Si vero Febronius ad suam sententiam consequenter loqui velit, neque penes concilia, seu corpus pastorum, ultimatum et infallibile judicium foret, a quo amplius adpellari non posset, sed penes communitatem et universitatem Ecclesiæ, utpote quæ sola claves immediate habet, et in qua principaliter ac proprie omnis jurisdictio ecclesiastica residet : ad hanc igitur per gradationem adhuc adpellari posset. Protestantes Germaniæ petierunt, ut in concilio Tridentino doctores et theologi suæ sectæ cum jure suffragii decisivi admittantur. Febronius adhuc ulterius progreditur, si sua sententia stare velit. En! quam lata porta omnibus

erroribus aperta sit, certe nunquam amplius claudenda. Hæc interim sufficiant.

§ VIII.

Capitalis hæc quæstio de forma Ecclesiæ monarchica in concilio Tridentino agitata, nec tamen favore Rom. Pontificis decisa fuit.

Argumenta pro Pontifice in Synodo allegata referuntur, et confutantur.

Febronius ait, ante falsas decretales nullum prudens dubium fuisse in favorem prætensi status monarchici, sed dum in illa verba ab omnibus juraretur, etiam in Tridentino agitatam fuisse quæstionem, num Rom. Pontifex pro universalis Ecclesiæ episcopo et rectore haberi debeat? at singulari Dei providentiæ adscribendum esse, quod quæstio juxta romanæ curiæ placita et ultramontanorum desideria decisa non fuerit. Refert dein canonem octavum jam præparatum, *anathema esse, qui dixerit, B. Petrum per institutionem Christi non fuisse primum inter apostolos, et ejus Vicarium in terra, vel non necesse esse, ut sit in Ecclesia unus Pontifex, Petri successor, eique æqualis in auctoritate regiminis, atque in summa sede legitimos ejus successores ad hoc usque tempus non habuisse jus principatus in Ecclesia, nec fuisse patres, pastores et doctores omnium christianorum, nec fuisse ipsis traditam a Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem*

pascendi, regendi et gubernandi Ecclesiam universalem. Gallos admittere noluisse postremas voces, *pascendi, regendi, et gubernandi Ecclesiam universalem,* et cardinalem Lotharingum schisma minitatum fuisse, quia auctoritatem concilii supra Rom. Pontificem propugnant: Pontificem de hoc edoctum adquivisse sic, ut nec de sua nec de episcoporum potestate, nempe eorum institutione, jure et auctoritate, utrum immediate a Deo sit, quidquam exprimeretur, exceptis iis definitionibus, in quas patres unanimi voce conspirarent.

1. Ait Febronius, adminiculum pro sententia Italorum quæsitum esse a rationibus politicis, cardinalem Simmonettam sparsisse, diminutionem Pontificiæ potestatis toti Italiæ probrosam fore, quæ vix ullam, quam a summo Pontifice haberet existimationem; ipsum Didacum Lainez, Jesuitarum Generalem, in ingressu orationis pro jure Pontificio, publice professum esse, complures eum ab eo opere dehortatos, ne in vituperationem assentatoris Pontificii caderet. Gentianum Hervetum anno sequenti Salmeroni, Lainii socio, exprobrasse, Jesuitas sub ipsa Societatis initia vitiis Pontificum et curiæ Romanæ adulatos fuisse etc.

2. Paulus Sarpi refert, præsides initio existimasse, ab episcopis aliud non intendi, quam ut eorum auctoritati aliquod decus et incrementum accederet; at serius ex patrum suffra-

giis et rationibus observatum fuisse, cujus sequelæ sint hæ quæstiones, nempe claves non soli Petro datas esse, concilium esse supra Pontificem, episcopos excepto primatu ei esse æquales, præeminentiam cardinalium præ episcopis vix substituram etc. Ideo legatos omni opera impediisse, ne plura Italorum suffragia Hispanis accederent.

3. Cum cardinalis Lotharingus hanc rem in medio relinqui vellet, reposuit Granatensis Archiepiscopus, et Hispani Præsules, indignum et patribus probrosum esse, nolle post tam accuratas discussiones definire rem æque certam, ac sint ipsa decalogi præcepta, tandem ægre satis quievisse.

4. Præter textus S. scripturæ pro monarchico statu adductos, quos Febronius systemati huic parum favere, supra satis probatum esse ait, Simon Florentinus adhuc proposuit, imperium monarchicum esse perfectissimum, et Lainez, Jesuitarum Generalis, Christum in terris versantem, Ecclesiam suam rexisse absolute et monarchice, proinde cum eadem potestate et regiminis forma vicarios sibi constituisse S. Petrum, et ejus successores; hoc patere etiam ex eo, quod Christus moriturus ei adjecerit privilegium infallibilitatis Lucæ 22. *Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Verum respondet Febronius.

5. Ad 1. Theologum non debere regimen Ecclesiæ ad regulas humanæ politices, sed quas

præscripsit Jesus Christus, reducere : non esse certum, quod status monarchicus sit perfectissimus, quia omnes republicani hoc negant : neque hunc congruere Ecclesiæ, in qua per totum orbem diffusa non possit unus omnibus intendere, eundem facile in despotismum degenerare, non sic cogitasse antiquos Pontifices etc. nec expedire mere aristocraticum, cum sit semen discordiarum, ideo institutum esse primatum ad servandam unionem.

6. Ad 2. Verum esse, quod Christus in terris Ecclesiam suam indefinita auctoritate rexerit : at supposititium esse, quod parem potestatem primo ex suis vicariis reliquerit, Christum in cœlis exercere eandem potestatem in sponsam suam non solum interiori gratiarum influxu, sed etiam exteriori assistentia. Similia ex Petavio et Basileensibus exscribit.

7. Ad 3. Sinistram esse interpretationem textus Lucæ 22. eo loco Petro mandatum esse, ut a suo gravi lapsu erectus fratres suos impediat, ne probrosa morte sui magistri scandalizati in fide infirmentur, sed maneant constantes. *Hæc ad judicia doctrinæ Petri* et successorum ejus applicari non posse.

8. Ex dictis longe aliam fuisse mentem Tridentini, quam agnoscere aut declarare monarchicum Ecclesiæ statum, et ideo in hunc sensum minime accipiendum esse illud sess. 14. c. 7. *Pontifices maximos pro suprema potestate sibi in universa Ecclesia tradita causas aliquas crimi-*

num graviores suo peculiari judicio reservare potuisse. Et sess. 24. c. 1. de reform. *Romanum Pontificem sollicitudinem universæ Ecclesiæ ex muneris sui officio debere.* Paulum Sarpi narrare, cardinalem Lotharingum in Galliam reducem, etiam hanc exprobrationem sustinuisse, quod postquam per decem menses adversus prætensam Pontificis potestatem et sollicitudinem *universalis Ecclesiæ* legitime decertasset, hic eandem minus cauta expressione quasi significari passus sit. Accuratius cum Paulo ad Corinth. 2. c. 11. ponendum fuisset, *sollicitudinem omnium Ecclesiarum.*

9. Trident. sess. 25. c. 21. declaravit, ut in decretis de reformatione sub quibuscunque clausulis, *salva semper auctoritas apostolicæ sedis et sit, et esse intelligatur,* Romanos hinc velle, salvum esse arbitrium et voluntatem Pontificis. Barthelium dicere, hoc propter protestantes additum esse, qui auctoritatem Pontificis oppugnant, et Gibert sub hac clausula intelligere, si Pontifex ex validis rationibus censeat expedire, ut in certis circumstantiis ab observatione decretorum concilii cesset, concilium tunc consentire.

10. Quia falsitas decretalium Isidori tempore concilii Trident. necdum aperta erat, hinc mirum non est, ex his principiis nonnulla in acta publica conciliorum generalium irrepsisse, quæ nullum veritati postea detectæ præjudicium generant.

11. In Trident. synodo legatos Pontificios suas

prætentiones, cum *directe* non possent, saltem *oblique* insinuasse, Cisalpinos episcopos illegale jugum et catenas immeritæ servitutis propter minorem numerum rumpere non potuisse, cui objiciebatur numerus multo amplior Italorum huic servituti adsuetorum. Quod si nonnullorum jurium possessio episcopis restituta sit, nunquam tamen concessum esse, suam illos jurisdictionem jure divino et virtute characteris tenere, et quod recuperaverunt, ipsis solum tanquam summi Pontificis delegatis concessum est, non tanquam jus eorum dignitati inhærens. Hinc Thuanus Histor. lib. 6. scribit, episcoporum potestatem in concilio Tridentino non solum non auctam, sed ex ea multum debilitatam esse. Et Philippus II, Hispaniæ Rex, dixisse fertur, *Prælatos, qui Tridentum ivêre, ut episcopi, inde rediisse ut parochos.* Etsi autem excessu politici zeli pro commodis suæ curiæ forte peccaverint legati romanæ sedis, ex altera tamen parte, etiam, teste Paulo Sarpio, hanc justitiam eis deberi, quod in materiis doctrinæ sese satis continuerint, et impartiales gesserint.

12. Sequitur testimonium Petri Gibert corp. jur. can. tom. 1. fol. 158. Hæreticos a reditu ad Ecclesiam absterritos fuisse, quod Pontifices Ecclesiam regerent despotice, et declaraverant, hanc unam esse ex separationis suæ causis; proin concilium, dum multoties hæreticos invitavit, et omnem securitatem promisit, attribuendo Pon-

tifici imperium absolutum, vel non egit consequenter, vel nulla est probabilitas, quod mero Pontificis arbitrio decreta sua subjicere voluerit.

NOTA.

Dum rursum Febronius statum monarchicum ad nauseam objectat, jam diximus, si intelligat monarchiam absolutam, indefinitam et illimitatam, pessima fide procedit, cum nullus unquam eorum, qui etiam regimen perfecte monarchicum in Ecclesia admittunt, in sensu Febronii istud defenderit, quin certis legibus et regulis divinis circumscriptum sit. Si vero tale regimen monarchicum intelligat, quale nos supra descripsimus, temperatum, vicarium et ministeriale, stamus nos verbis, et jure prætendimus, omnes textus scripturæ, patrum et conciliorum, quos hactenus pro hac quæstione attulimus, et quos ipse Febronius subin de primatu Papæ allegabit, nosque adhuc ulterius afferemus, tale regimen monarchicum in Ecclesia invicte demonstrare. Quod si autem tantum de voce *monarchia* scrupulus oriatur, non amplius cum eo litigabimus. Sicut autem nos non apocryphis decretalibus, sed scriptura et veris antiquorum scriptorum testimoniis innitimur, ita ante omnes falsas decretales nullum unquam dubium fuit contra regimen monarchicum Ecclesiæ, et Tridentini Patres non aliam nisi hanc ipsam in Ecclesia omnium sæculorum doctrinam, usu et praxi

firmatam, atque in conciliis generalibus Lateranensi V. et Florentino, aliisque jam definitam regiminis formam tenebant, Gallis tantum nonnullis non circa idem regimen, sed circa quædam verba tricas moventibus. Sed juvat rem altius indagare.

Falsum est, potestatem et jurisdictionem Pontificis in concilio Tridentino in dubium aut controversiam vocatam fuisse, sed quæstio erat, si illa ipsa jurisdictio, quam certam præsupponebant, iterum novo canone definienda esset, quibus verbis is concipi deberet? imo ipsi patres, qui pro episcoporum divina institutione et auctoritate tam fervide perorabant, idcirco auctoritati et jurisdictioni Rom. Pontificis nihil detractum esse volebant. Sic Delgado Lugensis episcopus dixit, se pro potestate episcoporum ita ferre sententiam, ut propterea non imminuatur *auctoritas sanctissimi Pontificis, qui in Ecclesia primatum tenet, et est successor Petri et vicarius Christi, prout in concilio Florentino.* Ecce se refert ad concilium Florentinum! estne hoc potestatem in dubium vocare, vel potius probare? imo ulterius subjunxit: *neminem*, inter eos Patres, qui pro episcopis perorabant, *negare auctoritatem summi Pontificis, et eum omnia posse, quæcunque expediunt pro universali Ecclesia in ædificationem et non in destructionem.* Gibertus de Nogueras Aliphanus episcopus in verba: *pasce oves meas, dixit Christum locutum fuisse cum Petro una cum reliquis, ut ostenderet, eam auc-*

toritatem in reliquis etiam perstituram, postea cum eo solo locutum fuisse, ut significaret, licere ipsi eam sine reliquis exercere. Guerrerus, nomine omnium Hispanorum, edixit, se non obstituros, imo sibi probari, ut poneretur in canone de episcopis, eos jure divino subjectos esse Rom. Pontifici, et ad ipsi parendum obstrictos. Hæc Hispani episcopi, qui tam ferventer instabant pro definitione, quod episcopi suam institutionem et potestatem habeant ex jure divino. Ipse cardinalis Lotharingus in sua oratione, postquam primatum Petri non decretalibus Isidori, sed indubitatis scripturæ testimoniis firmasset, voluit canonem constitui, quo anathemate feriantur, qui dicunt, Petrum inter apostolos non fuisse *primum*, *summum* Christi in terris *vicarium*, nec *unum* esse *supremum* Pontificem, Petri successorem, eique *parem in auctoritate regendi.* Idem dixit, *Ecclesiam non habere facultatem efficiendi, ut non regatur a Rom. Pontifice, et ab episcopis, neque constituendi sibi aristocratiam aut democratiam, sed necesse esse, eam regi per monarchiam a Pontifice universali, et ab episcopis particularibus.* Dicat Febronius, num hoc sit dubitare, utrum Papa sit universalis Ecclesiæ Pastor, quando dicitur Vicarius Christi *unus, supremus, summus, par cum Petro in auctoritate regendi*, et necesse esse, ut *Ecclesia universalis regatur* a Rom. Pontifice? audiat dein Febronius, a Lotharingo invisam sibi *monarchiam* in Ecclesia as-

seri in publico conventu patrum, de quo tamen nullibi exprobrationem tulit. Pariter Psaumæus ei ipse Gallus, doctor Sorbonæ et episcopus Verdunensis in orat. habita die 5. decemb. canonem petiit constitui *de primatu Petri et plenitudine potestatis SS. Domini Papæ, quam habet in universas totius Ecclesiæ catholicæ oves, ut universalis Ecclesiæ auctoritate hæreticorum improbitatem retundamus, quorum conatus et vires omnes tendunt, — ut monarchiam papalem, supremamque ejus auctoritatem funditus evertant.* Hæc ipse Psaumæus. Atque ex his patet, quæ fuerit mens patrum, et præcipue Gallorum ac Hispanorum de regimine NB. monarchico et jurisdictione Pontificis in concilio Tridentino. Imo Bellicarius episcopus Metensis a Lotharingo et duodecim episcopis Gallis reprehensus est, quia paulo acerbius visus est perorasse obscurando Pontificiam auctoritatem. Ita Psaumæus et Pallavicinus.

At Lotharingus admittere noluit eas voces, *Pontificem habere a Christo plenam potestatem pascendi, regendi et gubernandi Ecclesiam universalem.* Ita est, tricas movit, verum non in sensu Febronii; hic Papam non solum concilio subesse, sed etiam omni jurisdictione vult exuere. Lotharingus ei jurisdictionem asserit, regimen monarchicum extra concilium generale agnoscit, et solum se opposuit, ne offendat Sorbonam, et eos Gallos, qui concilium superius Pontifice esse volunt, quia ipsi videbatur per ea verba hanc

sententiam damnatum iri. Idem Lotharingus in fine concilii inter acclamationes, quas ipse composuit, et cui præcinenti reliquorum Patrum chorus respondit, Pium IV. vocabat *Pontificem sanctæ et universalis Ecclesiæ*, teste Pallavic. L. 24. c. 8. qui ait, ibi visum esse, a Lotharingo Papæ tribui prærogativam *supra Ecclesiam universalem*, quæ prius ab eodem et a Gallis fuerit impugnata.

Ex concilio Tridentino rectius ego sic concludo: ibi canon de universali potestate et jurisdictione Pontificis, et quidem, ut ipse fatetur Febronius, pene ad verbum exscriptus ex concilio Florentino, jam paratus erat, nil restabat, nisi promulgatio ejusdem, fere soli resistebant Galli; *cum pars maxima assentiretur, solum habita ratio est paucorum Gallorum, qui ne decima quidem concilii pars erant.* Pallavic. apparat. ad histor. c. 10. n. 3. Hic canon dein pacis causa fuit omissus, non retractatus, non damnatus; nihilominus concilium ubique in decretis suis salvam voluit esse auctoritatem sedis apostolicæ ita quidem, ut propterea etiam Galli oscitantiæ accusarent cardinalem Lotharingum. Igitur mens concilii neutiquam fuit, concilio subjicere Pontificem, illa exceptio ad normam canonis suppressi intelligenda erit, et idea regiminis monarchici in dicto concilio se satis ubique manifestat. Dein in concilio utique mens potioris partis non paucorum resistentium attenditur. Denique jam dixi ipsos Gallos, quos jam supra nominavi,

et præcipue Lotharingum in publico concilio monarchiam papalem saltem extra concilium asseruisse, quod Febronio favere non potest.

Ne quis autem existimet, magnam vim argumenti in illa cardinalis Lotharingi ad Britonem secretarium suum epistola latere, cujus fragmentum affert Febronius, Hyacinthus Serri ipse Gallus et doctor Parisiensis tract. de Rom. Pontif. eam omnino fictitiam et suppositiam censet, vel si vera sit, cardinalem de nimio excessu in exaggeranda Parisiensis Academiæ sententia accusat, et falsum esse ait, theologos Parisienses sententiam de superioritate concilii, ut fidei caput habuisse, ita ut contrarium asserentes tanquam hæretici notarentur, imo ridendam esse illam auxesin, Gallos de vita potius, quam de sua sententia discessuros : hæc ultima verba, quæ in epistola Lotharingi leguntur, Febronius tamen studiose omisit. Cæterum, quid de sententia Gallorum circa superioritatem concilii sit tenendum, dicam inferius.

Ad 1. Illa materia, de qua Tridenti tam frequenter et acriter disputatum fuit, et circa quam ab una parte stabant NB. Hispani cum Gallis, non erat de forma monarchica, neque de superioritate Pontificis supra concilium, uti Febronius omnia miscens, subdole hìc vult innuere, imo Lotharingus publice vocavit monarchiam, atque hanc a Pontifice regi debere ; Ferrerius quoque orator Galliæ, etsi de religione aliquan-

tum suspectus, cum aliis quibusdam Gallis affirmabat Pontificem concilio præeminere; sed quæstio sæpius et acriter mota ab Hispanis et Gallis fuit de titulo concilii, atque de jurisdictione et institutione episcoporum, utrum hæc sit immediate a Deo? hæc autem sententia nedum cum monarchico regimine, sed et cum superioritate Pontificis supra concilium stare potest, et multi eam defendunt, qui nihilominus priorem de præeminentia Pontificis supra concilium firmiter propugnant. Neque opus est, pro ista cum cardinali Simmonetta (si tamen verum est) adminicula ex rationibus politicis quærere, dum fundamentum in scripturis, traditione et conciliis satis firmum habeat.

Ad 2. Non serius, sed jam ab initio sub Crescentio legato observatum fuit, cujus sequelæ esse possint hæ quæstiones, non quidem apud patres præsentes, uti ex mendaci suo Paulo Sarpi refert Febronius, sed, ut ait Pallavicinus L. 18. c. 15. n. 18, quæ ab aliquo turbulento ingenio possent inferri, quale præ se fert Febronius, suique similes, qui optima quæque ex adversa facie repræsentant. Quippe patres, Hispani præsertim, qui divinam institutionem et jurisdictionem episcoporum maxime urgebant (de hac sola enim quæstione ibi sermo erat) protestati sunt, se propterea auctoritatem Pontificis nolle diminuere, imo eam aperte professi sunt, et Lotharingus etiam ea de re specialem canonem

voluit constitui? si igitur ad mentem horum patrum dicamus, episcopos immediate a Deo habere suam jurisdictionem, nondum sequitur, claves non soli Petro datas esse, concilium esse supra Pontificem, episcopos Papæ æquales esse; quippe illud semper intelligendum erit cum subordinatione et dependentia ad caput et vicarium Christi. Nam, ut ait Thomassin. de vet. et nov. discip. pag. 1. lib. 1. cap. 50. n. 2. *Longe aliud est, quempiam delegare, et ei præesse. Petrus a Christo super omnes apostolos evectus est, et illi tamen a Petro nec missionem, seu delegationem, nec auctoritatem obtinuerunt suam, sed ab uno immediate Christo.*

Ad 3. Granatensis et Hispani præsules non agebant ibi de sententia, utrum Pontifex sit pastor universalis Ecclesiæ, et supra concilium; nam idipsum sentiebant, ac profitebantur Hispani, sed insistebant definitioni de potestate et jurisdictione episcoporum, quam jam dixi, priori sententiæ et regimini monarchico in nostro sensu nullatenus præjudicare. Decipit ergo lectorem Febronius, quasi illam priorem sententiam impugnantes, contrariam tam certam dixissent Hispani. Quantum inde, auctori decedat, necesse est!

Ad 4. Neutiquam adhuc probavit Febronius, textus S. scripturæ nostro systemati parum favere, imo nos contrarium demonstravimus. Jam videamus, utrum ad ea, quæ Seripandus et

Jacobus Lainez in concilio ulterius argumenta proponebant, apte respondeat Febronius.

Ad 5. Non ad humanæ politices, sed ad divinæ sapientiæ regulas theologi reducunt regimen ecclesiasticum, dum monarchicum esse volunt. Certe Deus totum mundum monarchice gubernat, quin tamen ejus regimen ad humanæ politiæ regulas constructum sit. Ita enim argumentantur theologi : divinæ sapientiæ congruit, ut in Ecclesia sua instituat regimen perfectissimum in ordine ad finem suum consequendum; sed tale est regimen monarchicum, en, *ex divinæ*, non *humanæ sapientiæ* regulis ita deducit theologus. Dein tale regimen revera a Deo institutum fuisse, satis probatum est ex scripturis. Republicani quidem negant, regimen monarchicum esse perfectissimum, ex eo potissimum, quia facile in despotismum degenerat, et hoc ex vitio hominum ac regentium, non ex natura et conditione regiminis : huic satis a Christo præcautum est, tum quia omnem fastum et dominatum arbitrarium proscripsit, tum maxime, quia Pontifex non propria, sed vicaria et quasi delegata potestate gubernat, quæ potestas certis legibus circumscripta est. Dum vero unus non potest omnibus in tota Ecclesia per totum mundum diffusa intendere, ideo episcopos cum ampla potestate instituit, ut tanquam pastores certis gregibus invigilent, et regant. Ne autem hi a via sua aberrent, in partes eant, et inde scis-

suræ ac bella in Ecclesia oriantur, iis omnibus unum præfecit, qui eos in officio contineat, ipsis invigilet, atque discolos pro sua potestate coerceat. Quid sibi timet Febronius a tali regimine? ubi nec oves, nec pastores, nec ipse summus pastor a constituta sibi via aberrare audet, et cuivis pro suo officio leges a Deo præscriptæ sunt.

Ad 6. Revera nihil respondet Febronius. Quod Christus in terris indefinita auctoritate rexerit, et in cœlis interiori influxu et exteriori assistentia adhuc regat Ecclesiam, nemo negat. At præter istum influxum et assistentiam nullane potestas et jurisdictio in Ecclesia existit? certe si pro regenda Ecclesia sufficit ille interior gratiarum influxus et assistentia Christi, tunc neque Episcopi ullam habent potestatem et jurisdictionem, imo nulla omnino esset in Ecclesia, quod sequeretur ex responsione Febronii. Nos itaque dicimus: Christus monarchice rexit Ecclesiam: ascendens in cœlum constituit pro regenda Ecclesia sui vicarium Petrum cum potestate et jurisdictione; ergo regimen Ecclesiæ adhuc est monarchicum. Ad quid enim vicarius? et quomodo hic regat Ecclesiam absque potestate et jurisdictione, anne sufficit huic argumento respondere: Christus per gratias adhuc influit, et assistit Ecclesiæ? nam stante hoc influxu et assistentia, episcopi habent veram jurisdictionem et potestatem in ecclesias suas particulares, imo

hæc potestas et jurisdictio ad eas regendas necessaria est : ergo multo magis summus Christi vicarius amplissimam pro tota Ecclesia jurisdictionem et potestatem habet, ideoque adhuc monarchice regitur Ecclesia. Neque Petavii et Basileensium testimonia ad rem sunt, aut aliter intelligi debent.

Ad 7. Quo sensu intelligendus sit textus Lucæ 22., dicemus suo loco, quia Febronius de eo alibi adhuc multum disputat : interim advertimus, interpretationem Febronii pro libitu confectam esse.

Ad 8. Ex actis Tridentini et dictis hucusque convincitur, concilium non contrarium fuisse, imo agnovisse monarchicum Ecclesiæ statum, canonem circa id præparatum infallibiliter fuisse enuntiandum, nisi pauci Galli preces, minas et obstacula interposuissent, nihilominus concilium sess. 14. c. 7. rotunde affirmare et docere, Pontifici supremam in universa Ecclesia potestatem traditam esse, ipsum Lotharingum, qui tam solerter suæ Sorbonæ cautum voluit, in hac fuisse sententia, et Ecclesiam publice monarchiam appellasse. Inde nulla omnino ratio est, ut illa verba Tridentini tam clara, *pro suprema potestate sibi in universa Ecclesia tradita*, item *sollicitudinem universæ Ecclesiæ*, in alium sensum accipiamus; quin potius majori ego jure verbis ipsius Febronii initio hujus § hìc utor : *pro singulari divinæ providentiæ et sapientiæ effectu, nec non Christi*

etiamnum Ecclesiam in-et exteriori sua assistentia regentis operatione habendum, ut vis veritatis in gratiam genuinæ et nativæ formæ regiminis ecclesiastici perrumperet, quamvis res ipsa verbis expressis in hoc concilio definita non fuerit. Et quare alius illis verbis apertis sensus substituendus est? an patres non intellexerunt, quid dicatur? an non singula verba multoties examinata, et mature ponderata sunt, antequam in canonem referrentur? an hæc Lotharingum et Gallos in singula verba attentos fugere poterant? sed nunquid vis veritatis, ut iterum utor Febronii verbis, erat major omni perspicacia hominum? at ille in Galliam reversus idcirco exprobrationem tulit? si verum est; ergo Galli per decem menses adversus prætensam Pontificis potestatem decertantes nihilominus tandem veritati victas dederunt manus. Dein a quibus exprobrationem tulit? ab Ecclesia Gallicana? sed hæc erat repræsentata in ipso concilio, atque cum Lotharingo et oratoribus regiis aderant 26. episcopi Galli, a parlamento? sed hujus non est doctrinam in Ecclesia statuere a Sorbona? at una schola non potest toti Ecclesiæ suam opinionem obtrudere. An a privatis doctoribus? verum quid hi contra tot patres et doctores omnium nationum in concilio. Apage cum nœniis: exprobratio ista nullum pondus vel auctoritatem habet.

Ad 9. Quid hìc Febronius cum Barthelio? quærit clar. Barthel, an Pontifici vi illius clausulæ

major potestas competat circa abrogationem decretorum conc. Trid. quam aliorum? respondet, Romanos eam clausulam ita explicare, ut salvum sit arbitrium et voluntas Pontificis, hoc esse contra mentem Tridentini, illam clausulam additam esse contra protestantes, a quibus auctoritas Pontificis oppugnata fuit, pariter alia concilia, licet non expresserint, eam auctoritatem salvam voluerunt. Quænam est igitur illa potestas Pontificis, quam vi hujus clausulæ negat Barthelius, et quænam quam ipse affirmat? negat, quod per hanc clausulam Pontifici NB. *major* potestas asseratur ad abroganda decreta hujus concilii, quam aliorum, et circa hæc ejus arbitrium ita salvum sit, ut possit arbitrarie et pro mero libitu ea abrogare, in iis dispensare etc. et hoc recte, quia Pontifex tenetur prudenter uti sua potestate, et non tantum, ut ipse ait Barthelius, ex plenitudine potestatis, verum et ex plenitudine justitiæ agere. Fallitur autem, si putat, omnes Romanos eam clausulam sic explicare. E contra, Barthelius circa concilii decreta Pontifici eam potestatem affirmat, quam negant protestantes, et quam alia concilia, licet non expresserint, semper salvam voluêre, nempe quod possit justa cum causa in iis dispensare, derogare, etc. uti seipsum magis explicat eod. tit. ad num. 85. removet ergo D. Barthel ex mente Tridentini, quod est nimium : e contra Gibert nimis parum dicit, nempe concilium consentire, ut in quibusdam

circumstantiis cesset observatio decretorum, si Papa ex validis rationibus id expedire ducat, quod esset tantummodo interpretari legem per Epikeiam. Verba autem clausulæ quid amplius significant; siquidem auctoritatem sedis apostolicæ, quam salvam esse vult Tridentinum circa decreta, non primum dat, sed jam supponit concilium. Sensus igitur est; quamvis Pontifici per istam clausulam a concilio major potestas non sit attributa circa hæc decreta, nolle tamen impedire vel restringere auctoritatem Papæ, vi cujus pro rerum exigentia et ex certis causis in istis decretis, sicut in aliis dispensare, vel mutare aliquid possit. Sed hæc nihil pro Febronio, ubi auctoritas Papæ non negatur, sed asseritur, et roboratur contra protestantes. Dein idem Barthel annot. ad l. 1. tit. 33. dicit, regimen Ecclesiæ esse monarchicum aristocratice temperatum : a catholicis ut dogma fidei teneri, Pontificem ex cathedra loquentem esse infallibilem, probabilius videri, Pontificem independenter, a consensu episcoporum, et se solo esse infallibilem. Item ad tit. 2. Pontificem posse leges ferre pro tota Ecclesia. An etiam Febronius ita loquitur de potestate Pontificis?

Ad 10. Cum jam prævideret Febronius, multa ex Tridentino concilio sibi non favere, vel non in suam partem trahi posse, iterum accusat falsitatem decretalium Isidori, hasque in causa esse ait. Hæc accusatio, si quid valeret, multa nobis

in illo concilio suspecta esse deberent, et qualis tunc foret auctoritas concilii? quis valor decretorum? quæ certitudo doctrinæ? an non eadem retorquere possemus, in concilia Constantiense, Basileense, Pisanum? an non a sæculo VIII, usque omnes hæretici regere possent, patres nostros ignorantiæ tenebris obvolutos, fuisse deceptos? an Spiritus S. et ejus assistentia dependent a regulis critices, per quas nobis veritas innotescat? certe non ista sunt argumenta hominis catholici. Nos credimus, concilio adfuisse assistentiam Spiritus S., ut in doctrina fidei et morum errare non potuerit.

Ad 11. Multa in suo sensu, quo nimis abundat, hìc congerit Febronius. Ego solum quæro! si prævaluit numerus Italorum, quem aula romana pro suis prætensionibus multo ampliorem semper objecit, quare ille canon de potestate Rom. Pontificis non fuit editus? cur solum ratio habita fuit quorundam Gallorum? si legati Pontificii, ipso Sarpio teste, in materiis doctrinæ se satis continuerunt, et circa vota patrum et decisiones impartiales se gesserunt, cur ergo illos toties accusat Febronius, quod non attenta resistentia patrum suam doctrinam vel directe urgerent, vel oblique insinuarent? aut cur patres contrarium non definière? fallitur Febronius, si putet, synodi patres circa formam regiminis Ecclesiæ in sua opinione fuisse, uti jam ex dictis constat. Quam fidem sibi meren-

tur Thuanus et Sarpius, dum aiunt, episcoporum potestatem in hoc concilio non parum imminutam fuisse? contrarium probat Pallavicinus in apparatu historiæ concil. Trid. et alibi, et præcipue Philippum II, Hispaniæ Regem, contra quam spargit Sarpius, dixisse, *hi homines concilium tanquam parochi adiêre, iidem tot summi Pontifices rediêre.*

Ad 12. Postulata protestantium, præcipue Saxonum, qui auditi sunt 24 Jan. 1552, hæc erant: statim declaretur, num Pontifex sit supra concilium: hìc non ut judex, sed ut pars et reus adsit concilio, contra quem graves habeant accusationes, episcopi a juramento Pontifici præstito absolvantur, theologi protestantium jure suffragii gaudeant, omnia hactenus in concilio irritentur.

Jam si mens concilii fuit contra monarchicum regimen Ecclesiæ, nempe Papam subesse concilio, in eo ipsum non esse supremum judicem, in eo ut partem et reum posse accusari et judicari, quare non detulit postulatis protestantium, quare non audivit accusationes, quare non judicavit? gravissimas rationes habuisset id faciendi, protestantes nempe reuniendi Ecclesiæ, tot milliones animarum ab æterno exitio liberandi, tot bellis et cladibus finem ponendi: imo hic scopus et causa fuit concilii congregandi. Certe aliam mentem insedisse concilio censendum est, vel totum concilium de vitio assentationis erga Rom.

Pontificem accusare debemus. Male igitur et falso concludit Gibertus eximius ille, ut ait Febronius, theologus et canonista. Ego inverto argumentum : non ignorabat concilium postulata hæreticorum, sciebat, depressione auctoritatis Pontificiæ, faciliorem fore viam reuniendi protestantes, non tamen hoc fecit : imo de hoc faciendo nequidem quæstio fuit mota; ergo nulla est probabilitas, quod mens Tridentini fuerit, regimen Ecclesiæ non esse monarchicum, et quod voluerit Pontificem suis decretis subjicere. Res magni momenti agebatur, nempe reditus hæreticorum ad Ecclesiam; controversia erat de doctrina, a cujus decisione ille reditus multum dependebat : patres et theologi in concilio non ignorabant, quæ in hac materia in conciliis Constantiensi, Basileensi, Lateranensi, Florentino, et aliis retro synodis acta fuerint, non tamen putabant, se posse in favorem hæreticorum decidere. Dicat nunc Febronius, omnes patres assentatores Pontificis fuisse, vel falsis Isidori decretalibus deceptos : utrumque, ne quid amplius dicam, injuriosum et falsum est. Ego interim dico, concilium, utpote legitimum, habuisse infallibilem Spiritus S. assistentiam. Hoc tamen non obstante, concilium hæreticos multoties invitavit, non ut eorum injustis postulatis consentiret, sed ut errorem dedoceret.

§ IX.

Ecclesia hodieque regitur exteriori Christi institutoris assistentia, inde suam habet infallibilitatem, quæ non est revelationis, sed directionis, hæc non solum verbis S. Scripturæ, sed et rationis celeberrimorum philosophorum et theologorum Angliæ demonstratur.

Probat hìc multis Febronius, Ecclesiam esse infallibilem, per exteriorem Christi assistentiam. Nempe ne fideles in omni vento doctrinæ circumferantur, et perpetuo fluctuare debeant, necessariam esse legitimam auctoritatem, enatas controversias decidendi : neque unitati fidei satis consultum fore, si hæc auctoritas esset mere persuasiva et pædagogica, non autem publica, quin et ab omni errandi periculo remota, cui omnis humana ratio se submittere debeat. Hanc auctoritatem nec simpliciter divinam, quia hominibus accommoda, nec simpliciter humanam, quia certissima esse debeat ; itaque humanam quidem, sed divinitus directam, et non tantum a Deo communicatam, sed etiam inerrantiæ dono perpetuo munitam esse oportebat per assistentiam Spiritus S. Probat hoc dein textibus S. scripturæ in hunc finem afferri solitis, et testimonio Augustini. Interim hanc Spiritus S. assistentiam non esse revelationis, qualis fuit prophetarum, sed directionis et providentiæ, qua spiritus ille vigilat, et impedit, ne pastores con-

cordent ad proponendum fidelibus, et ne hi pari conformitate amplectantur aliquid difforme regulis fidei in verbo sacro contentis. His servatis regulis, nunquam evenire, ut concilia in errore concordent. Eandem esse disciplinam sacrarum doctrinarum, quæ constanter et uniformiter in Ecclesia observatæ sunt, contra quas juxta regulam Augustini et Vicentii Lirinensis non licet novam invehere. Hoc autem privilegium inerrantiæ, quod *universitati* Ecclesiæ tribuit Christus, in *unius*, licet primi, persona recognosci non posse. Totum opus Febronii in eo versari, ut ejiciat ex animis Italorum et quorundam aliorum ideam status monarchici in Ecclesia, quæ a detecta falsitate decretalium Isidori plurimum vacillat, et jam ante apud Gallos et Hispanos nihil auctoritatis habuit, et in concilio Tridentino egregie oppugnata caput attollere non potuit. Quidquid huic systemati ex traditione et longa sæculorum observantia adversatur, etiam officere *unius* infallibilitati in materiis fidei : textus vero scripturæ pro solius Rom. Pontificis infallibilitate in alium sensum jam explicatos esse.

1. Ecclesiæ infallibilitatem tam apertam et firmam esse, ut assensus prudentum ei negari non possit, probat ratiocinio trium Anglorum, et primo Joannis Locke in suo opere *le christianisme raisonnable.* p. 368. fusissimum Lockii ratiocinium in eo absolvitur : cum apud protestantes scriptura sit unica fidei regula, et infallibilem scrip-

turæ interpretem non habeant, hinc inter eos non convenire, et unum posse rejicere, quod alter credit. E contra, catholicos in ratiocinio sibi magis constare, quia dicunt, Ecclesiam romanam infallibilem, quo admisso, hujus Ecclesiæ definitionibus se necessario submittere debent. Hîc mox intercedit Febronius, si per romanam Ecclesiam intelligatur Catholica, id verum esse, si vero intelligatur illa particularis Ecclesia Italiæ, de hoc etiam inter catholicos valde, ne quid amplius dicat, dubitari etc. etc.

2. Sequitur Guilielmus Saywell in epistolas Launoii, qui ait, totam potestatem penes pastores esse, iis obediendum, eorum fidem sequendam, et eorum doctrinam præcipue ex conciliis generalibus percipiendam. Concilia tamen generalia non esse *unum et solum* modum per se et absolute necessarium, quo Ecclesia suam doctrinam exponit : eandem esse auctoritatem pastorum extra concilia, si ex scriptura, antiquorum scriptis et usu passim recepto res nobis tradantur. — — — Si a Romanensibus tolleretur, quod superadditum est, et a reformatis restitueretur, quod omissum est, nulla disceptandi causa restaret. Addit alia, et præcipue promissionem Christi, quod sit semper adfuturus Ecclesiæ, unde pastores nec extra concilium a vera doctrina aberrent.

3. Excipit Febronius nonnihil contra Saywelli ratiocinia, quod hic de Ecclesia docente extra

concilia tradit de quo se acturum dicit c. 6. § 8.

4. Subjungitur Guilielmus Cave in epist. Apologet. advers. Joan. Clericum tom. 2. hist. litter. hic ait, post scripturam, ad probandam doctrinam Ecclesiæ et confutandas hæreses, nihil validius afferri, quam constantem et universalem veterum doctorum consensum et testimonia.

5. Disputat Febronius contra protestantes, qui pro stabili doctrina Ecclesiæ petunt concilia legitime congregata, et patres libere unanimi sensu judicantes. Cum vero talia concilia semper haberi non possint, omnia forent incerta, et Ecclesia contra promissum Christi non esset certa regula supra montem posita, sed quasi in angulo abscondita.

6. Protestantes nihil reformasse in moribus, sed potius licentiæ frena laxasse; reformasse equidem in doctrina, at ideo non sustulisse dubia et controversias, siquidem ipsos circa illa inter se divisos esse. Non esse autem hominis veritatem sincere diligentis, de una communione transire ad aliam, tantum ad mutandas opiniones absque majori certitudine ex capite evidentiæ, multo autem minore ex capite auctoritatis. Temerarium esse absque necessitate et ratione evidenter certa damnare formulas ab antiquitate sacratas. Docente Vincentio Lirinensi, esse proprium Christianæ modestiæ et gravitatis, non sua posteris tradere, sed a majoribus accepta servare. Juxta Hugonem Grotium *in voto pro*

pace, catholicis minus exprobrari posse repudiationem essentialium veritatum, quam superfluorum et inutilium adoptionem. Inter superflua autem illud nunc a Febronio debellari, quod cæteris omnibus intolerabilius est, sed posse, imo debere id debellari sine schismate, imo sine generali concilio.

NOTA.

Nemo catholicorum unquam negavit, Ecclesiam esse infallibilem : sed quæritur, ubinam, in quibus residet illa infallibilitas ? Febronius eam denegat Papæ tanquam capiti, sic Ecclesia absque ullo absurdo carere omnino poterit Pontifice, manetque sine eo adhuc infallibilis : destructo autem sic statu monarchico, necessario exsurget aristocraticus vel democraticus ; siquidem auctoritas et infallibilitas tunc vel residebit in solis episcopis, sicque erunt saltem respective ad suas diœceses et Ecclesias particulares tot capita, quot sunt episcopi, et quod nunc Papæ denegat, singulis episcopis cedere debet Febronius; vel infallibilitas residebit in omnibus christianis, et tunc omnes ruricolæ et mulieres interrogari, vel saltem consentire debent : in hoc ultimum intendere videtur Febronius, qui inter Ecclesiam credentem et docentem nullibi distinguit, et pro suo systemate Richeriano ubique *universitatem* Ecclesiæ subdole substituit, quasi infallibilitas in docendo etiam ad totum cœtum omnium fidelium pertineret, atque inde judicium ultimatum exquiri deberet.

Juxta nos Ecclesia est infallibilis in credendo et docendo. Ecclesia in credendo infallibilis comprehendit totam congregationem fidelium tam prælatorum, quam subditorum cum suo capite, et hæc a theologis vocatur infallibilitas passiva : Ecclesia in docendo infallibilis comprehendit corpus pastorum et episcoporum cum suo capite sive in, sive extra concilium et hæc dicitur infallibilitas activa. Igitur certum est, Ecclesiam in credendo et docendo infallibilem esse, nempe quod a toto cœtu fidelium fide divina creditur, vel a toto corpore pastorum, tanquam fide divina credendum proponitur, certum et infallibile est. His jam certo suppositis, adhuc quæritur : si nova controversia in materia fidei oriatur, si ipsi doctores et episcopi dissentiant, imo si hæc lis inter ipsos pastores episcopos exsurgat, si concilium generale non est congregatum, nec congregari potest, ubi residebit tunc infallibilitas? quis tunc erit judex controversiæ infallibilis, cujus sententiæ et judicio stare debemus? an concilium? at, ut dixi, non est congregatum, nec congregandum. An consensus *omnium* episcoporum totius Ecclesiæ? at jam aliqui dissentiunt, imo sic dissensus unius vel alterius episcopi jam infirmaret totam infallibilitatem, et sic nullum unquam judicium erit infallibile. An consensus *majoris partis ?* petis, quod moraliter est impossibile. Num omnes in orbe episcopi erunt interrogandi? quis numerabit? quis sciet mentem episcoporum

in Indiis orientalibus et occidentalibus? ut tandem dignoscatur, cui sententiæ major pars adhæreat? et quis hunc consensum fidelibus certo annuntiabit? quid si plurimi episcopi errarent, uti factum in ipsis conciliis Ariminensi et Ephesino II? quid restat, cœtus fidelium, laicorum, mulierum, civium, rusticorum, militum etc.? sed horum est audire, non docere, credere, non judicare, pasci, non pascere. Nos igitur dicimus, in tali casu eum, qui a Christo constitutus petra ad firmandam Ecclesiam, cui datæ sunt claves, cui omnes oves et totus grex ad pascendum commissus est, qui jussus est confirmare fratres, nempe Christi vicarium Rom. Pontificem se solo esse judicem controversiæ infallibilem, secus non esset satis provisum Ecclesiæ, secus fideles semper in incerto fluctuare deberent, et hæreses impune grassarentur, vires acciperent, donec lis ista per concilium œcumenicum, vel fors nunquam terminari posset. Igitur Ecclesia credens et docens, tum active, tum passive est infallibilis, sed nunquam sine suo capite Rom. Pontifice, imo hic, si ex cathedra loquatur, etiam sine prævio consensu episcoporum et Ecclesiæ, infallibilis est, secus paritati, et certitudini fidei ac doctrinæ nunquam satis prospectum foret. Contrarium toto suo opere non evincet Febronius. De mente Tridentini supra dictum est: textus autem S. scripturæ a se in genuinum sensum explicatos fuisse, ex supra dictis falsissimum est, atque in vanum

sibi gloriatur Febronius, verum ab illo in alienum sensum violenter detortos fuisse vidimus.

Ad 1. Ad demonstrandam Ecclesiæ infallibilitatem haud opus erat trium Anglorum testimoniis, dum nobis argumenta ex scriptura et traditione abunde sufficiant, quamvis et illa contra ipsos protestantes quasi argumentando ad hominem haud incongrue producantur. Quantum vero ad nos adhuc multo æquiores sunt hi tres Angli ipso Febronio. Lockio enim dicenti, catholicos in ratiocinio sibi magis constare, quam protestantes, quia *Romanam Ecclesiam* dicunt infallibilem, et inde haberi judicium et interpretem scripturæ infallibilem, continuo se opponit Febronius, cui Lockius jam nimium dixisse visus est. *Si per Romanam, ait ille, intelligatur particularis illa Ecclesia Italiæ, certe de hoc non quæritur solum, sed inter ipsos catholicos valde, ne quid amplius dicam, dubitatur.* Est revera, cur se contineat Febronius, equidem jam amplius, quam veritas patitur, dixit. Lockius ad demonstrandum catholicorum ratiocinium eam sententiam protulit, quam inter eos judicavit esse communem et veram : num in hoc erravit ? revera communis est et *ubique recepta*, ut loquitur Benedictus XIV, in litt. ad Inquisitor. General. Hispaniæ die 13. Jul. anno. 1748. fundatur aperte in scripturis et traditione, quod neutiquam subruere potuit Febronius. Fuit hæc sententia antiquorum Gallorum, cui noviter Clerus Gallicanus aliquam

modificationem addere ausus fuit; verum huic novæ sententiæ seq. § Epocham statuemus, neque ista plene a communi et antiqua recedit, dum *in quæstionibus fidei præcipuas summi Pontificis partes esse, atque ejus decreta ad omnes et singulas Ecclesias pertinere* vult. Verum de his inferius.

Ad 2. et 3. Saywellus ultimatum judicium, totam potestatem et auctoritatem docendi, regendi etc. in pastoribus et episcopis sive in concilio congregatis, sive per orbem dispersis residere ait. Neque hoc placet Febronio, qui citans suum c. 6. § 8. Ecclesiæ docenti, sive Pontifici cum episcopis dispersis nullam infallibilitatem et judicium irreformabile concedit. Quid cogitemus de Febronianis? anne catholici sunt? neque sentiunt nobiscum, qui alias communem sententiam tenemus, neque cum Gallis, quorum sententia est, judicium Pontificis irreformabile ac certum esse, si consensus Ecclesiæ dispersæ accedat. Soli hæretici, spretis judiciis episcoporum suorum, synodorum particularium, et ipsius Pontificis a conciliis œcumenicis ultimatum judicium expetiêre.

Ad 4. Audio, quibus argumentis doctrina Ecclesiæ contra hæreticos defendi, iique efficacius confutari possint: at nihil invenio contra infallibilitatem Pontificis, nihil de infallibilitate Ecclesiæ, quam Febronius in titulo hujus § ratiocinio istius Anglicani theologi demonstrare promisit, verum sæpius in devia aberrat.

Ad 5. et 6. Hoc solum quæro : utrum Hugo Grotius, celebris alias jurista, in hac quæstione testis idoneus sit contra catholicos, et utrum inter superflua reputanda auctoritas summi Pontificis? de qua tamen inter protestantium duces non infimus (protestantem protestanti, quin et Febronio oppono, si tamen ab his argumenta mutuanda sint :) Melanchton, teste Bossueto, lib. 5. variat. num. 14. ita scribit : *quod ad articulum attinet de superioritate Pontificia et episcoporum auctoritate, non est dissensio, et facile possunt retinere auctoritatem suam Rom. Pontifex, et cæteri episcopi, et ut maxime si nulli essent episcopi, tamen creari tales oporteret. Prodesset etiam NB. monarchia Romani Pontificis, ut doctrinæ consensus retineretur in multis communitatibus.* Quid? Melanchton facile admittit, et etiam profuturam dicit monarchiam Rom. Pontificis? certe Isidorianus non est : ergo inter adulatores, fautores, pedissequos romanæ curiæ Melanchtonem Febronius numerabit. Saltem hic Augustanæ confessionis consarcinator non inter superflua et inutilia, multo minus præ omnibus aliis intolerabiliorem censuit romanam monarchiam, quam tanto nisu debellat Febronius pro reuniendis hæreticis. Imo Brandenburgici per suum legatum Slavium ad concil. Trident. Julium III, appellant *summum Pontificem sanctæ Ecclesiæ romanæ et universalis.* Æquiores ergo habemus acatholicos pro Rom. Pontifice ipso Febronio.

§ X.

Ultramontanorum doctrina de Rom. Pontificis infallibilitate neque ab aliis catholicis Ecclesiis agnoscitur, nec practicam habet utilitatem.

Universalis Ecclesiæ infallibilitatem transalpinos etiam soli Rom. Pontifici asserere, ait Febronius, nihilominus textus et loca patrum ab iis prolata in catholicum sensum apte exponi posse, et a plerisque SS. patribus ac celeberrimæ Galliæ theologis de facto exponi. Duo dein principia affirmat: 1. quod cadente Rom. Pontificis monarchia, etiam prætensa ejus infallibilitas nutet. 2. Quod assertio Pontificiæ inerrantiæ parum practicæ utilitatis habeat, ex quo regulam dirimendarum controversiarum fidei nunquam valeat constituere. Mera etenim opinio est, contradicta a viris celeberrimis, præcipue Gersone, Tostato, Dyonisio Carthus. Petro de Alliaco, Almaino, Adriano VI. P., Claudio Santesio, Bossueto, Colleto, atque a maximis apprime catholicis Ecclesiis rejecta. Nec replicam pati, ait, quod tradit Bossuet. in defens. Cleri gallicani l. 15. c. 16. *Si vovere, aut potius somniare placet, certe expetent homines, ut Rom. Pontifex tanti gregis ductor non modo nullo errore, sed etiam nullo peccato, nulla ignorantia, aut negligentia aut cupiditate teneatur.*

1. Ecclesia græca sæculo XII, teste Anselmo

Havelberg. Dial. 3. c. 8. per os Nechitis Nicomediæ archiepiscopi suum de hac re sensum ita declaravit, si Romani Pontificis auctoritas super omnes est, si ipse solus episcopus, solus magister, solus præceptor etc., ad quid scripturarum scientia, litterarum studia, magistrorum doctrinalis disciplina, sapientium græcorum ingenia? in nullo symbolo Rom. Ecclesiam specialiter, sed unam catholicam et apostolicam profiteri jubemur: illam quidem venerandam, sed non per omnia sequendam esse. Sic et in concilio Florentino Ecclesia græca noluit Rom. Pontificem agnoscere infallibilem, aut concilio superiorem. *Scimus*, ait, Bessarion sess. 9. *quæ sint jura et prærogativæ romanæ Ecclesiæ, nihilominus, scimus etiam prærogativæ ejus, quos terminos habeant.* Et infra, *quantacunque facultate polleat romana Ecclesia, minus tamen pollet synodo œcumenica et universali Ecclesia.*

2. Ecclesia africana haud aliter sensit, dum sententiam de baptismo hæreticorum a Stephano P. damnatam in tribus conciliis Carthaginensibus acriter propugnavit, inattento, quod Pontifex Africanos episcopos a sua communione propterea removere tentaverit.

3. Ecclesia gallicana decretis conciliorum Constant. et Basileensis de superioritate concilii supra Pontificem adhærens anno 1682. Pontificem in decretis fidei, nisi accedente Ecclesiæ consensu, pro infallibili haud agnoscere, conspirantibus om-

nibus regni ordinibus, curiis et academiis, solemniter professa est.

4. Eandem esse Ecclesiæ Germaniæ sententiam, quæ decreta concil. Constant. et Basil. acceptavit, et hæc concilia pro œcumenicis et legitimis habuit. Hæc non everti privatis doctrinis et academicis prælectionibus quorumdam doctorum, præcipue monachorum romanæ sedi adulantium, licet suprema auctoritate (quod forte fieri deberet) nondum suppressis.

5. Ipse cardinalis Orsi in præfat. t. I. adversus declar. Cleri gallicani fatetur, Romæ et alibi plures fuisse nec malos, nec indoctos, aut imperitos, qui, expenso opere Bossuetiano, causam hanc non ultra a Romanis sustinendam, sed veluti conclamatam et dimittendam esse censerent.

6. Si qui Romani cum Bellarmino dicunt, suam sententiam *esse fere de fide*, quæritur, quid hoc monstri sit? nempe quod vel Deus *fere* revelaverit, vel Ecclesia *fere* definierit: at quod Deus plene non revelavit, nec Ecclesia plene definivit, nullo modo de fide est. E contra, multi Gallorum contrariam sententiam de fide esse sustinent. Verum et hi excessu peccant, sicut illi.

7. Itaque est, et semper manebit verum, quod collectus gallicanus theologus, circa Pontificis auctoritatem tamen valde moderatus tom. 2. theolog. Tournel. pag. 592 statuit, scilicet infallibilitatem Pontificiam, quam tantopere jactitant ultramontani, nullius in fidei controversiis momenti esse.

NOTA.

Ita est, Ecclesiam dicimus infallibilem, et Rom. Pontificem, quando hic exigente necessitate et Ecclesiæ bono aliquid ex cathedra definit. Quid autem vult Febronius dum ait, textus et loca a nobis in hanc sententiam citata posse in sensum *catholicum* exponi? nostra igitur sententia catholica non est, vel an omnino hæretica est? vix puto, illud id crimen nobis imputare, sed solummodo hac voce uti, ut sententiam suspectam de errore, vel saltem despectam redderet. Mox mitiora loquitur : *opinio* est, at contradicta a viris celeberrimis, et a maximis apprime catholicis Ecclesiis rejecta. Si *opinio*, ergo et contraria sententia ad summum itidem opinio erit? Verum hoc pugnat cum adversariorum principiis; si enim eorum sententia in tribus conciliis generalibus, Pisano, Constantiensi et Basileensi, ut aiunt, legitime definita est, tunc eorum sententia non mera opinio, sed de fide erit, et contraria hæretica est, quod nec ipsi adversarii audent dicere. Serius loquar cum Febronio. Nostra sententia de infallibilitate Pontificis doctrina communior est, a paucis quidem contradicta, et a nulla Ecclesia rejecta, uti falso asserere audes, quod mox, et præcipue de Ecclesia gallicana ostendam : viris autem tuis celeberrimis, qui omnes vel exceptionem vel explicationem admittunt, et saltem monarchiam Papalem, invito Febronio, asse-

runt, his, inquam, viris oppono ego gregem doctorum, patrum, sanctorumque, quorum nullus hanc nostram sententiam retractavit. Plus dico, nostra sententia prudens persuasio et veritas est quantumvis quorundam argutiis aliquamdiu obfuscata; continetur enim in notione primatus et officii pastoralis. Ad quid enim primatus et munus pastorale, si fideles, si grex non tenentur audire vocem pastoris, si periculum subsit deceptionis et erroris in fide? si illi non tenentur ducem suum sequi, si continuo periculum sit, ne pastor noxio pabulo pascat oves, eas mactet, et perdat? episcopi quidem etiam pastores sunt, at hi nullibi in scriptura leguntur infallibiles: a quibus igitur hi docendi erunt, num a suis ovibus? vel potius pabula, et doctrinam fidei a præposito sibi supremo pastore recipere tenentur, ut sit unus grex et unum ovile? frustra recurris ad concilia generalia, hæc enim in Ecclesia, propter difficultates ea congregandi et alia obstacula, media extraordinaria sunt: nunquid præter alia vix superabilia, etiam penes solos principes stat impedire, ne talia congregentur, et ne episcopi in unum conveniant? si consensum Ecclesiæ dispersæ requiris, iterum ad id provocas, quod moraliter vix possibile est, neque ipse Febronius in illa infallibilitatem vult agnoscere. Certe si Christus Ecclesiæ suæ bene consulere voluit, ei providere debuit de medio ordinario, ut enatis controversiis semper præsto sit judex certus, ne

plures fideles in errorem inducantur, vel diu in eodem detineantur. Utique omnis communitas, omnis respublica media habet ad sui conservationem necessaria tum ordinaria, tum extraordinaria; putas Christum minus providisse Ecclesiæ suæ, quam usque ad finem mundi duraturam esse voluit; habet quidem illa perpetuo influxum et assistentiam a Christo : verum hic influxus et assistentia sunt invisibiles, debet igitur canalis ille esse certus, semper præsens et apertus, per quem influxus et assistentia in Ecclesia visibili operatur. Cæterum, principia alias debent esse certa : illa autem duo, quæ Febronius affirmat, satis labili fundamento nituntur. Certe monarchia Rom. Pontificis institutione Christi, scriptura, praxi et possessione tot sæculorum firmata, etiam in concilio Tridentino sese satis exeruit, atque ab ipsis Gallis haud obscure asserta fuit, uti hactenus vidimus; itaque ejus infallibilitas exinde neutiquam nutat. Quam autem practicam utilitatem hæc sententia in Ecclesia habeat, mox infra dicemus.

Replicam autem omnino patitur illud defens. cleri gallic. siquidem sufficit, Christum, qui assistit Ecclesiæ, impeccabilem, omniscium esse, nullaque cupiditate teneri, de ejus vicario hoc non expetimus, quippe non quæritur, qualis debeat esse sanctitas, qualis scientia summi Pontificis, sed qualis auctoritas et assistentia Spiritus S.; neque ejus vita, conversatio et mores ad imitandum nobis proponuntur, sed ejus doctrina

ad audiendum et credendum, atque in hoc habet assistentiam Spiritus S. tanquam pastor et magister universalis Ecclesiæ. Tam insulsa a celeberrimo Bossueto vix exspectare possumus, et Febronio autem adhuc longe pejora indulgemus.

Unum adhuc notari meretur. Quidquid Salmasius, Molinæus, Antonius de Dominis, aliique ad evertendum Pontificium primatum excogitarunt, Febronius contra regimen monarchicum corrasit substituendo *primatui* nomen *monarchiæ*. Latet in hoc artificium et dolus Febronii. Primum decipiendi erant lectorum animi, et nomen primatus aliquandiu retinendum erat, ne liber ab acatholico prodiisse videatur; cuniculis dein agendum et sub schemate monarchiæ ipse primatus ita dilacerandus et destruendus erat, ut de eo nil nisi nudum nomen remaneret, quod quam insigniter præstiterit, videbimus c. 2. ubi de primatu ex professo tractat.

Ad 1. Ecclesia græca per os Nechitis loquitur, id est, Ecclesia schismatica per schismaticum suum sensum prodit, et quidem eo ipso schismatica, quod negando primatum et supremam in Ecclesia Pontificis auctoritatem, se ab illo centro unitatis separaverit; nam rabida Nechitis declamatio vel schismaticum, vel saltem iratum in latinos animum prodit. An igitur conveniens est testimonium Nechitis? cæterum, Nechites quæstionem nostram non tangit, imo nimium et falsum dicit; non enim dicimus Papam *solum* episcopum, *solum*

magistrum etc., sed *supremum* et *universalem*, qui tamen alios inferiores, vel ei subordinatos non excludit. Item dicimus de Bessarione, qui ista proferebat disputans, et dum adhuc in errore esset. Imo si Ecclesia græca audienda est, puto tum maxime, quando per os patriarchæ sui loquitur. At in concilio Florentino Josephus patriarcha paulo ante mortem suam scripto professus est, *se omnia credere, quæ catholica et apostolica Ecclesia Romæ veteris credit, beatissimum autem patrum patrem, summum Pontificem, Romæque veteris Papam D. N. J. Christi vicarium esse.* Ubi notandum est, concilia etiam orientalia per Ecclesiam apostolicam intelligere, et ita vocare romanam.

Loquantur tamen et alii Græci. S. Basilius epist. 74. de Eustathio episcopo Sebasteno deposito, et a Liberio P. restituto : *quæ sint illa a beatissimo episcopo Liberio profecta, et ad quæ consenserit, nobis clam est, nisi quod epistolam attulit, per quam restitueretur : eam, ubi Tyanæ synodo exhibuit, in suum locum restitutus est.* Tantum adeo tunc Græci deferebant judicio Pontificis. S. Flavianus epist. ad S. Leonem rogat confirmari damnationem a concilio contra Eutychetem latam. *Causa enim*, ait, *eget solummodo vestro solatio et defensione, qua debeatis consensu proprio ad tranquillitatem et pacem omnia perducere. Sic enim hæreses et turbæ facillime destruentur, Deo cooperante, per vestras sacratissimas litteras.* Flavianus igitur judicavit, sententiam

concilii non fore satis firmam absque confirmatione Rom. Pontificis, et hanc esse efficacissimam ad destruendam hæresin. Mennas patriarch. Constantinop. in synodo ibi habita inquit : *nos apostolicam sedem sequimur, et obedimus, et ipsius communicatores, nos communicatores habemus, et condemnatos ab ipsa et nos condemnamus.* Quid clarius? Stephanus Larissæ episcopus in libello Bonifacio II. P. oblato. *Auctoritas sedis apostolicæ, quæ a Deo salvatore nostro summo apostolorum data est, sanctarum Ecclesiarum privilegiis antecellit, in cujus confessione omnes requiescunt Ecclesiæ.* Barlaamus Hieracensis episcopus in epist. 1. de Rom. Pontifice sic habet : *quem omnes honorant, et metuunt, tanquam ab ipso D. Christo ordinatum, et in terris, ut gerat vices ejus, constitutum. Itaque mandata illius cum omni reverentia omnes suscipiunt, et ipse cum ea, quæ circum se est, synodo, cum grandi auctoritate et potestate corrigit omnia, retractat, confirmat, irritat, statuit, inhibet etc.* Confer supra Græcos patres in textus Matth. 16. et Joann. 21. §§ 2 et 3. Interim hæc omnia judicium Rom. Pontificis supremum et irreformabile arguunt.

Ulterius Theodorus Studites in suis epistolis Papam vocat *caput omnium capitum et supremum pastorem Ecclesiæ super terram, petram fidei, super quam Ecclesia catholica fundata est. Portæ inferi, id est hæreses nunquam prævaluerunt, neque prævalebunt contra eum usque ad consum-*

mationem sæculi. Roma est, unde nos debemus recipere securitatem fidei etc. Ipso tempore schismatis auctoris Photii scripsit Imperator Basilius Nicolao I. P. *Ut autem divinum et apostolicum judicium de sanctissimo patriarcha, et infelicissimo Photio palam fiat, missi sunt ab utraque parte legati, ut præsentibus illis causa a te finiatur.* Ignatius vero patriarcha sic scripsit: *in membris Christi — — — unum tantum ac solum selectum ac universalissimum medicum, tuam nempe fraternam, paternamque sanctitatem supremum Dei verbum constituit, cum Petro supremo vertici dixit, tu es Petrus etc. etc. Hujusmodi enim beatas voces non soli apostolorum principi privata quadam forte transcripsit, et assignavit, sed et per illum ad omnes Rom. sedis Pontificis illius successores transmisit. Hinc retro olim, cum hæreses et scelera pullularent, noxias illas herbas et Zizania apostolicæ sedis vestræ successores extirparunt.* Denique Græci in concilio Florentino publice professi sunt, Rom. Pontificem esse verum vicarium Christi, totius Ecclesiæ caput, omnium Christianorum patrem et doctorem existere, ipsi a Christo pascendi, regendi, gubernandi universalem Ecclesiam plenam potestatem traditam esse. Hucusque ex ore Græcorum. Taceo auctoritatem et judicia, quæ a rom. sede sæpius ipsi expetierunt Græci, Pontifices in oriente exercuerunt, et quæ etiam in conciliis ab eis cum plausu et reverentia suscepta sunt.

Ad 2. Si in illis tribus conciliis totam Ecclesiam africanam constituas, dicam ego, totam Ecclesiam africanam errasse. Siquidem certo illa concilia circa Baptismum hæreticorum cum Cypriano erravêre. Non est ergo, cur hìc Ecclesiam africanam objicias. At dices, errâsse quidem in quæstione de baptismo hæreticorum, sed tamen Stephanum Papam non censuit infallibilem, quia eidem definienti non consensit. Cave sis, ne Cypriano majus adhuc crimen objicias, et facias omnino hæreticum. Nam Stephano P. contra 50 orientales et 70 Afros episcopos consensit totus occidens, et innumeræ aliæ Ecclesiæ, adeoque major omnino, imo maxima pars totius Ecclesiæ. *Si omnino*, ait S. Augustin. l. 3. contra Crescon. c. 3. *jam credendum sit, quinquaginta episcopis orientalium id esse visum, quod septuaginta Afris, vel aliquanto etiam pluribus contra tot millia episcoporum, quibus hic error in toto orbe displicuit.* et l. 2. contra Gaudent. c. 8. *Stephani fuisse innumerabiles toto orbe collegas, qui ejusdem sententiæ participes erant.* Est autem indubitata inter catholicos doctrina, si cum capite et Pontifice *definiente* pars longe maxima episcoporum, sive collective in concilio, sive dispersim sumptorum consentiat, tale judicium esse irrefragabile : tali autem judicio juxta Febronium, et quidem in re dogmatica, ut ipsi tenet c. 6. § 9. Restitit Cyprianus cum Afris : ergo et in hoc erravit, quia non consensit. Præsensit Febronius hunc teli jac-

tum; igitur ut illos jure restitisse dicat, se refert ad caput suum 6. § 9. ubi judicium Pontificis cum consensu episcoporum per orbem dispersorum non sufficere, nec certum esse sustinet, nisi in concilio congregentur. Utrum autem hoc sit catholice sentire, ibi videbimus. Nos dicimus, Stephanum P. illam quæstionem non definiisse ex cathedra, sed solum rescripto prohibuisse aliquid innovare. Dum autem Pontifex solum ut definiens sit infallibilis, illa resistentia Ecclesiæ africanæ nondum quid probat contra ejus infallibilitatem; imo potius eam firmaret, quia tandem in universo orbe christiano ejus obtinuit sententia, nec quidquam obstante, quod numerosa in Africa et Asia concilia, et insignes Ecclesiæ tenuerint oppositam.

Febronius plurimum defert Cypriano, ejusque in hac causa acerbius dicta contra Stephanum, quavis occasione ac sæpius, ad deprimendum Pontificem refert. Nolo ex Cypriano exscribere tot præstantia testimonia, quibus primatum jurisdictionis in sede romana profitetur, atque defendit. Loco omnium sufficiat, et Febronio semper oppono, quod scripsit S. Cyprianus epist. 55. ad Cornel. P. *Neque enim aliunde hæreses obortæ sunt, aut nata sunt schismata, quam inde, quod sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Ecclesia ad tempus judex vice Christi cogitatur, cui, si secundum magisteria divina obtemperaret fraternitas universa, nec adversum sacerdotum*

collegium quidquam moveret, nemo post divinum judicium, post populi suffragium, post coepiscoporum consensum, judicem se, jam non episcopi sed Dei faceret, nemo dissidio unitatis Christi Ecclesiam scinderet, nemo sibi placens ac tumens seorsim foris hæresin novam conderet. Jam quis est iste *unus* ad tempus *Dei sacerdos*, et vice Christi *judex*, cui obtemperare debet *universa fraternitas*, nisi Rom. Pontifex? cui si non obtemperatur, Ecclesia Christi scinditur, hæreses et schismata oriuntur. An vero hæresis est, non obtemperare aut credere Pontifici fallibili, et judici nullam jurisdictionem habenti? infallibilem ergo supponit Cyprianus, ejusque judicium irretractabile et supremum, secus nihil valeret argumentatio Cypriani. In sensu Febronii autem dicere debuisset hic sanctus doctor, inde hæreses et schismata oriri, dum non obtemperatur universæ fraternitati et collegio episcoporum. Nunc in Galliam vocamur.

Ad 3. Superius jam promisimus, sententiæ Gallorum de fallibilitate Pontificis epocham statuere, quam ipse Febronius figit in anno 1682, in quo celebris illa declaratio cleri gallicani ortum habuit. Hinc jure quæritur, utrum illa declaratio cleri sit, semperque fuerit sententia et doctrina totius Ecclesiæ gallicanæ, uti incessanter et speciosius jactat Febronius? prius tamen in causas hujus declarationis inquiramus.

Anno 1680, jus regaliæ Innocentium XI, et

Ludovicum XIV, Regem gravissime collisit, dum Reges longo jam tempore beneficia ecclesiastica vacantia conferre, et fructus beneficiales, donec provisum fuerit, percipere consueverant. Sitæ ad montes Pyrenæos provinciæ ab hoc regalium jure exemptæ erant; ad has jus suum extendere volenti Regi acriter se opposuêre episcopi Arelatenses, et Apamiensis cum suis capitulis, a sententia archiepiscopi sui contra eos in hac causa lata ad sedem apostolicam appellantes. Innocentius XI, tribus brevibus ad Regem datis de regalium extensione, ceu novitate Ecclesiis perniciosa queritur, et totidem brevibus adhortatur ecclesiasticos ad immunitatem suam defendendam. Hæc origo litis.

Indignante Rege, convocatus extra ordinem conventus cleri, in quo 40, tum archiepiscopi, tum episcopi comparuerunt. Causa pro Rege decisa fuit, jus regaliæ jam a tempore Philippi Pulchri habitum fuisse pro jure regio, coronæ annexum, Pontificem falsa relatione deceptum fuisse. Pontifex interim sub pœna excommunicationis prohibuit, ne quis per viam regalium ingressus in Apamiensi diœcesi fungeretur officio ecclesiastico, confessiones et matrimonia coram his inita, irrita declaravit. Parlamentum vero hoc breve illico suppressit. Hinc magis utrinque exacerbati animi.

Tum decretus conventus generalis cleri totius Franciæ. Cum autem Reges a multo tempore con-

ferebant beneficia et dignitates ecclesiasticas, quin provisi ullam acciperent institutionem canonicam aut missionem a prælatis, hinc episcopi ea turbarum occasione utendum rati, Regi supplicarunt, ut huic inconvenientiæ modum poneret. Rex igitur, ut episcopos adversus Romam eo certius sibi unitos haberet, edicto sancivit, nulli dignitas vel beneficium conferatur, nisi qualitates a jure canonico præscriptas habeat, dein ut provisus se sistat suo episcopo pro approbatione et institutione canonica, antequam ullam functionem suscipiat. Tantopere id placuit episcopis, ut omnes in extensionem regalium consenserint. Pontifici autem scripserunt, potius esse aliquid juris immolare, quam pacem Ecclesiæ turbare, et offendere Regem tam potentem; obstitisse quidem anno 1608, extensioni regalium antecessores suos, se vero, mutatis temporum rationibus, aliis motivis teneri; multis dein potentiam Regis, et quæ fortiter pro bono Ecclesiæ, atque contra hæresin gessisset, commemorant.

Pontifex his neutiquam motus, omnia in conventu cleri circa regalia acta declaravit irrita, illis Constantiam Ivonis Carnotensis objiciens, et si vel modicam prælati opposuissent firmitatem, Regem haud dubie in eorum petita concessurum fuisse, nec tamen unum fuisse, qui se murum opposuisset pro defensione domus Dei.

Exin deputati conventus cleri gallicani in Innocentium XI, minus propensi, atque vel metu,

vel reverentia in Regem, vel magis placendi studio, declarationem famosam anno 1682, quatuor articulis comprehensam, ediderunt. En! occasionem et causam hujus declarationis, quæ videbatur ipsi Regi justos limites excedere, et in periculo erat, omnino ut hæreticam damnatum iri. Nolo, ut meis verbis fides habeatur. Acta prostant. Legatur ipse magnus Bossuet Contin. histor. univer. ad annum 1682, cujus verba postea adducam.

Jam certum est, ante hanc declarationem non fuisse sententiam communem, multo minus doctrinam cleri aut Ecclesiæ gallicanæ de fallibilitate Pontificis. Audiamus antiquiores Gallos, et celeberrima hujus Ecclesiæ lumina. Patres concilii Arelatensis anno 455. in epist. synodica ad S. Leonem P. *apostolatus vestri scriptum ita ut symbolum fidei, quisquis sacramenta religionis non negligit, tabulis cordis inscripsit, et tenaci ad confundendos hæreticorum errores memoriæ commendat.* At doctrinæ fallibili et incertæ tanta adhæsio et reverentia non præstatur, ut symbolo fidei.

Anno 517. S. Avitus Viennensis, nomine totius Ecclesiæ gallicanæ, ab Hormisda P. responsum et instructionem petit: *quia*, ait, *jam securus non dicam de Viennensi, sed de totius Galliæ devotione polliceor, omnes vestram super statu fidei captare sententiam.* Anno 567, concilium Turonense II. sic habet de virg. Deo dicatis matrimonio non jungendis. *Quis sacerdotum contra talia decreta*;

quæ a sede apostolica processerunt, agere præsumat. — — — Et quorum auctorum valere possit prædicatio, nisi quos sedes apostolica semper aut intromisit, aut apocryphos fecit; et patres nostri hoc semper custodierunt, quod eorum præcepit auctoritas. Nos ergo hoc sequentes, quod vel apostolus Paulus, vel Papa Innocentius statuit in canonibus nostris inserentes statuamus — — observandum. Ivo Carnutensis epist. ad archiepiscop. Senon. ait : *Apostolicæ sedis judiciis et constitutionibus obviare, plane est hæreticæ pravitatis notam incurrere.* Omissis pluribus aliis, ad posteriora tempora deveniamus.

Anno 1324. Stephanus Parisiens. episcopus in decreto cum consensu Academiæ Parisiens. edito sic habet : *S. Romana Ecclesia omnium mater et magistra in firmissima Petri Christi vicarii confessione fundata, ad quam velut ad universam regulam catholicæ veritatis pertinet approbatio vel reprobatio doctrinarum, declaratio dubiorum, determinatio tenendorum, confutatio errorum.*

Eadem academia obtulit Clementi VII. Avenione tractatum, in quo sic argumentatur. *Prima conclusio est, quod ad S. Sedem apostolicam pertinet auctoritate judiciali suprema, circa ea quæ sunt fidei, judicialiter definire. Et hoc probatur. Quia ad illius tanquam supremi judicis auctoritatem pertinet in fide judicialiter definire, cujus fides nunquam deficit : sed S. Sedes apostolicæ fides nunquam deficit, quia de hac dictum est : Petre,*

rogavi pro te, ut non deficiat fides tua. Citat dein Cyprianum et Hieronymum. Similia eadem facultas, teste Buleo, hist. Paris. anno 1387, pro infallibilitate Pontificis profitetur. Eandem sententiam tota natio gallicana in libello ad Clementem V. P. dato declaravit. *Non quæritur de hæresi Papæ quondam, ut Papæ, sed ut privatæ personæ: nec enim ut Papa potuit esse hæreticus, sed ut privata persona, nec unquam aliquis Papa, in quantum Papa fuit hæreticus.* Habes hinc ex Gallia, distinctionem inter Papam ut Papam, et hominem privatum non recens intentum esse.

Clerus gallicanus in comitiis generalibus Meloduni anno 1579. Omnia acta judicio et auctoritati sedis apostolicæ subjicit, *cujus ex præceptis populum fidelem institui, et certam fidei ac morum correctionis regulam constitui oportet.*

Anno 1626, comitia generalia cleri gallicani statuunt, *hortandos episcopos, ut sedem observent apostolicam, Ecclesiamque romanam infallibili Dei promissione fundatam. — — — Petro cum clavibus datam infallibilitatem fidei, quam videmus divinæ potentiæ miraculo in Petri successoribus ad hodiernum usque diem immobilem permanere.*

Anno 1650, episcopi 85 congregati, cum turbas occasione libri Jansenii excitatas compescere non possent, per litteras remedium expetière ab Innocentio X. P. his verbis: *majores causas ad sedem apostolicam referre, solemnis Ecclesiæ mos est, quem fides Petri nunquam deficiens, per-*

petuo retineri pro jure suo postulat. Æquissimæ huic legi obsequentes etc. etc. Fatentur igitur episcopi Galli, consuetudinem recurrendi in causis religionis ad summam sedem semper servatam fuisse. Inferius autem dicunt : *intercludendum autem penitus speramus effugium, si, ut precamur, sanctitas tua, quid hac in re sentiendum sit, clare, distincteque definiat.* Irreformabile ergo censuerunt et ultimatum judicium Pontificis episcopi galli, a quo ulterius appellari non possit, si per illud omne effugium penitus intercludi dicebant.

Emanata constitutione in hac causa iidem episcopi et clerus gallicanus lætantes rursum anno 1653. Pontifici rescripserunt, de hac constitutione ita loquentes : *quo in negotio illud observatione dignum accidit, ut quemadmodum ad episcoporum Africæ relationem Innocentius I. pelagianam hæresin damnavit olim, sic ad gallicanorum episcoporum consultationem hæresin ex adverso pelagianæ oppositam Innocentius X. auctoritate sua proscripserit. Enim vero vetustæ illius ætatis Ecclesia catholica SOLA cathedra Petri communione et auctoritate fulta — — — pelagianæ hæresis damnationi absque cunctatione subscripsit. Perspectum enim habebat, non solum ex Christi Domini nostri pollicitatione Petro facta, sed etiam ex actis priorum Pontificum — — — judicia pro sancienda regula fidei a summis Pontificibus lata super episcoporum consultatione, sive suam in actis relationis NB. sententiam ponant, sive non ponant, prout*

illis collibuerit, divina æque ac summa per universam Ecclesiam auctoritate niti, cui Christiani omnes ex officio ipsius quoque mentis obsequium præstare tenentur. Ea nos quoque sententia ac fide imbuti, romanæ Ecclesiæ præsentem, quæ in summo Pontifice Innocentio X. viget, auctoritatem debita observantia colentes, constitutionem divini numinis instinctu d. b. v. Conditam promulgandam curabimus in Ecclesiis et diœcesibus nostris, atque illius executionem apud fideles populos urgebimus etc. Hæc clarissima sunt. Nihil hìc de examine bullæ ab episcopis facienda, sed statim promulgationem et executionem spondent : nihil de consensu Ecclesiæ dispersæ exspectando, nihil de concilio congregando, imo judicia Pontificum pro facienda regula fidei divina et summa auctoritate niti, etsi episcopi suam sententiam non ponant. His denique addere possem plurimos post Albertum M., D. Thomam, D. Bonaventuram illustriores Academiæ Parisiens. doctores, sed quibus hæc non sufficiunt, nec ampliora sufficient.

Hic igitur sensus, hæc sententia et doctrina fuit cleri, nationis, academiæ et Ecclesiæ gallicanæ de infallibilitate Pontificis ante dictam declarationem. Cur ergo et quomodo clerus a doctrina majorum descivit? causas et motiva, quæ clerum in hanc declarationem inducebant, jam supra audivimus, quæ potius politiam humanam sapere videntur. At ne nimium dixisse videar, testem produco ipsum clariss. Bossuet, qui, *Con-*

tin. de l'Hist. Univers. tom. 2. à l'année 1682. sic habet. Mais celui-ci (le Roi de France) ayant un autre sujet de différend avec Innocent XI. — — — l'origine de ce différend étoit, que le Roi cherchant toutes sortes de moyens pour accroître ses finances, s'étoit laissé persuader d'étendre indifféremment le droit de régale sur toutes les Églises de son royaume, dont plusieurs avoient été jusques-la exemptes. Ce droit le rendoit maître de tous les revenus des Évechés et des Abbayes la première année de leur vacance, et le mettoit en état de jouir de toute l'autorité et de toutes les prérogatives annexées à la dignité du prélat vivant, excepté celles, qui regardent les fonctions spirituelles. Innocent s'opposoit à cette innovation, fondé sur l'usage reçu, selon lequel ses prédécesseurs, et le Roi même avoit considéré ces Églises comme exemptes, et sur ce qu'elles avoient été déclarées telles dans un concile de la nation, tenu à Lyon l'an 1274. Le clergé de France néanmoins y donnoit les mains, peut-être plus par respect pour l'Autorité royale, que par aucune persuasion, que la chose fût conforme au droit, au-moins ecclésiastique. Ce respect, ou cette crainte, animée peut-être par d'autres passions, porta le clergé à s'assembler cette année à Paris, et à y faire des déclarations touchant les droits du S. Siége et le pouvoir du Pape, qu'Innocent trouva outrés, et qu'il fut sur le point de déclarer hérétiques.

Vides, ipsum Bossuetum causam hujus declarationis non persuasioni, sed reverentiæ erga Regem, timori, et non obscure aliis passionibus attribuere. Sed nunc ipsam vim et affectum hujus declarationis inspiciamus.

Imprimis ex centum triginta episcopis, quos Ecclesia gallicana numerat, tantum 34 vel ut alii 40 huic conventui præsentes aderant, neque alii vocati sunt, aut comparuerunt, et quamvis pauci adhuc quidam deputati aderant, horum tamen non erat de doctrina judicandi et definiendi auctoritas. Hinc dici non potest, hanc declarationem esse definitionem et decisionem totius cleri et Ecclesiæ gallicanæ.

Dein teste Hyacintho Serry Sorbonæ doctore coævo, et tunc temporis præsente L. de Rom. Pontif., item alio, R. Pontificis privilegia intitulato, Sorbona in hac declaratione, et condendis quatuor articulis non modo nullam partem habuit, sed in ea acceptanda non modicam vim passa est. Quippe cum præses curiæ cum consiliariis et Procuratore Generali, jussu Regis, universitatem accederet, ut quatuor articulos hujus declarationis reciperet, et in publicas academiæ tabulas registrarentur, tam acres inter doctores turbæ et dissidia orta sunt, ut præses, re infecta, abscesserit. Post aliquot dies non exspectata doctorum deliberatione, nec eorum consensu quæsito, in supremam senatus curiam vocatus est publicus academiæ notarius et scriba, et dicti

cleri declarationem academiæ tabulis inscribere jussus est. Quod vero postea Baccalaurei illos ipsos articulos per aliquot annos thesibus suis inscripserint, ac etiam propugnarint, ut possint ad magisterii gradum promoveri, non academiæ statutum aut jussum, sed debitum Regi obsequium fuit. Ita laudatus Serry.

Dein multi doctores etiam de hoc querebantur, et quidem justissime, quod facultati theologicæ adimeretur sua libertas, et quod quæ in scholis dictarent, Procuratori Generali, homini laico, velut pro censura exhibere tenerentur. Et revera quæ sit amplius auctoritas alicujus scholæ, vel academiæ, si sententias non proprio motu, deliberatione, et indagandæ veritatis studio atque judicio, sed cæco quasi ductu et premente potestate etiam inviti sæpius proponere tenentur? maxime si ab iis hoc fiat, quibus non inest auctoritas in hac vel illa materia certam doctrinam statuere.

Cæterum, illi ipsi præsules, hujus declarationis auctores suam sententiam non pro certa doctrina, multo minus pro fidei veritate, sed tantum pro opinione venditabant. Sic enim in epistola ad universos Galliæ præsules data anno 1682, dicunt: *ea ratio nos impulit, ut eam aperiremus, quam veram esse ARBITRAREMUR catholicorum sententiam.* Non defuêre tamen tunc temporis, qui quatuor articulos de jansenismo accusare non verebantur, præcipue auctor libelli, status præ-

sens facult. Lovanien. qui ait : *ubi est jansenismus? dicam tibi, est in nostris quatuor articulis, est jansenismus cleri Franciæ et Sorbonæ.* Alii, ut auctor. *testamenti politici*, ad calumnias usque progressi dicebant, episcopos in eo conventu sic devotos Regi fuisse, ut si voluisset alcoranum substituere evangelio, ocius manus dedissent.

Tandem hujus declarationis exitum et finem spectemus. Innocentius XI. per litteras in forma brevis 11 April. anno 1682, omnia in dicto conventu acta rescidit, cassavit, interdixit, et perpetuo irrita esse declaravit, quæ Alexander VIII. ejusdem successor solemniori constitutione, quæ incipit *inter multiplices.* 4 Aug. anno 1690, repetiit. Interim ex his, qui dicto conventui aderant, si ad sedes episcopales sive novas, sive altiores a Rege nominati sunt, a Pontifice confirmationem non obtinuerunt, donec sub Innocentio XII. inter ipsum et Regem conventum erat, ut illi ipsi episcopi litteras supplices et retractationem ad Papam darent, quibus profitebantur, se de gestis in præfatis comitiis *vehementer, et super omne id, quod dici potest, ex corde dolere*, ac eadem pro non decretis et deliberatis habere et habenda esse etc. etc. Iidem quoque episcopi in alio conventu congregati retractarunt illam priorem declarationem, teste eodem Bossueto, l. cit. denique ipse Rex christianissimus, qui dato edicto hos quatuor declarationis articulos ab omnibus teneri et tradi prius jusserat, postea ad Inno-

centium XII. P. scripsit, se mandata dedisse, ut illud præfatum edictum circa quatuor articulos nullum effectum et sequelam habeat. Rex istam revocationem edicti vocat in suis litteris testimonium publicum suæ venerationis erga summum Pontificem. Jam colligamus dispersa. Doctores, sorbona, episcopi, et comitia cleri, imo tota natio et Ecclesia gallicana antiquitus et ante hanc declarationem de anno 1682 aperte profitebantur infallibilitatem Pontificis, uti ex testimoniis supra allatis constat, occasio, causa hujus declarationis non erat doctrina majorum, aut persuasio et convictio veritatis, sed longe aliæ rationes hanc machinam movebant, metus, reverentia erga Regem, studium placendi, et fors aliæ passiones, teste ipso Bossueto præsente et eidem declarationi subscribente. Ipsa declaratio a minima parte præsulum confecta fuit, ut adeo non possit dici declaratio et definitio ipsius Ecclesiæ gallicanæ : ipsi fabricatores horum quatuor articulorum suam sententiam tantum opinionem, et se arbitrari dicebant : sorbona ad hanc declarationem acceptandam adacta fuit : ipsa dein declaratio a summis PP. improbata, cassata, denique ab illis ipsis episcopis, a quibus condita fuit, iterum retractata, atque ab ipso Rege revocata fuit. Quale robur, quam auctoritatem ergo habet ista declaratio, quam toties objectat Febronius? si ejus natales etiam omni vitio carerent, ei adhuc ipsi præsules et Rex, quorum pondere prius susten-

tabatur, postea iterum revocando omnem auctoritatem ademerunt. Quo jure ergo ausit dicere Febronius, hanc esse doctrinam Ecclesiæ gallicanæ? At dices : ab eo tempore saltem ea communis in Gallia sententia fuit. Quidquid sit, novitia tamen est, malum parentem habuit infelix soboles : sive spectes auctoritatem nascentis, sive tempus invalescentis hujus doctrinæ, an tanti est, ut omnes etiam exteri doctores huic assurgere debeant? an soli Galli sapiunt? an novas identidem sententias et opiniones, sicut novos crines crispandi modos ex Gallia avocare debemus? ipsi Galli hac in parte æquiores sunt, suosque mores et doctrinam exteris nolunt obtrudere. *Aliarum Ecclesiarum disciplinæ ac moribus non præjudicant gallicani mores*, ait Natalis t. 1. theolog. dogmat. et mor. l. 2. de Sacram. ord. Christoph. de Beaumont archiepisc. Paris. anno 1763, et Jacobus de Montesquiou episcop. Sarlat. anno 1764, in suis litt. pastoral. dicunt, indignum et stolidum esse, exteros doctores aspernari, aut illis indignari, quod doctrinæ cleri gallicani non consentiant.

Attamen etiam post declarationem cleri gallicani infallibilitas Pontificis a multis doctoribus in Gallia propugnata fuit, uti sunt supra cit. Hyacinthus Serry, Malagola etc. Gilbert de Choiseul du Plessy Praslin episcop. Tornac. in epist. ad Steyaertium scripsit : *magna Gallorum catholicorum pars, ac totus vel ferme totus extra Gal-*

liam orbis christianus contra (propositiones gallicanas) *sentire videtur*. Nec minus ipsemet Bossuetus testatur, adversus quatuor articulos gallicanos excitatam fuisse non modo Romam, sed et Bataviam, Hungariam, Italiam, Hispaniam, et magna ex parte ipsammet Galliam. Imo præsules gallicani, cum nimium premerentur turbis Jansenii et Quesnelli, neque litibus finem ponere possent, a sede apostolica judicium supplicantes multum remittere, nec sententiæ de fallibilitate Pontificis tenaciter inhærere visi sunt, quin ejus infallibilitatem in doctrina fidei vix non aperte professi sunt. Cum enim anno 1706, occasione bullæ, *vineam Domini*, quidam in conventu cleri dixissent, constitutiones Pontificum obligare totam Ecclesiam, postquam a corpore pastorum fuissent acceptatæ, hancque acceptationem fieri ex parte episcoporum per viam judicii, Clemens XI. hac clausula se offensum ostendit, eo quod hac ratione episcopi congregati fuerint non tam ad recipiendam bullam, quam ad auctoritatem S. sedis restringendam, vel potius evertendam.

Igitur anno 1711, data ad Papam epistola se ita explicarunt : per id se non intellexisse acceptationem, quæ sit *solennis*, neque ut conventus velut judex constitutionem examinaret, aut tribunali suo subjiceret, sed ut conformitatem suæ doctrinæ cum apostolica, magno cum gaudio accepta significaret, simulque Jansenistis omne præ-

cludatur effugium. Nunquid haud male quis dixit : solvantur vela ventis. Interim saltem fatentur, sententiam gallicanam hæreticis etiam lite jam decisa adhuc præbere effugium.

Quidquid igitur sit de sententia Gallorum circa infallibilitatem Papæ; olim non fuit, et a suo ortu non est sententia totius Ecclesiæ gallicanæ. Ostendimus ejus natales, progressum, et finem. Quare autem adhuc hodie communiter propugnetur, possemus sufficientes rationes afferre : magis politicorum hæc causa est; sed dicta sufficiant. Nunc in Germaniam transeamus. Igitur.

Ad 4. Respondeo : dum Febronius pro Ecclesia Germaniæ citat synodos Constantiens. et Basileens. Nihil adhucdum probat contra infallibilitatem Papæ, etiamsi Germania integras has synodos recepisset, de quo tamen suo loco. In his enim conciliis non illa quæstio de infallibilitate Pontificis, sed de ejus subjectione ad concilium agebatur. Theologi autem has duas quæstiones non ita confundunt; nam etiam supposita infallibilitate Papæ in rebus fidei et morum, posset tamen concilio adhuc subjici quoad alia, puta correctionem, reformationem, depositionem etc. quod autem fuerit circa infallibilitatem Pontificis communis sententia in Germania tum ante, tum post hæc concilia, haud opus est indagare, quia notum est omnibus, insignis tamen tum falsitas, tum calumnia Febronii est, dum dicit, hanc fuisse *quorumdam doctorum, tum maxime monachorum*

R. Sedi adulantium, et propria commoda quærentium privatam doctrinam. Quasi tantum pauci doctores Germani, et hi fere soli monachi ita sensissent. At hæc sententia publice in scholis et academiis docetur, est, et erat sententia doctorum et cleri communis in Germania, publice typis et libris propugnata. Monachi autem quid ab Italis, a Roma sperare poterant, quid obtinuere? quæ proterviæ hominis! dum omnes in unam sententiam conspirare videt, ut hujus auctoritate detrahat, illos de adulatione et commodo propria accusat, et totius nationis Germanicæ theologos ac doctores publice contemptui exponit.

Optat dein doctrinam de infallibilitate Pontificis suprema auctoritate supprimi. Quæ est autem illa suprema auctoritas? hactenus in doctrina fidei, morum, disciplinæ ecclesiasticæ, et in materia theologica penes episcopos et Ecclesiam fuit judicare, uti monet, et præscribit apostolus. Interim non video, quid principibus sæcularibus obsit infallibilitas Pontificis in rebus fidei et morum? quandoque potius prodesse poterit. Utinam, post ultimas Galliæ turbas, acutius videant Germani! optassent forsan Reges Galliæ in illis turbis Jansenianis et Quesnellianis, dum episcopi regni in angustias redacti operam perdebant, et omni sua auctoritate malo resistere non possent, imo et horum aliqui ipso torrente abrepti sunt, ita ut tandem pro efficaciori remedio illi cum Rege ad Pontificem recurrere debebant, optas-

sent, inquam, fors Reges, ut Galli Pontificem crederent infallibilem, sic ut causa, et omnis controversia ejus judicio finiretur : pax et quies publica post tam diuturnum tempus reduceretur. Verum quid profuit, imo quid non obfuit illa sententia gallicana ? tela procusa in proprium sinum reciderunt, dum iis ipsis armis instructi stabant adversarii : Rex urgebat acceptationem bullæ *Unigenitus*. Ministerium regium fortiter Regis mandata promovebat, parlamenta ex adverso obsistebant, præsules ipsi disjunguntur, obstinati in illa sententia cleri gallicani effugium inveniunt, hinc tot appellationes ad futurum concilium, hactenus nunquam, et forte nec nunquam congregandum. Nunquid arbor bona bonos fructus facit ? Germaniæ nostræ meliora ego exopto.

Ad 5. Cardinalis Orsi fideliter narrat, quosdam viros nec malos, nec indoctos, lecta defensione declarationis cleri gallicani, existimasse de sententia infallibilitatis Pontificiæ conclamatum esse. Quid tum ? an sic etiam visum est ipsi cardinali et aliis ? neutiquam. Insanum fuisset, causam jam deploratam, cui ne probabilitas amplius superest, defendere. Defendit tamen, et quidem egregie hic cardinalis, quidquid dicat Febronius. Eandem defensionem declarationis cleri gallicani fortiter oppugnarunt, et contriverunt cardinales quoque Ursi, Lucini, de Blanchis, archiepiscopus Mansi, Roncaglia, Petrus Ballerini, aliique. Elegantia

styli, methodus et eruditio hoc opus Bossueti commendabant, et sicut in hodiernis sæpe pessimæ notæ pagellis plerumque fit, lectores decipiebant : non equidem magnum Bossuetum cum ejusmodi infimæ sortis scriptoribus comparare (sunt enim maxima viri merita) neque ejus honori quidquam detractum esse volo. At nihilominus verum est, quandoque plausibiliorem esse defensionem erroris ipso errore, et sæpe sunt falsa probabiliora veris.

Ad 6. Illud *fere de fide est*, quod per discursum ex revelatis a Deo infertur, seu conclusio theologica, cujus vel utraque præmissa est revelata, vel una revelata, et altera aliunde certa. Tali conclusioni, ut sit de fide, nihil deest, quam definitio Ecclesiæ. Hæc Febronius, si non modo jurisconsultus, sed et theologus est, scire debuit. Igitur indignum est, captare voces, et hisce minutiis inhærere.

Ad 7. Dixerat Febronius in titulo hujus § doctrinam de infallibilitate Pontificis in Ecclesia nec practicam habere utilitatem. Probat hoc ex Colleto Tournelii continuatore, qui dicit, eam sententiam nullius in fidei controversiis momenti esse. Gallum in testem affers ? utique cum Gallis nobis controversia est, illi etiam pars sunt, nos affirmamus, illi negant. Non sufficit ergo ex Colleto solum asserere, sed etiam probari debet, quod dixerat. Dein verum est quod Colletus ait, in fidei controversiis cum hæreticis, qui aliunde

Papam infallibilem non agnoscunt, hæc sententia per se non habet firmam et certam utilitatem : inter catholicos autem apud nos certe suam utilitatem habet, definienti enim ex cathedra Pontifici nos mox assurgimus, et assensum præstamus : nec Ecclesiæ satis prospectum esset, nisi semper adesset certus et infallibilis judex controversiarum, qui doctrinam certam statuere, et hæresin in ipso exordio radicitus supprimere posset. En! utilitatem, si non necessitatem nostræ doctrinæ. Galli e contra dicunt, in tali casu Pontificem debere statuere decreta provisoria, quibus debetur reverentia et silentium obsequiosum, ita ut nemo audeat in contrarium interim docere, usquedum consensus Ecclesiæ accesserit. At in horum etiam sententia episcopi ne quidem tenentur acceptare ista decreta, quia judicium solius Pontificis non est infallibile et ultimatum, imo possunt illa decreta reprobare vel supprimere, et si acceptant, nondum tenentur ea recipere assensu fidei ipsi diœcesani, donec ipsis constet de consensu Ecclesiæ, sicque in circulo curritur, omnia eludi possunt, cuncta in incerto manent. Quæso, quam igitur practicam utilitatem habet sententia Gallorum? certe superiori, et hoc ineunte sæculo melius et citius Galliæ prospectum fuisset, si nobiscum sensisset, uti jam supra notavi. Cæterum, nostra sententia de infallibilitate vicarii Christi Rom. Pontificis adhuc temperamentum et explicationem

recipit ex iis, quæ dicemus infra c. 5. § 1. quo lectorem remitto.

Expenduntur, quæ Febronius alibi contra ea, quæ in hoc capite I. dicta sunt, vel objicit, vel in confirmationem dictorum suorum affert.

Mihi animus non est, ea omnia in unum conferre, quæ Febronius vel ejus defensores per integros tres tomos contra adversarios disputant, vel in medium producunt. Multa et enim jam dicta repetit, multa trita sunt, ac sæpius jam convulsa. Nec minimum etiam in hoc Febronii artificium latet, si ubicunque aliquis S. doctor vel pater de Rom. Episcopo tantum incidenter et absque speciali honoris et auctoritatis significatione loquatur, mox hic in scenam producitur, quasi de Papa nullibi, nisi adjunctis specialibus honoris et potestatis prærogativis sermo esse potuisset. Neque facta, hinc inde allegata, aliquid probant, sed de jure quæritur, quo quis egerit; nam dum nos facta Pontificum et dicta reponimus, Febronius cum suis asseclis mox ea inter usurpationes et abusus rejicit. Quisquis historiam a primo tantum limite salutavit, novit utique, inter multiplices controversias Pontificum cum principibus, hos sæpe nimium excessisse, atque ad extremum aliquod declinasse, non quod ipsi sentirent, se jure id facere, sed ut Papam in vota sua facilius inclinarent: qui inde semper jus aliquod eruere vellet, in politia sæ-

culi et aularum principiis sat peregrinus deprehenditur. Denique quoad præsens saltem caput aliorum recentiorum doctorum dicta et testimonia, quibus in defensionibus suis se munit Febronius, haud semper attendere debemus, cum ipse statim initio traditione et patrum eloquiis rem agere promisit. At quid ergo in defensionibus suis nobis toties objectat Gersonem, de Aliaco, Cusanum, Zarabellam, Bossuet, Natalem, Fleurium et tot alios, quorum plurimi ab omni labe non sunt immunes. Dum e contra nostræ partis auctores una voce mox explodit, adulatores, mercenarios, aulæ romanæ servos criminatur, atque append. 3. pag. 43. Imperii fisco indigitandos esse vult.

Non est igitur, cur eadem multoties repetamus, vel cujuslibet dicta et facta ponderemus, sed ea tantum, quæ notabiliora sunt, et pondus aliquod sententiæ Febronianæ afferre videntur, in medium proferemus.

Dixi § 6, Febronium damnatam Richerii sententiam de potestate clavium defendere. Similia ei præsagiit Kleinerus Jesuita et professor Heidelbergensis. Reponit Febronius appendic. 3. pag. 41. in hoc Richerium a doctrina gallicanæ Ecclesiæ discrepare, quod docuerit, Pontificem esse duntaxat caput *symbolicum* seu *figurativum, ministeriale, accidentarium, non necessarium.* Citat in hunc finem Tournel. tract. de Eccles. quæst. 5. art. 3. At Tournelius loco citato ex Ri-

cherio quatuor propositiones ponit, quas omnes pro *erroneis, scandalosis, et ut sonant, hæreticis*, atque *schismaticis* damnatas dicit. Harum prima est : *Christus suam fundando Ecclesiam prius, immediatius, et essentialius claves seu jurisdictionem toti dedit Ecclesiæ, quam Petro et aliis apostolis.* Secunda, *tota jurisdictio ecclesiastica primario, proprie et essentialiter Ecclesiæ convenit, Rom. Pontifici autem, atque aliis episcopis instrumentaliter, ministerialiter, et quoad executionem tantum.* In quarta dein primum ponit, *Papam esse caput symbolicum.* At Tournelius etiam illas duas priores propositiones damnatas asserit, harum vero doctrinam in § 6. aperte tenet Febronius : ut quid ergo contra se ipsum citat Tournelium? quid negat, se sequi Richerium? quin etiam haud difficile foret ostendere, quod Febronius reapse illam quartam propositionem de capite symbolico et ministeriali admittat. Si tamen innocens est Febronius de doctrina et sensu Richerii, quare tom. 3. p. 9. etc. Richerium in c. 2. libri sui vix uno, alterove verbulo mutato tam solerter exscripsit?

Denique non attento, quod Richerii systema et doctrina hæc in Gallia damnata sit, audet Febronius in suo Daniele Bertono tom. 3. f. 13. adhuc defendere, Richerii systema in hoc neque novum, neque impium, sed veram, piam, statui et instituto Ecclesiæ conformem doctrinam esse. Anne licet ita lectoribus imponere?

in hoc, ais, Richerium errasse, quod statum Ecclesiæ faciat aristocraticum. Verum an non Febronius in hoc totus est, ut omnes apostolos et episcopos in potestate et jurisdictione faciat æquales? hoc utique est statum Ecclesiæ facere aristocraticum : igitur et tu errasti, Febroni? imo Richerius juxta omnes democraticum facit statum Ecclesiæ : id ipsum facit Febronius, qui nullibi sibi constans in tom. 1. c. 1. § 6. totam potestatem universitati et omnibus fidelibus adjudicat : et revera si status Ecclesiæ non sit monarchicus, nec aristocraticus, democraticum esse necesse erit. Quidquid igitur dicat, ubivis Richerius sequitur, quem tamen appendic. 1. *osorem Papatus et inimicum Pontificum* appellat, *qui Lutherum et Calvinum habuit ductores.* Suomet ergo ore convincitur.

Tom. 2. in respons. ad epistol. Ladislai p. 86. Febronius audacter quærit : tu non vis claves Ecclesiæ datas esse? ait dein, Tridentinum hoc expresse innuere, Petro quidem claves promissas esse; sed non *soli*, imo *effective* omnibus apostolis datas esse. Allegat iterum Augustinum et Bedam. Et ego confidenter respondeo, Matth. 16. Petro et huic *soli* claves promissas et datas esse : hunc solum alloquitur Christus, huic soli, ait, se daturum claves, quamvis alibi aliis apostolis non tam claves, quam harum potestatem alio modo tradat, fucum lectori haud memori facit Febronius, dum ex tot aliis clariores pro se

excerpit textus, quasi ad eos responsum nondum fuisset, vel responderi non posset. At legantur, quæ hoc capite speciatim ad §§ 2 et 6 diximus. Videbit lector, quo sensu Tridentinum et nos claves Ecclesiæ datas esse dicamus. Augustinus rationem habuit, quare claves potius Ecclesiæ datas asserat, nostram tamen sententiam non reprobat, imo allegat, supponit, et alibi non obscure amplectitur. Dum enim Augustinus dicit, *huic Ecclesiæ claves datæ sunt, cum Petro datæ sunt,* quis sanæ mentis huic loquendi modo aliam notionem substituet, quamque in his planis verbis continetur? nempe Ecclesiam claves *in* et *per Petrum* accepisse, unde clare sequitur, Petrum immediatius, et Ecclesiam per Petrum accepisse claves, non e converso, ut vult Febronius, Petrus *per* et *ab Ecclesia* eas accepit, secus Augustinus dicere debuisset, Petro datæ sunt, cum Ecclesiæ datæ fuère. Beda ex Augustino loquitur, ita tamen, ut alibi soli Petro claves datas esse asserat. Sic nos textum textui ejusdem patris combinamus, et paucos in speciem quandoque aliter sentientes cum pluribus aliis haud invitos conciliamus. In his ergo volumus lectorem ad jam dicta superius revocare, ne talia toties repetere necessum sit.

In not. crit. in P. Zech. S. J. Febronius ait, in controversiis fidei et morum *competentes* judices esse episcopos, synodos diœcesanas, pro-

vinciales, nationales, summum Pontificem, concilia generalia, Ecclesiam universalem non congregatam. Recte, quamquam de synodo diœcesana nonnihil moneri posset, utrum quivis parochus, sacerdos sit judex competens in controversiis fidei? cæterum admisso, illi sint judices *competentes*, sed non *infallibiles*, uti ipse ait Febronius, nisi Ecclesia in œcumenica synodo congregata sit, sive extra illam consentiens in unum; sine hac igitur non habebitur judicium certum et ultimatum, a quo appellari amplius non possit, etsi competenter et legitime judicent synodi minores, episcopi, summus Pontifex. Facilius est hoc dicere, quam in praxi tenere. Si enim nova oriatur quæstio, ubi concilium generale non est congregatum, nec congregabitur, partes vero judiciis episcoporum, synodorum provincialium, et summi Pontificis non acquiescunt, semper ulterius appellantes, uti nuper in Gallia factum esse vidimus, quomodo, et quando lis terminabitur? quando, ubi, quomodo et unde innotescet consensus Ecclesiæ in unum? nam hoc solum remedium superesset, quis sciet, quando et quod omnes ac singuli episcopi atque Ecclesiæ per orbem consentiant? et antequam hic consensus certo innotescit, credere nondum teneor. Interim manent omnia incerta. Quam practicam utilitatem habet hæc sententia? revera nullam; imo toti Ecclesiæ plurimum noxia est, ac periculosa; quippe per eam schismati et hæ-

resibus impunitas conceditur, ostium et via planissima, vix amplius claudenda aperitur. Verum est: consensus Ecclesiæ etiam extra concilium est signum infallibile et certa regula a posteriori, quod aliquid sit de fide credendum, vel in moribus tenendum, quia tota Ecclesia errare non potest; at a priori, ubi nova controversia exsurgit, nihil operatur, quia nondum adest hic consensus, nec tam facile et longissimo tempore sciri potest, utrum et quando adsit. Interim prætensa illa reverentia erga decreta synodalia et Pontificia languescit, obsequiosum silentium, quod decretis hisce provisionalibus deberi aiunt, rumpitur, et sic lites nunquam cessabunt, quod experientia docuit.

In apolog. Febronii contra 4 theolog. art. 2. iterum in medium proferuntur noti textus Matth. 16. Joan. 21. et Lucæ 22. pro statu monarchico et infallibilitate Pontificis a nobis allati. Opponit Febronius ex Gallis Tournel. Bossuet, Natal. Alexand.; ex Germanis Gregor. Zallwein, et Benedictum Oberhauser. Quidquid sit: ostendat prius Febronius, quis sit sensus litteralis horum textuum, in quo dogma fundatur, et quo omisso, omnes reliqui sensus incerti sunt, nihilque probant? dum autem Gallos auctores nobis opponit Febronius, non ignoramus, eos pro defensione quatuor articulorum scripsisse, quorum auctoritatem jam supra expendimus, atque Gallorum illecebra Germanos nonnul-

los, et inter hos etiam præstantissimos viros, captos fuisse, non inficiamur. Nihilominus Febronio suis propriis verbis in cit. Apolog. pag. 173. (tantum Gallis ego, Romanos substituo) id ipsum respondeo : ubi patrum et doctorum interpretationes certorum textuum S. scripturæ variant, et semper variarunt, et Ecclesia nunquam decidit, non licet uni parti suos alteri commentarios, et opinamenta tanquam legem imponere, neque tenetur se illis submittere. Tantum autem abest, ut Ecclesia se declaraverit pro interpretamentis, quæ hac in parte *Galli* sequuntur, ut ex adverso *Romana* firmiter teneat Ecclesia, concilium generale Constantiense *non* declarasse *eorum sententiam*. Habeat hæc Febronius contra Gallos ex suo proprio ratiocinio. Item hoc adhuc interest Gallos et inter et Romanos, quod illi sententiam suam habeant pro opinione, quam aliis, exteris præsertim nolunt obtrudere, ut superiori § ostendi; Romani e contra suam sententiam pro veritate habent, quia fundatur in sensu litterali scripturæ, a quo nulla necessitas, nec ratio cogit abscedere. Ut quid ergo semper Gallos nobis inclamat, quos tamen ipse non sequitur Febronius? ipse utique ex Natali Alex. Dissert. 4. § 3. ait, secundum triginta quinque patrum et tractatorum ecclesiasticorum expositionem in textu Matth. 16. nomine petræ intelligi fidem, et illa verba, *et portæ inferi etc.* ad fidem Petri et Ecclesiæ, non ad personam

ejus et successorum Pontificum referre NB. theologos Parisienses : sed Febronius hanc non sequitur sententiam, sed per petram omnes vult intelligi apostolos, ideoque nec ipse cum Parisiensibus theologis sentit, quos continuo allegat. Nos nihil dissimulavimus, omnes expositiones § 2. in nostram sententiam facile conciliavimus. At Febronius sibi ipsi conciliari nondum potest.

Prosequitur L. cit. Febronius, duas in textu Matth. promissiones distinguendas esse, per primam Petro asseri primatum, per secundum depositum clavium, quæ ibi tantum promissæ, nondum actu traditæ erant. Profecto satis ingeniose ! ibi Petro datur primatus, quare non etiam claves? si quæro, ubinam acta traditæ sint claves ? respondet, quando omnibus apostolis communiter datæ sunt : *accipite Spiritum S., quorum remiseritis etc.* ego de Christo Dei Filio aliter sentio, eum non humanis infirmitatibus, et mutationi obnoxium fuisse, atque quod promisit, etiam implevisse credo, et quidem eo modo, quo promisit. Dum ergo in textu allato soli Petro promisit claves, etiam soli dedit, quia secundum divinum agendi modum promittere, est etiam implere promissum. E contra, juxta Febronium promittuntur claves Petro, et actu traduntur omnibus apostolis. Quod si vero contra clarum textum, uti alibi vult, per Petrum ibi omnes apostolos intelligat, quid opus erat ista observatione et distinctione inter promissionem et tra-

ditionem ? unam adhuc observationem addit Febronius ad c. Matth. 18. v. 12. et seq. quod ibi Christus loquatur *in plurali* ad omnes discipulos. Si hoc observatione dignum est eo loco, notet sibi Febronius, Matth. 16. eum ad Petrum loqui *in singulari.*

Quod ulterius ad verba Joan. 21. et Lucæ 22. affert ex Natali, repetitiones sunt, et jam respondimus supra ad loca et patres citatos. Nos dicimus, Ecclesiam et concilium generale esse infallibile : at Ecclesiam et concilium generale non intelligimus sine capite, sine Rom. Pontifice, insuper etiam hunc solum dicimus infallibilem, si pro rei necessitate extra concilium aliquid in materia fidei et morum definiat.

Citat. Apolog. advers. 4 theologos pag. 175. ex Natal. Alexand. citat 26 patres et interpretes, quos illa verba Lucæ 22. *ego rogavi pro te etc.* pro perseverantia finali S. Petri in fide interpretari ait, idque esse privilegium personali Petri, quod ad successores non manaverit. Verum ostendat Febronius, quot et quinam ex his dicant, esse privilegium personale Petri, NB. quod ad successores non manaverit ? imo plures ex his ipsis, quos citat, illa verba interpretantur de indeficientia Petri in fide, et inde tum hujus, tum successorum Rom. Pontificum infallibilitatem eruunt, et probant : sic Cyprianus, Leo, Bernardus, et alii apud Bellarminum l. 4 de Rom. Pont. c. 3. ita pariter Agatho P. in synodo IX.

Leo. IX. Innocentius III. S. Thomas, et sorbona ipsa ex hoc textu in tract. Clementis VII. oblato infallibilitatem Papæ probat. Hanc etiam Academia Parisiensis anno 1387, et conventus octoginta quinque episcoporum Galliæ anno 1655, ex his verbis publice profitetur, uti jam supra retuli.

Interim textus oppido clarus est: rogat Christus, *ego rogavi*, nec dubium est, quin fuerit exauditus: rogat pro indeficientia in fide, ne *deficiat fides tua*. Hæc verba ad solum Petrum, non ad alios apostolos diriguntur: *Simon, rogavi pro te, ne deficiat fides tua*. Imo alii aperte excluduntur, quia ideo pro Petro rogatur, ut alios fratres suos confirmet. Dein hæc indeficientia in fide promittitur, et datur Petro, non ut privatæ personæ, sed ut capiti et pastori Ecclesiæ, quippe in hunc finem datur, ut confirmet fratres suos in fide, quod est officium pastoris et capitis; quod autem ad officium pastoris et capitis seu primatus pertinent, utique ad successores transiit. Et dicat Febronius, quare Christus pro fide Petri specialiter rogaverit, quare hunc jusserit confirmare fratres? si non ideo, quia ad hunc specialiter hoc pertinebat, qui constitutus erat caput et primas Ecclesiæ. Male igitur Febronius hanc indeficientiam in fide ad solum passionis tempus restringit, in quo utique solus Petrus, nullus autem aliorum apostolorum Christum negavit. Neque de perseverantia finali et gratia fidei

dici potest; nam utique omnes apostoli, Juda excepto, hac gratia prædíti, in fide mortui sunt? Dum igitur quidam verba Lucæ de firmitate et perseverantia in fide interpretantur, non intelligunt tantum gratiam finalem, sed veram indeficientiam, et dum ad tempus passionis interpretantur, casum et occasionem significant, quo primario et necessario capitis Ecclesiæ indeficientia requiritur, non tamen hanc indeficientiam capitis ad successores demanasse negant.

Cit. Apolog. pag. 176. Febronius D. Kauffmans minitatur a procuratore generali regio, quod præsumpserit conventum cleri gallicani de anno 1682, vocare *conspirationem*, citatque edictum regium de 23 Martii ejusdem anni. Ego conspirationem non voco; attamen cum cardinali de Aguirre, *tam propositiones, quam decretum regium non a concilio aut matura consultatione, sed subita quadam animi commotione prolata fuisse*, ipsam declarationem non totius Ecclesiæ gallicanæ esse contendo, episcopos ibi præsentes quid humani passos, reverentia, metu etc. inductos, justos limites excessisse dico ex ipso Bossueto supra citato; hinc mihi de procuratore regio nihil metuo. Hæc si non sufficiant, ego tanquam exterus ipsam hujus declarationis revocationem ab eodem clero, regio consensu factam appello: ad litteras Regis christianissimi provoco, quibus a se illud edictum revocatum esse profitebatur, ut nullum effectum et sequelam habeat, atque mandata ista

Rex vocat testimonium publicum. Ubi sunt ergo ista mandata, et quare illis obtemperatum non fuit?

Pag. 179. l. c. ait, non modicum sibi profecisse videri adversarios, quod in Gersone et Natali Alexandro titulum monarchæ Papæ attributum deprehendant. At quare tam facile Gersoni et Natali ignoscit Febronius, qui in nobis nomen monarchæ tantopere abhorret? respondet: admittant theologi nostri restrictiones et terminos, quos Gerson, et Natalis monarchiæ romanæ merito ponunt. Verum, si illi Pontifici omnes qualitates et prærogativas monarchæ denegant, cur eum ita appellant? an verbis ludunt viri hi celeberrimi, quorum magisterium nobis quavis pagina obtruditur? qualiter ego monarcham dixerim, ex supra dictis patet. Per me tamen appellatio in quæstionem de nomine recidat, dummodo asserta ibi auctoritas eidem remaneat, aptiusque Papam supremum hierarcham, quam monarcham dixerim.

Nescio interim, quomodo sibi constet, vel utrum ludere tantum velit Febronius. tom. 1. c. 2. § 12. sustinet, nullam omnino ex tribus formis aristotelicis statui Ecclesiæ convenire. Et tom. 4. Dissert. 2. c. 1. § 1. hoc lemma proponit: *Status Ecclesiæ non est pure monarchicus.* Ex Romanis sibi adversarios præponit Bellarminum et Petrum Ballerinium Veronensem. At primus Regimen Ecclesiæ dicit monarchicum aris-

tocratia et democratia temperatum, alter aristocratia mixtum. Dein Febronius circa hanc rem Gallorum mentem inquirit; Petrus de Alliaco, Gerson, Petrus de Marca, Gibert, et tom. 2. flores sparsi c. 8. § 2. Natalis Alexander etc., omnes dicunt, regimen Ecclesiæ esse monarchicum aristocratia temperatum. Tantum concludit: *hæc sufficiunt ad evincendum, statum Ecclesiæ non esse pure monarchicum.* Quis non rideat? assumit sibi probare, statum Ecclesiæ non esse *pure* monarchicum: id ipsum dicunt adversarii, quos in scenam suam producit, id ipsum in testimonium vocati Galli. Nunquid aerem verberavit? si qui tamen simplicem monarchiam defendunt, meminerit Febronius, hos tamen admittere, imo supponere, Christum esse proprie et principaliter monarcham Ecclesiæ, Papam vero tantum ejus in regimine monarchico vicarium, et inde non habebit, quod cavilletur.

Art. 3. Apolog. pag. 181. dum Febronio objicitur, quod doceat, claves immediate datas esse *universitati credentium*, et in ea principaliter residere potestatem jurisdictionis, respondet hoc sophisma esse, quod sic resolvatur: *Denominatum* est tota universitas, et *subjectum denominans* sunt soli episcopi et presbyteri. Apte eidem hìc repono, quod l. 1. c. 1. § 1. de quibusdam distinctiunculis dixit: sunt pugnæ verborum, prætereaque nihil, quæ ad subruendam magis veritatem, quam ad eam asserendam, et solum ad

declinandam convictionis confessionem inventæ sunt. Imo neque ad hoc valent. Dum enim Febronius per subjectum *denominans* intelligit episcopos et sacerdotes, *denominatum*, prout distinguitur a *denominante*, nihil amplius complectitur, quam laicos et totum populum credentem. At c. 1. § 6. dixerat, *potestatem clavium universitati Ecclesiæ proprie transcriptam esse, et radicalius residere in Ecclesia, quam in prælato, Ecclesiam hanc potestatem per suos ministros exercere.* Ergo hæc universitas credentium, seu Ecclesia, prout distinguitur a suis ministris et episcopis, immediate; radicaliter, proprie habet claves, *sive denominatum*, sive *denominans subjectum* eam voces. Habet itaque juxta Febronium universitas, multitudo, atque laici eam potestatem, quam Petro negaverat; at huic negavit principalem potestatem, jurisdictionem, claves: ergo has tenet universitas, non denominatione tantum, sed reipsa, en! Scyllam, unde nemo tam facile evadet. Nos itaque has voces philosophicas melius, ac genuino in sensu in rem nostram adplicamus: dum dicitur, et etiam nos dicimus, *in Ecclesia esse claves*, *Ecclesiam habere claves, denominatum* est tota Ecclesia cum episcopis, Papa et omnibus fidelibus, *subjectum denominans* vero Petrus est seu Pontifex. Quippe, ut constat ex logica, denominatio fit a parte nobiliori, sive ergo unus, sive plures habeant claves, dummodo sint in Ecclesia, verum est, in Ec-

clesia esse, et eam habere claves; dum autem Pontifex est caput et princeps in Ecclesia, adeoque pars nobilior, denominatio ab eo derivatur in denominatum, quia denominatum est omnium eorum subjectum, quæ sunt in Ecclesia; sic imperium ab Imperatore, regnum a Rege, ducatus a Duce denominantur, quamvis unus tantum in toto sit Imperator, Rex, Dux. Habet hìc Febronius aptam ex penu sua responsionem ad omnes textus et phrases, ubi dicitur, Ecclesiam habere claves, huic datas esse etc. Cæterum, quos e pulvere et tenebris in auxilium qualecunque vocavit auctores, et quos columnas Ecclesiæ vocare non veretur, minimum curo. Certe si talibus argutiis et philosophicis rationibus, ut illi, ex nostris quis incederet, plausum faceret, et ad sophistas nos continuo ablegatur, interim ii omnes vel inter Basileenses, vel eorum sectatores fuêre.

L. c. pag. 182. lectori fors momentum facere posset concilium Basileense, quod in hanc rem citat Febronius, nempe claves Ecclesiæ, non Petro proprie datas esse. Dicit itaque, ita sensisse anno 1432, in synodali responso ad Eugenium P. patres numero circiter trecentos: dicit, hanc doctrinam traditam esse mox post sess. II. cum Eugenio Papæ adhuc essent uniti, et de ejus mandato cardinalis Julianus præsideret synodo: dicit, Bellarminum l. 3. de Ecclesia c. 16. fateri, concilium ante sessionem 26 adhuc fuisse legitimum:

dicit, hoc ipsum declarasse Eugenium in bulla, *exposcit debitum*. Hæc sola dicta Febronio omnem fidem abrogare merentur. Falsum est, hoc synodale responsum datum esse mox post sess. II; quippe illud consignatum fuit anno 1432, die 2 Septembris, et die sexta ejusdem secuta est sessio sexta. Igitur proxime ante sessionem sextam, non mox post sess. 2. editum fuit. Falsum est, ita sensisse patres circiter trecentos. In sessione sexta aderant cardinales tres, prælati 32, cum protectore concilii. Quomodo ergo trecenti patres intra triduum tam cito evanuêre : die 2 Septemb. synodale responsum editum fuit, et hìc, ait Febronius, adfuisse trecentos, die sexta ejusdem Septemb. præter 3 cardinales in ipsa sessione vix adfuêre triginta duo. Falsum est, eo tempore Eugenio Papæ adhuc unitos fuisse, cum statim a prima sessione ab Eugenio dissolutum est concilium, nec restitutum ante sess. 16. Hinc pariter falsum est, Julianum adhuc ex mandato Eugenii synodo præsedisse. Falsum est, Bellarminum dicere, concilium ante sess. 26. adhuc fuisse legitimum, si hoc intelligas per omnes præcedentes sessiones usque ad sess. 26. Nam Bellarminus tantum affirmat, *ab initio*, nempe prima sessione et conventu fuisse legitimum. Falsum est, Eugenium hoc declarasse in sua bulla, in qua de eo nulla vox apparet. Ecce quot falsa vel mendacia in una linea! quis amplius viro huic credat?

Ut constet, quantum partium studio deditus sit Febronius, in suo Theodoro a Palude pag. 372. prout etiam l. 1. c. 1. § 8. occultis Italorum machinationibus, rationibus politicis, et illegalibus causis tribuit, quod capitalis illa quæstio de forma monarchica in Ecclesia contra Pontificios non sit definita in concil. Tridentino, quod ex Pallavicino probare conatur. Verum altum silet de motivis politicis et æmulatione aliarum nationum, Hispanorum et Gallorum, quos Pallavicinus eo loco non minus adducit. Quales motus unica thurificationis cæremonia peperit, ut propter hanc solam Galli schisma minitarentur. Vid. Pallavicinus l. 21. c. 8, 9, etc. Nempe quidquid agunt Itali et Pontifices, crimini imputatur, aliis quævis sint innocua. Interim sciet Febronius ex eodem Pallavicino, de forma monarchica haud fuisse quæstionem, et Hispanos cum Italis et aliis de prærogativa Pontificis supra concilium consensisse, solos Gallos, sed neque hos omnes, in hoc restitisse.

Quæ Febronius in suo Daniele Bertono tom 3. circa ea, quæ ad hoc caput 1. referuntur, rursus affert, meræ repetitiones sunt. Ad fucum faciendum clariores solum textus seligit ex Origene, Hieronymo, Augustino, ubi claves non soli Petro, sed omnibus apostolis et Ecclesiæ datæ dicuntur. Verum de his, aliisque textibus, similibusque loquendi formulis satis hucusque diximus, ut adeo supervacaneum foret, amplius

respondere. Neque cessat variis argutiis ad fallendum aptis profligatas suas opiniones firmare. Pro exemplo sit, dum ibi § 1. pag. 8. ait : *dum Christus Petrum alloquitur : tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam, non dixit, tuam Ecclesiam, aut portæ inferi non prævalebunt adversum te. Item pasce oves meas, agnos meos, non dicit tuas oves, tuos agnos.* Inde concludit, Petrum et successores Pontifices ad meram administrationem, non ad principatum monarchicum vocari. At prudens lector meminerit, Christum esse summum monarcham et pastorem Ecclesiæ, hinc vocat *suam Ecclesiam, suas oves :* Petrum vero et successores Pontifices in regimine Ecclesiæ et potestate pascendi esse vicarios Christi, ex quo sequitur, eos ad principatum monarchicum vocari, quem administrant nomine summi monarchæ Christi, non nomine Ecclesiæ; igitur proprie non sunt ministri Ecclesiæ, sed Christi.

Tom. 4. dissert. 1. c. 3. Febronius omni vi labem Richerismi a se vult abstergere. Ex cardinali Perronio in epist. ad Causobonum refert propositiones, quæ in libello Richerii damnatæ sunt : at nihil, ait, sive hìc, sive alibi de clavibus aut quæstione, an illæ universali Ecclesiæ, an prælatis tantum creditæ sint? admitto interim : at propositiones ibi a Perronio allatæ sunt tamen principia generalia, unde consecutiones deducun-

tur, inter quos etiam hæc est, *Christum fundando Ecclesiam, prius, immediatius, essentialius claves seu jurisdictionem toti dedisse Ecclesiæ, quam Petro, Rom. Pontifici et episcopis illam solum convenire ministerialiter et quoad executionem.* Hanc consecutionem et expositionem ipse Richerius deducit, et putat sequi ex illo principio, *quod Deus et natura prius et immediatius ad totum suppositum, quam ad aliquam partem intendant, et influant;* dum igitur hoc principium utique ex se falsum non est, non tam ipsum principium, quam sequela et expositio damnari debuit, quippe concilium Senonense damnavit libellum Richerii tanquam continentem propositiones, expositiones, et allegationes falsas, erroneas, scandalosas, et prout sonant, schismaticas, atque hæreticas. Igitur principia, quæ allegat Perronius, non propter se, sed propter annexas expositiones et sequelas damnata sunt. Cæterum, Battaglinus in histor. concil. ad annum 1612 refert, a Duvallio etiam illam propositionem de clavibus ex libello Richerii extractam concilio Senonensi propositam et damnatam fuisse. Certe omnes Galli scriptores, quibus de hoc argumento est sermo, præcipuum errorem Richerii in hoc constituunt, quod jurisdictionem ecclesiasticam et claves in communitate et toto corpore reponat, Papam et ministros tantum executores Ecclesiæ faciat, hoc unum ex principiis fundamentalibus Richerii esse, ait cardinal. Bissi

tractat. theologiæ tom. 2. Hanc ipsam sequelam et errorem supra verbis Richerii descriptam Tournelius inter ejus propositiones suas damnatas recenset. Quid multis. Ipse Richerius, dum propositiones suas damnatas retractat, inter illas primam ponit, qua claves prius, immediatius, et essentialius Ecclesiæ datas esse, et alteram, qua Papam et episcopos non nisi ministros et executores ecclesiasticæ potestatis esse dixerat, vid. supra in not. ad § 6. Habemus ergo Richerium ipsum testem, quid in eo damnatum sit, nempe non illud principium generale, quod Deus et natura tendant prius in totum suppositum, quam in partes, sed quod inde deduxit, claves immediatius et essentialius toti communitati Ecclesiæ datas esse, quam Petro, Papam et episcopos non nisi mere ministros et executores hujus potestatis ecclesiasticæ esse.

Narrat Febronius tom. 1. appendic. 1. virum amicum, nec vulgariter eruditum, non dubitasse sibi totam Romanæ curiæ indignationem et vindictam augurari, facta Pauli Sarpii et Edmundi Richerii objiciendo. Amicus hic, qui certe amico et neutiquam suspecto oculo legit Febronii librum, deprehenderit igitur in eo quid simile illorum doctrinæ et assertionibus, dum similia fata amico suo timuit. At illos osores papatus et inimicos Pontificum fuisse, qui Lutherum et Calvinum habuère ductores, ait Febronius, a quibus ipse toto cœlo distaret. Verum si nihilominus

damnatam Richerii doctrinam sequitur, ut § 6. supra etc. ostendimus, non solum falsi, sed etiam cum illo Lutherum et Calvinum ductores habuisse, propria confessione convincitur. Verum Febronius sua de clavibus asserta communi theologorum Galliæ sententia defendere audet, hoc sub scuto se tutum latere arbitratur. Citat igitur Natalem Alexandrum histor. Eccles. sæc. 15. dissert. 8. dicentem: *Claves toti Ecclesiæ a Christo datas esse, immediate ipsi collatam auctoritatem ligandi et solvendi, potestatem jurisdictionis in tota universitate Ecclesiæ principaliter residere, atque hoc unum esse ex fundamentis sententiæ, quam Ecclesia gallicana, et sacra facultas Parisiensis propugnant.* Profecto quis ad hæc Febronium non illico absolvat; si cum præstantissima Ecclesia gallicana sentiat? verum rem ad calculum revocemens: Academia Parisiensis et tota Ecclesia gallicana agnoscunt, et profitentur, Papam esse caput, et *jure divino* habere. Primatum non tantum honoris, sed et jurisdictionis in tota Ecclesia. Nolim ego hìc privatos theologos Gallos et Sorbonistas adducere, inter quos ipse Fleurius et Maimburgus numerantur, sed et clerus gallicanus, tum sorbona istud sæpius, et quidem ille præcipue anno 1681, ista autem adversus Marcum Antonium ita declaraverant, ut qui ab hac veritate dissentiret, schismaticus, imo hæreticus esset.

Defendunt quidem nunc Galli, potestatem epis-

coporum, quam habent in Ecclesia, esse immediate a Deo, eisque *jure divino* competere. Dicunt denique, concilium œcumenicum esse supra Papam.

Juxta Gallos igitur omnis potestas et jurisdictio ecclesiastica residet in corpore pastorum, nempe in Pontifice et episcopis, omnis autem hæc potestas in doctrina gallicana est immediate a Deo, non ab Ecclesia, sicut hujus sint tantum ministri et executores, ex quo sequitur, ut ubicunque dicant, claves non soli Petro, sed Ecclesiæ datas esse, per Ecclesiam intelligant corpus pastorum, seu Ecclesiam regentem, ita ut potestas non uni et soli Petro sit collata, quatenus omnibus pastoribus in concilio congregatis jurisdictione præemineat. Neque aliter Natalis exponi, aut alio in sensu intelligi debet, quando dicit, hanc sententiam unum ex fundamentis Ecclesiæ gallicanæ esse, secus a vero multum aberraret, quamvis et hunc auctorem quandoque minus exacte, magis incaute, aut satis temere locutum fuisse notum est, ita ut se ipsum accuratius explicare, atque a suis religiosis censoribus emendari necessum fuerit.

Jam ad Febronium redeamus. Hic manifeste Pontifici omnem primatum jurisdictionis abnegat l. 1. c. 2. et alibi. Illam potestatem et jurisdictionem, quam Papa et episcopi exercent in Ecclesia, non immediate a Christo, sed ab Ecclesia in eos derivari, atque Ecclesiæ nomine exerceri, hujusque solum ministros et executo-

res esse ait, ex quo sequitur, Papam et episcopos principaliter et proprie non habere claves, imo has proprie et immediate habere universitatem Ecclesiæ seu fidelium. Idem l. 1. c. 1. § 6. et alibi. Quæso, quomodo hæc cum principiis et doctrina Ecclesiæ gallicanæ conveniunt? an non merus et nudus hic Richerismus est a sorbona et Ecclesia gallicana damnatus? quomodo ergo Febronius hanc suam pro communi Ecclesiæ gallicanæ doctrina venditare audet? certe insignis hæc in celeberrimam illam Ecclesiam calumnia est, a Gallis pro merito vindicanda. Auferat Febronius claves laicis atque mulieribus, reddat eas Petro et successoribus cum primatu jurisdictionis in Ecclesia ex institutione divina, concedat eas episcopis pro sua quavis portione itidem tanquam a Deo, faciat eos ministros Christi, non vicarios et executores Ecclesiæ, et tum fors qualecunque refugium in Gallia obtinebit.

Tandem Febronius eo dilabitur, ut Richerium omnino innoxium, ejusque censuram iniquam fuisse probet tom. 4. pag. 32. etc. quod præstare non potuit, nisi maximis viris teterrimam notam impingendo, ad quod ipsi potissimum inservit nuperus Fleurii notator in hujus dissertationem de libertatibus Ecclesiæ gallicanæ. Verum quæritur, utrum hic notator idoneus testis sit? certe coævus non est, testibus idoneis igitur et tabulis agendum foret, nudæ relationi nullam fidem

debemus, maxime, si viris magnis pessima crimina imputantur.

Restaret, ut contradictiones Febronii in hoc capite 1. nec leves, nec numero paucas ad auctoris mentem penitius inspiciendam, in medium proferamus; verum ne nimium distrahamur, huic labori supersedemus, dum per decursum talia sæpe jam notavimus, et attento lectori plura adhuc occurrunt; advertet tamen hic, quomodo primum Febronii caput cum mox dicendis cohæreat.

CAPUT II.

DE PRIMATU IN ECCLESIA, ET GENUINIS EJUS JURIBUS.

§ I.

Probatur existentia primatus ex scriptura et traditione.

Quamvis, ait Febronius, in Ecclesia non sit status monarchicus, nec *monarcha proprie* dictus, inde tamen non sequitur, in ea neque primatum esse, neque primatem. Imo interest Ecclesiæ, ut aliquis sit primus inter episcopos, bono communi intentus, et continuo vigilans, ut arceantur profanæ novitates, et disciplina ecclesiastica servetur integra. Conveniens est, ut hic primatus credatur episcopo, qui dignitate et præcellentia suæ sedis plus habeat auctoritatis. Hic primatus sit spiritui Christi conformis, sanctus et apostolicus, sine contagio humani dominatus, quique fundetur in charitate.

1. Bini illi textus Matthæi 16. et Joan. 21. non obscure indicant, præcipuum aliquid in Petro præ reliquis apostolis. Citat dein in probationem Tertullianum, Leonem P., Basilium, Eucherium Lugdunensem, Bedam.

2. Hunc primatum annuntiant evangelistæ, qui enumerando apostolos Petrum non modo

primo loco nominant, sed et primum fuisse affirmant Matth. c. 10. Marci c. 3. Lucæ 6. act. apost. c. 1. Ne autem quis existimet, nihil per hoc speciale a scriptoribus intendi, audiat Origenem in Joan. Euseb. Cæsareens. lib. 3. de demonstrat. evang. et in psalm. 69.

3. Perinde est, quam ob causam Christus hanc prærogativam Petro contulerit, dum alii Patres ejus ætati, alii priori vocationi, alii ejus in Christum charitati eam tribuant; sufficit, quod effective dederit ipsum caput suæ Ecclesiæ, sine quo corpus non potuisset non sæpius nutare.

4. Hunc locum etiam post mortem Christi retinuit Petrus. Constat ex actis apostolorum: primus pro eligendo Matthia coegit concilium, primus Christum annuntiat; comitem habet Joannem, solus tamen respondet, et orationem habet: in causa legalium iterum synodum congregat, eique præsidet, unde magis, magisque declaratur ejusdem jus Ecclesiæ cœtibus præsidendi, ut illud nemo in controversiam vocarit, nemo non libentissime tulerit.

5. Petrus in apostolatu, episcopatu, et doctrina par est reliquis apostolis, est cum his una ex petris vivis Ecclesiæ, sed est primus lapis ex ministerialibus adeo, ut quodammodo singularius de illo dixerat Christus, *tu es Petrus* etc. manente tamen Christo lapide angulari ædificii ecclesiastici.

6. Loca patrum in confirmationem primatus

Petri ubivis prostant, paucorum tamen se afferre ex Græcis et Latinis dicit Febronius. Sunt autem Basilius in proœm. de judicio Dei. Cyrill. Hierosol. Catechetes. 2 et 11. Gregor. Nazian. orat. 26. et orat. 7. Ephrem Syrus de compunct. item in Panop. Gregor. Nyss. serm. 2. de S. Stephano. Epiphan. hæres. 59. et in Anchorato c. 9. Chrysost. hom. 5. de pœnitent. tom. 2. item tom. 3. pag. 4. item homil. 87. Theodoret. epist. 77. Ambros. l. 10. in Luc. item in c. 12. epist. 2. ad Corinth. Hieron. l. 1. advers. Pelag. Augustin. l. 2. de Baptis. item serm. 76. lib. 1. contra Julian. c. 4. Cyprian. epist. ad Quintum. Augustin. l. 2. de Baptis. c. 1. Gregor. M. lib. 5. epist. 20. lib. 3. epist. 30. lib. 5. epist. 13. lib. 7. epist. 19. Alcuinus epist. ad Eanbald. tom. 2. lect. Canisii. Paschasius Radbertus l. 6. in Matth. c. 10.

NOTA.

Conferat lector hunc § cum priori capite, et judicet, utrum et quomodo sibi constet Febronius? Febronium igitur sibi ipsi opponam. Statim initio hujus § ait, juxta relata a se in Ecclesia non esse *monarcham proprie dictum*, ergo saltem monarcha improprie dictus est in Ecclesia, quod etiam nos et nobiscum omnes defendunt, qui aiunt, regimen Ecclesiæ aristocratia temperatum esse; non est igitur ab Ecclesia arcendus omnis omnino status monarchicus, et

Febronius incassum insudat, omnem status monarchici ideam ex animis Italorum ejicere.

Ad 1. Hìc Febronio bini illi textus Matth. 16. et Joan. 21. *non obscure indicant præcipuum aliquid in Petro præ reliquis apostolis.* Mirum! perspicatior sit modo Febronius, qui in c. 1. in istis textibus nil tale deprehendere potuit. Verum si Febronio modo ad istos textus id repono, quod nobis priori capite respondit, quomodo se extricabit? sit autem:

Dum SS. patres binos istos textus varios in sensus exponunt, ita ut alii per petram non Petrum, sed ejus *confessionem seu fidem* supra c. 1. § 2. n. 1. alii *Christum* ibi n. 2. alii cum Petro simul *reliquos apostolos*, n. 3. intelligant, plures *Petrum* a sensu per Christum intento *directe excludant*, idem Febron. in Daniel. Berton. tit. 1. § 1. Hinc firmum pro uno sensu, adeoque pro primatu etiam, argumentum erui non potest. Idem tom. 1. c. 1. § 3. n. 4. Imo si aliquid dicatur de Petro, debet et *tantundem* asseri de reliquis apostolis. Ibi § 2. n. 3. ergo hi textus ne obscure quidem *præcipuum* quid indicant in Petro. Tertullianum, Leonem, Basilium, Eucherium, Bedam, quorum textus adducit Febronius, hos ipsos contra nos superius de omnibus apostolis, et sic quidem interpretatus est, ut quamvis ibi primatum non excludat, nihil tamen *præcipuum* relinquatur Petro, quam quod sit primus, et hic primatus fines meri directorii

non excedat, nempe qualem asseruit Antonius de Dominis, et haud inviti concedent protestantes. Seipsum ergo destruit Febronius, et suis propriis principiis refellitur.

Ad 2. Repono iterum illud Febronii c. 1. § 3. num. 2. *Scripsit Lucas integrum librum de actis apostolorum. — — — Nihil in eo conspicitur, ex quo colligi valeat, cæteros apostolos suspexisse Petrum ut magistrum et præceptorem suum, qualem reveriti fuerant Christum, minus ut talem, a cujus nutu et voluntate illorum ministerium dependeret. CONTRARIUM potius ex eadem apostolorum historia intelligitur. Scilicet — — apostolos misisse in Samariam Petrum et Joannem, tanquam subditos Ecclesiæ.* En! *primatum et primatem subditum Ecclesiæ.* Circa concil. Hierosol. *nonnullis in mentem venit dubitare, an non plus ibi fecerit auctoritas Jacobi, quam Petri.* Ibid. § 7. n. 3. *Quamdiu apostoli vixere, testantibus id eorum actis, Ecclesia universalis non fuit recta a Petro ut monarcha, sed ab apostolis conjunctim cum illo.* Jam quæro: quando Petrus in regimine Ecclesiæ nil *præcipuum* habuit, quid est ergo illud *speciale, quod a sacris scriptoribus intenditur,* dum illum *primo loco collocant, et primum esse affirmant?*

Ad 3. *Si Ecclesia juxta propriam suam dispensationem, id est, canone regitur.* Febron. c. 1. § 6. n. 3. *si regitur exteriori Christi fundatoris sui assistentia, qua servetur in paritate et uni-*

versitate fidei. Ibid. § 9. non est timendum, ut corpus sive Ecclesia etiam sine capite Pontifice sæpius nutare debeat. Quod si tamen hoc fieret, *suscitabit* utique *Deus quosdam e fidelioribus suis ministris, qui favore orthodoxæ fidei adversus talem prævaricationem reclamet : dabit illorum verbis et actibus efficaciam, quæ seductionem dissipet, et veritati triumphum paret.* ibid. § 9. Fateatur ergo Febronius ex propriis suis verbis, vel caput Ecclesiæ omnino non esse necessarium : illam exteriorem Christi assistentiam, et in casu extraordinario illud remedium extraordinarium adesse et sufficere, vel illud caput non tantum necessarium, sed etiam corpus ab illo habere inevitabilem et essentialem dependentiam, si juxta relata hìc n. 3. absque isto capite *non potuisset non sæpius nutare*, quod certe majorem influxum, quam simplicem præcedentiam et nudum directorium demonstrat. Contradictio Febronii in aperto est. Nihilominus in suo Daniel. Berton. tit. 2. § 1. Rom. Pontificem iterum negat esse caput Ecclesiæ, scripturam et patres communiter hanc dignitatem soli Christo tribuere, ejus promissionem et assistentiam Ecclesiæ in omni casu sufficere, nomen capitis, quod aliqui Pontifici tribuerunt, quibusdam ansam superbiendi dedisse, quæ omnia ex Jansenista anonymo fideliter exscripsit, sed minus feliciter, dum sibi toties ubique contradicit.

Ad 4. Repeto, quod mox ad num. 2. ex verbis Febronii retuli ad ea, ubi, quæ ex actis apostolorum pro nobis allegari possunt, ipse in contrarium sensum exposuit. Ait Febronius, ibi *magis, magisque declarari jus Pontificis præsidendi Ecclesiæ cœtibus, ut illud nemo in controversiam vocarit, nemo non libentissime tulerit.* At videtur ipse Febronius hoc jus in controversiam vocare, dum cap. 6. § 4. non tantum duplex præsidium Imperatorum et Pontificum agnoscit, sed de hoc ultimo ita statuit : *nisi concilio aliter visum fuerit, in hujus etenim facultate est, etiam præsentibus Pontificiis legatis, alteri deferre præsidium.* Quæro dein, quare non etiam ex actis apostolorum magis, magisque declaratur Pontifici jus *convocandi* concilia generalia, cum ipse Febronius concilia apostolorum a Petro congregata fuisse asserat?

Ad 5. Videtur hoc numero Febronius temperamentum suis dictis afferre, ne nimium sibi contradixisse credatur. Omnes igitur apostolos iterum facit æquales, tantum *ut quodammodo singularius de Petro dictum sit, tu es Petrus* etc. Exiguum causæ jam proditæ remedium.

Ad 6. Hos ipsos patres et eorum textus nos supra pro Petro jam adduximus. At quid respondit Febronius, per Petrum ab his patribus *intelligi quoque reliquos apostolos*, et si verba Christi *Petro specialius adplicent, inde tamen haud sequitur, quod reliquos apostolos, horumque suc-*

cessores ab illius vera significatione ac sensu, et a Christi, collegium pastorum instituentis intentione excludant. Supra c. 1. § 2. num. 5. si eadem ipsi Febronio ad hæc loca respondeo, integra illa turba patrum pro primatu nihil efficiet. Quis non stupescat tot tantasque contradictiones vix in ingressu operis in auctore, qui integrum orbem et urbem interpellare ausus fuit?

§ II.

Fundamentum hujus primatus est bonum unitatis in Ecclesia.

Causa instituendi inter apostolos, et fundandi in Ecclesia primatus est bonum unitatis in eadem servandæ, sine quo impossibile est, Ecclesiam subsistere aut perdurare. Quod probat ex optato Milevit. l. 2. contra Parmen.

1. Idem Optatus hanc Ecclesiæ unitatem primatui Petri annectit lib. 7. dicens: bono unitatis B. Petrus — — — et præferri *apostolis omnibus meruit, et claves regni cœlorum communicandas cæteris solus accepit.* Revera, ait Febronius, quæ Matth. 16. Petro datæ sunt claves, erant postea Matth. 18. et Joan. 20. communicandæ reliquis apostolis, equidem immediate a Christo, ut ex iisdem textibus apparet.

2. Illam de primatu propter bonum unitatis instituto sententiam esse communem SS. Patrum.

Sic Hieron. l. 1. advers. Jovin. Augustin. tract. 108. S. Pacianus epist. 3. Leo P. serm. 3. Cyprianus epist. 59.

NOTA.

Lubens in hoc § Febronio consentior, hoc solum quæreus, quare ad illa verba Optati, *Petrus claves communicandas cæteris solus accepit*, mox intercedat dicens : Petro Matth. 16. revera datas esse claves, postea Matth. 18. et Joan. 20. a Christo communicatas reliquis apostolis. Certe in sensu vulgari et obvio illa verba Optati significant, eas cæteris communicandas fuisse ab eo, qui SOLUS accepit. Neque verum est, reliquis apostolis Matth. 18. et Joan. 20. claves a Christo datas esse. Nihil ibi de clavibus habetur; potestas ligandi et solvendi, remittendi et retinendi peccata confertur : hæc potestas quidem in potestate clavium continetur, et hujus pars est; sed ipsa potestas clavium amplior est, claves siquidem significant plenitudinem potestatis, id est, potestatem supremam et universalem. Nisi hoc admittas, etiam parochos et simplices Presbyteros episcopis et Papæ æquales facis; nam etiam hi habent potestatem ligandi et solvendi vi sacramenti Ordinis. Dein Febronius ad epist. Ladislai tom. 2. pag. 86. item apolog. advers. 4. theolog. art. 2. ait, Petro tantum promissas esse claves Matth. 16. non actu traditas, hic vero ait, ibi revera datas esse. Ita secum confligit. At non-

dum satis. In Daniel. Berton. tom. 3. tit. 2. § 2. totum hunc paragraphum destruit. Nam quærit, qua ratione hujus unitatis centrum erunt Rom. Pontifices, si ipsi evadant schismatici, nonnullos SS. Patres suæ ætatis Pontifices pro schismaticis habuisse, sic Firmilianus Stephanum, Hilarius Liberium, integra concilia Africæ, Illyrici et Dalmatiæ vigilium vel a communione fidelium segregarunt, vel ab eorum communione se sejunxerunt, schismati orientali, anglicano et occidentali tempore Lutheri ansam et proximam occasionem dedisse Rom. Pontifices, denique ut mox superius notavi, sæpius dicit Papam ut caput Ecclesiæ non esse necessarium etc. Jam ex his quid sequitur? nempe ad conservandam unitatem inutilem fore primatum, adeoque nullo modo necessarium; quippe Pontifices si schisma faciunt, tunc non sunt, nec esse possunt centrum unitatis: igitur Febronius dum uno loco primatum stabilire se simulat, alio rursus totum profligat. De adductis exemplis hìc nihil addam: attentata enim illegitima non probant, nec faciunt jus, nominati episcopi notorie in errore fuerunt, qui dein damnatus fuit ab Ecclesia, reliqua exempla sunt falsissima, quæ tamen a Febronio laudantur, et in exemplum assumuntur, quasi illi jure a communione Rom. Pontificis recesserint, et id, quod constitutum est centrum unitatis, sit fomes et causa discordiæ. Redibit tamen de his sermo.

§ III.

Quæ ratio movit ad instituendum primatum, eadem illum fecit perpetuum.

Hic primatus rom. præsuli creditus esse probatur, non quidem a Christo, sed a Petro et ab Ecclesia, adeoque ejus auctoritate ad aliam sedem transferri potest.

Eadem ratio unitatis in causa est, ut primatus in Ecclesia sit perpetuus. Personas tamen hujus gerendi muneris post mortem Petri salvator non designavit, sed Petrus ipse solus, vel cum eo Ecclesia. Rite id exponit Bellarminus l. 2. de Rom. Pontif. c. 12. Cum itaque firmum maneat, quoad personam et locum successoris in primatu a Deo nihil provisum, statutumque esse, reliquum est, ut penes Ecclesiam steterit, et etiamnum perduret jus determinandi, per quem primum in Ecclesia officium geri velit. Sicut ergo ex ratione *convenientiæ humana auctoritate* Rom. urbis antistiti primatus creditus fuit, sic ex rationalibus motivis *auctoritate Ecclesiæ* eundem ad alium episcopum, e. g. Mediolanensem, Parisiensem transferri posse, recte statuit Scotus, cardin. de Cusa, Cordubensis, Bannez et alii: sæculo XVI. fuit constantissima regni Galliæ sententia in articulis Smalcaldæ propositis, his verbis: *sentire Regem Gallorum, jure tantum hu-*

mano, non divino Rom. Pontificem habere primatum. Seckendorff. histor. Luther. tom. 2. pag. 105.

1. A morte Petri primatum hunc a solis Rom. Pontificibus gestum, et in illis agnitum fuisse probat Febronius ex conciliis Nicæno, Chalcedonensi, Constantinopolitano anno 381, Aquileiensi, Milevitano. Constantiense damnat hanc Wiclefli sententiam : *non est de necessitate salutis credere, romanam Ecclesiam esse supremam inter alias Ecclesias. Et hanc Joan. Huss : Romanus Pontifex non est caput romanæ Ecclesiæ.* Florentinum sic sanxit ; *definimus, sanctam apostolicam sedem, et Rom. Pontificem in universum orbem tenere primatum, et ipsum Rom. Pontificem successorem esse B. Petri, principis apostolorum.*

2 et 3. His addit sententias patrum, inprimis Græcorum, Athanasii epist. ad Felicem P. Gregor. Nazian. carm. de vit. sua. Theodoreti epist. 116. Chrysost. ad Innocent. I. Dein Latinorum Cypriani epist. 55. ad Cornel. P. Hieron. epist. 57. ad Damasum P. Augustini epist. 43. Episcoporum Galliæ ad Leon. P. ipsius Leonis serm. 2. in annivers. assumpt. Prosperi Carm. de ingrat. Bernardi lib. 2. de consider. ad Eugen. P. Valentiniani Imp. ad Theodos. Imp.

4. Inter tot primorum sæculorum Pontifices nullus deprehenditur, qui non crediderit hanc prærogativam sibi collatam, ut esset totius Ecclesiæ caput. E contra, inter reliquas omnes, etiam ab apostolis fundatas Ecclesias nullum offendimus,

qui se Ecclesiæ totius caput affirmare non vereretur, excepto Photio, qui cum suis affirmare non timuit: *quando de romana urbe Imperatores Constantinopolin sunt translati, tum et primatum rom. sedis ad Constantinopolitanam Ecclesiam transmigrasse, et cum dignitatibus regiis Ecclesiæ Romanæ privilegia translata fuisse.*

5. Singulari Dei providentia factum est, ut totius Ecclesiæ caput in urbe totius orbis domina sedem fixerit, ubi ex sublimi loco commodius excubare, et ex toto Imperio, naturali civium confluxu aptius conveniri poterat per se, vel per epistolas, atque ab eo responsa accipi. Roma quoque sita erat, quasi in meditullio orientis, occidentisque, apta ad novas Ecclesias fundandum, et fundatis prospiciendum.

6. Sententia, licet in se verissima, de transferendo auctoritate Ecclesiæ primatu cum omni jure suo, non placet Romanis, eique singulariter irascitur Benedictus XIV. de synod. diœces. l. 2. c. 1. quamvis fateatur *in aliquo sensu* (*non. exprimit in quo*) *supremam Ecclesiæ monarchiam jure tantum humano rom. sedi annexam esse.* Hujus translationis hactenus legitimæ causæ defuisse videntur, et Christo primatus auctori adscribendum, qui suam ei fecit in rom. sede constare firmitatem, quod id factum non fuerit temporibus persecutionum, seditionum et schismatum, et fors probabiliter etiam non fiet.

NOTA.

Primatum, quem hìc probare se gloriatur Febronius, quasi per insidias potius evertere conatur. Neque contradictionum hìc finis est. Quia salvator personas in hoc primatu successores aperte non designavit, id vel a Petro solo, *vel ab Ecclesia cum eo* factum esse ait. Quare ab Ecclesia? nempe ut inferre possit, eum a sede romana avelli et ad aliam ab Ecclesia transferri posse, sicque primatum quoad personas et locum Ecclesiæ subjectum esse, et monstrosam illam sententiam stabiliat, omnem potestatem clavium et auctoritatem ecclesiasticam Ecclesiæ traditam esse. Verum, non tantum dicat, sed probet Febronius, primatum sedi romanæ ab Ecclesia collatam fuisse : ostendat ubi, quando, quomodo? proferat concilia? patres? secus obtinet trita illa Augustini sententia : *quod universa tenet Ecclesia, nec conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi auctoritate apostolica traditum esse rectissime creditur.*

Ait quidem Febronius, a patribus concilii Chalcedonensis can. 28. dictum fuisse, *sedi senioris Romæ, quod urbs illa imperaret, patres jure privilegia tribuerunt*, atque hæc non minus de alligatione primatus cum romana Ecclesia, quam de juribus patriarchalibus dici posse. At sibi ipsi reddatur Febronius : hoc ipso loco ait, Petrum et Ecclesiæ caput Romam venisse, ibi sedem

fixisse, et hoc *singulari divinæ providentiæ concilio* factum esse, ut *ipse et ejus successores* ex hoc *sublimi loco* muneris sui partes commodius explere possent. Si igitur ista omnia *singulari divinæ providentiæ consilio* facta sunt ab ipso Petro, quamnam partem Ecclesia et patres in his habuerunt, aut quid in hoc amplius facere potuerunt? rursus ipso Febronio teste, *Christus primatus auctor et conservator non obstantibus tot, tantisque vicissitudinibus suam ei fecit in romana sede constare firmitatem.* Ut quid ergo contendit, illum, si ita visum fuerit, posse alio transferri, quod tamen, ne fieret unquam, divinitus hucusque impeditum fuit?

Jam ad concilium Chalcedonense respondeo. Canon ille citatus a S. Leone P. rejectus, ab ipsis Græcis e numero canonum expunctus, et apertissime falsus est: 1. Quia absentibus sedis romanæ legatis et aliis patriarchis furtim et clandestine cusus fuit fraudibus Anatolii patriarchæ Constantinopolitani. 2. Quia Anatolius se refert ad concilium Nicænum, quasi romanæ sedi primatum concesserit, cum genuinus canon sextus concilii sic habeat: *Ecclesia romana semper habuit primatum: antiqua autem consuetudo servetur.* Si semper habuit jam ante concilium Nicænum, ergo non a concilio obtinuit. 3. Quia Rom. Ecclesiæ ideo primatum concessum asserit, quod Roma sedes esset Imperii, quod falsum esse ostendit S. Leo in epist. ad Marcian.

Imp. et S. Gelasius ad episcopos Dardaniæ, qui ait, Mediolanum, Syrmium, Ravenna, Treviriis, Nicomedia multis temporibus sedes Imperii fuerunt, nihil tamen prærogativæ iis datum Ecclesiis. Patet igitur, quo jure et valore Febronius hunc canonem 28 concilii Chalcedon. pro genuino vendat, nempe ut jurisdictione Papam vel exuat, vel pro libitu aliorum judicio subjicere possit. Pergit Febronius, sæculo XVI. hanc de primatu Pontificis Romani jure tantum humano introducto constantissimam fuisse Regni Galliæ sententiam. Quidni! tota Gallia ita sensit? nequaquam. Sleidanus auctor hujus narrationis histor. lib. 9, si tamen vera sit (hanc conditionem, si Sleidanus in auctoritatem vocatur, semper apponere non abs re erit) verba legati Gallici ita refert: *de Pontifice placere Regi, non esse primum neque præcipuum jure divino, sed humano, sicut Philippus Melanchton affirmet, theologos affirmare caput illum esse Ecclesiæ jure divino.* Vides hìc solum Regis opinionem, aliam vero fuisse theologorum, et illa sit constantissima regni Galliæ sententia? certe si Regni Galliæ fuisset sententia eorum omnium, quæ Sleidanus ibi de legato refert, tunc Gallia eo tempore catholica esse desiisset. Interim Galli malas grates habebunt Febronio, quod ista sive vera, sive falsa in publicum proferat.

Ad num. 1, 2, 3, 4 et 5. Quamquam speciosa sint argumenta et testimonia conciliorum, pa-

trum etc., quæ pro primatu R. Pontificum ibi affert Febronius, si tamen rursus ejus verba ex c. 1. § 2. n. 5. iisdem applicem, quanquam *patres — — — de Rom. Pontifice tanquam primate Ecclesiæ honorifice loquentes — — — figuram sacrorum verborum specialius ad eum adplicent, inde tamen non sequitur, quod reliquos apostolos, horumque successores ab illius vera significatione ac sensu excludant,* quid post hæc restabit amplius ex omnibus, nisi fors merum nomen primatus et nuda præcedentia; verum hæc pro genuino a Christo instituto primatu non sufficiunt. Dein illa concilia et patres nullibi dicunt, hunc primatum a sede romana avelli posse, et de eo potius loquuntur, tanquam perpetuo ibi stabilito, et cui semper indubitato inhæreat.

Ad 6. Quod in sede romana primatus semper fuerit, a Petro ortum habuit, qui in eadem sedit, atque mortuus fuit, et propter hanc causam primatus dicitur jure humano annexus Ecclesiæ romanæ; inde tamen non sequitur, ab Ecclesia aufferri posse, quia ab Ecclesia huic sedi annexus non est, sed a Petro, quod ad traditionem et institutionem apostolicam pertinet. Quin et ipse Febronius fatetur, primatum singulari divinæ providentiæ consilio romanæ sedi annexum, et a Christo firmatum esse hinc sententia de transferendo primatu ad aliam sedem, in se probabilius falsissima, merito non placet Romanis, neque placere potest. Nam 1. huic sedi

non aliquod concilium, non alii homines, sed solus Petrus, et quidem si non speciali præcepto, saltem instinctu divino primatum adnexuit. 2. Sedes primatus tot inter procellas mirabiliter conservata fuit, ut nec pagani, nec hæretici contra eam prævalere potuerint, dum e contra omnes alias Ecclesias apostolicas et sedes patriarchales ab hæresibus et infidelitate absorptas esse videmus. 3. Romana Ecclesia ultra mille septingentos annos in quieta possessione primatus fuit, et a primis usque temporibus nullum concilium, nullus S. Pater, nullus Imperator vel cogitavit, vel dixit, primatum hunc a rom. sede ad aliam transferri posse, quod silentium et possessio contrariam sententiam de auferibilitate faciunt omnino incredibilem et temerariam. 4. In aliis Ecclesiis, ad quas forte transferretur primatus, deficeret apostolicitas, id est, non foret apostolica, tum quia ab apostolis neque fundata, neque a Petro immediate gubernata fuisset, sicque regrediendo a sæculo ad sæculum, usque ad Petrum perveniri non posset, in quo tamen præcipuum argumentum contra hæreticos posuerunt SS. Patres Irenæus, Cyprianus, Augustinus, traditionem apostolicæ doctrinæ per continuam seriem Rom. Pontificum demonstrantes, dum aliæ Ecclesiæ vel incertam, vel saltem non apostolicam habebant originem. 5. Per talem translationem periret ipsa traditio patrum, qui dicunt, ideo primatum in romana Ecclesia hærere, quia

hæc a S. Petro fundata et usque ad mortem suam gubernata fuit, atque ab eodem depositum doctrinæ tenet, atque custodit. 6. Talis translatio foret causa schismatum et fomes litium nunquam finiendarum. Ad quam enim Ecclesiam transferri deberet, cui non repugnarent principes, adquiescerent omnes Ecclesiæ, obtemperaret totus orbis? nunquid Ecclesia græca, dein cæteræ Ecclesiæ patriarchales in oriente hanc sibi prærogativam præ reliquis deberi contenderent? nec unquam alteri quam Ecclesiæ romanæ colla submittent. In occidente quoque an unquam consensus in tali translatione et pax speranda foret? atque ex hoc capite illa sententia de translatione primatus videtur omnino impossibilis. Quid juvat ergo disputare de eo, quod nunquam fiet, et consideratis omnibus ne quidem fieri potest? Nihilominus huic sententiæ singulariter irasci Benedictum XIV. contemptim ait Febronius. Verba Pontificis sunt : *attamen non videtur posse sustineri illorum opinio, qui asseruerunt, præfatam annexionem ita esse de jure humano, ut possit ab Ecclesia dissolvi, et una ab altera separari.* Suntne hæc verba singulariter irati hominis? Dicit ulterius, Benedictum, quamvis fateatur, in aliquo sensu jure tantum humano primatum romanæ sedi annexum esse tamen, non tamen exprimere, *in quo sensu :* si oculos illico non clausit Febronius, mox legisset nullo interjecto verbo, *quia nimirum utriusque ratio, nexus et*

colligatio ortum habuit ex facto Petri. Hic sensus fuerat Pontificis. Videbimus jam, qualiter Febronius, quem c. 1. subruere cœpit, initio hujus capitis iterum stabilire videtur, nunc penitus destruere nitatur primatum.

§ IV.

In quo consistat primatus, et quæ sint genuina ejus jura?

Novatores primatum in Ecclesia vel negant, vel deprimendo ejus jura in nihilum redigunt: romanæ curiæ adulatores enormiter illum extollunt: saniores rem ex jure et æquitate æstimant. Febronius eum in statu monarchico, quem penitus ab Ecclesia exulare vult, nullatenus deprehendit, qualiter nempe ab institutione Christi et ante falsas decretales exercitus fuit. Pro genuini primatus principio statuit: *omnia illa et sola esse primogenita et essentialia jura primatus, sine quibus unitas non potest conservari.* Ne autem in adplicatione hujus regulæ facile affectibus indulgeatur, contra quoscunque enascituras difficultates et dubia circa singulas primatus partes et jura consuli debet constans usus et disciplina Ecclesiæ, qualis fuit primis sex vel septem sæculis ante falsos canones, et in quibus scholæ omnes catholicæ conveniunt.

1. Nulli apostolorum in particulari erat potestas seu jurisdictio proprie dicta in alium, sin-

guli subjiciebantur collegio. Qualis in senatu est præses, talis propemodum in collegio apostolorum Petrus. Ille sententias rogat, non cogit, suo arbitrio nihil decidit, reliquorum actibus intendit, monet, arguit, sed non destituit, *caput* est ac *major*, non stricte *superior*, minus *dominus*. Caput erat Petrus, hinc ei deferebatur primus honor, ejus sententiæ multum tribuebatur, sine eo nihil majoris momenti definiebatur, ipse proponebat, et cum opportunum esset, omnium loco ac nomine loquebatur.

2. Inter hos *nudi directorii* fines jura primatus non subsistunt, huic annexa esse debet sollicitudo, ut per universum orbem observentur canones, ut fides illibata custodiatur, iidem ritus substantiales in administrandis sacramentis observentur, et omnes unam sanam doctrinam moralem profiteantur. Ad hæc Rom. Pontifici competit auctoritas, refragantes ad id compellendi mediis systemati convenientibus et per canones in hunc finem statutis, sicut in concilio Florentino disponitur.

3. Pontifex quamvis solus non possit, in magna tamen conciliorum generalium congregandorum difficultate ei conceditur potestas proponendi leges generales, nullam tamen vim habituras, quam communi consensu fuerint receptæ.

4. Habet *præcipuas* in judicando *partes* quoad definitiones fidei et morum, ut *provisorie* ejus judicio, licet non irrefragabili, sit obsequendum,

saltem *ad non dogmatisandum* contrarium, quamdiu Ecclesia non reclamat.

5. Si pertinacius sit malum, potest et debet concilium generale congregare, aliis hoc facere omittentibus.

6. Ad ipsum tanquam *centrum unionis* gravioris momenti negotia, et universam Ecclesiam, respicientia referuntur pro bono communi et unionis etiam extra concilium conservando.

7. Patitur Ecclesia universalis, ut in legibus a conciliis, etiam generalibus latis, sapienter dispenset in casu, quo etiam concilium dispensaturum fuisset.

8. Inter *instantias* et judicia suprema, saltem in occidente, non quidem simpliciter, certo tamen modo ei per concilia, præcipue Sardicense, convenienter attribuitur.

9. Quia Ecclesia romana in occidente ad fidem convertit, et fundavit Ecclesias in Italia, Gallia, Hispania, hinc *mater* et *magistra* cæterarum Ecclesiarum dicta fuit. Dat hìc respectus fundamentum reverentiæ et gratitudinis, non omnimodæ dependentiæ et subjectionis : responsa illius respectum merentur, at leges non sunt.

10. Hæc summa *reservatorum* Pontificiorum in primatu fundatorum, quæ pro re nata, et dum Ecclesiæ utilitas exigit, mutationi obnoxia sunt.

NOTA.

Dum Febronius de singulis his tum hoc capite, tum alibi tractat, suis quoque locis notamina nostra et responsa reservamus. Hoc tamen prætereundum non est: Petro vi primatus etiam in reliquos apostolos potestatem et jurisdictionem concessam esse, ex capite 1. contendimus, quod perperam negat Febronius. Ut quid hìc pro dignoscendo primatu Petri imaginem præsidis in senatu adfert, quam nullibi in scriptura legimus? quare non magis imaginem pastoris, patris-familias ex SS. litteris adhibet, dum de munere et officio Petri sermo est? imago præsidis neutiquam apta est ad explicandam genuinam ideam primatus. Christus utique non ut præses in senatu dirigebat suos discipulos et Ecclesiam; Petrus autem vices Christi subiit in dirigenda Ecclesia. Pastorem se nominavit Christus, pastorem voluit esse Petrum, dum ei omnes agnos et oves sine distinctione, sine exceptione pascendas commisit. Imago igitur pastoris a Christo proposita ad noscendum primatum Petri potius adhibenda fuisset, at ista Febronio non arridebat, quia pastor oves et gregem non sicut præses in senatu, sed cum potestate et auctoritate dirigit. Taceo, quod imago præsidis in senatu tantum se referat ad concilium congregatum, non vero ad regimen Ecclesiæ extra concilium.

Obiter adhuc noto, quod Febronius c. 1. §. 2.

n. 6. dicat, ex quorumdam patrum textibus rite inferri ac probari primatum, sed talem tantummodo, qui *fines directorii et formæ* non egrediatur : hìc vero ait, jura primatus inter *nudi directorii fines* non subsistere. Sed quamquam sibi nullibi constans modo coarctet, modo dilatare videatur primatum, in eo tamen nihil adhuc potestatis et jurisdictionis deprehendimus, quod non ad nudum directorium referri valeat.

§ V.

Ecclesia, cui primatus annectitur, per hoc sit centrum unitatis.

Inter reliquas proprietates universalis primatus una ex primariis est, quod sit *centrum* unitatis respective ad omnes Ecclesias particulares, ut ubique detegantur errores, et perstet una fides. Per hoc medium communi bono consulitur, et dissitæ Ecclesiæ etiam extra concilium generale inter se conferunt, principia et articuli fidei communicantur, et ipsa communio omnium inter se per symbola aut signa idonea demonstratur, teste Optato Milevit. lib. 2. contra Parmen. Huic communioni opponitur excommunicatio eorum, qui unionem scindere, vel schisma facere voluerint.

1. Romani ex genio *unitatis* et natura *centri* concludunt, in Petri cathedra, ejusque auctoritate et judicio universam debere quiescere Ec-

clesiam, neque ab illa ad concilium generale recurri posse. Verum, differt centrum physicum a morali, neque enim hoc illius indolem ita sequitur, ut quod in physicis obtinet, semper in mortalibus non declinet unquam.

2. Ad verba Irenæi l. 3. advers. hæres. c. 3. *ad hanc Ecclesiam* (Romanam) *propter potiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos, qui sunt undique fideles*, Renatus Massuetius commentatur dissert. 3. art. 4. § 30. *Ne omnes episcopi semper cum maximo gravamine simul in unum locum cogi deberent, necesse fuit, primam aliquam inter omnes Ecclesiam constitui, quæ cæteris omnibus præesset, pro jure invigilaret, ac veluti quoddam unitatis centrum esset. Cognita igitur hujus primæ Ecclesiæ sententia, cæterarum omnium satis ut plurimum cognita fuerit. — — — Hæc cæterarum caput, cui arctissime adhærere tenentur omnes.*

3. Ex his Febronius nil colligit, quam præsidium, directorium, vigilantiam et nexum communionis. At ex his non sequitur, caput illud non indigere vicissim subsidio corporis, a quo sustentetur, et nutans sublevetur.

4. Hoc sensu intelligitur Bonifacius I. epist. ad episcopos Thessaliæ, dum ait, Ecclesiam romanam esse *velut caput suorum membrorum, a quo se quisquis abscindit, sit christianæ religionis extorris, cum in eadem non cœperit esse compage.*

NOTA.

Ad 1. *Differt centrum physicum a morali.* In quo? quod idea et natura centri in se includit, in hoc centrum physicum a morali non differt, secus inepta foret comparatio, quæ a centro physico ad morale deducitur. Puto autem, in hoc simile versari, quod sicut in circulo physico centrum stat immobile, et omnes a peripheria ductæ lineæ in eo æqualiter desinere, atque cum centro æquam proportionem habere debent, ita omnes per orbem Ecclesiæ cum romana tanquam centro morali in fide et doctrina collimare ac conspirare debeant. Quod si una Ecclesia ab hoc centro recedat, quæro, anne conspirat adhuc cum reliquis Ecclesiis, vel non? si non: ergo hoc ipso non a centro solum, sed a tota peripheria, id est, a toto corpore extorris est, et quomodo tunc a centro, id est, a romana Ecclesia ad alias, vel ad concilium generale recurrere potest, si jam ab omnibus dissentiat. Si primum: non erit causa recedendi; quippe cæteræ Ecclesiæ cum centro collimant, igitur hoc ipso, dum cum cæteris Ecclesiis conspirat, etiam cum centro collimare deberet, vel simul a centro recederet, et non recederet, quod contradictorium est; non ergo a centro Ecclesiæ romanæ recedere potest, nisi simul ab aliis Ecclesiis et toto corpore recedat, et proportionem peripheriæ solvat. Si vis totam reliquam Ecclesiam, id est, omnes parti-

culares Ecclesias posse a dicto centro recedere, tunc perdis unitatem, et destruisti Ecclesiam.

Ad 2 et 3. Ego ex verbis Massuetii adhuc plura colligo, nempe emergentibus controversiis concilia non semper esse necessaria, sufficere hoc centrum unitatis pro dignoscenda Ecclesiæ sententia et sensu, atque quod huic communionis nexui et capiti *arctissime adhærere teneantur omnes.* Hæc ex verbis Massuetii perspicua sunt, et certe Febronii principiis et doctrinæ neutiquam conveniunt. Sed libet ei omnia in rem suam interpretari, dum alios cæcutire putat. *At inde non sequitur, ait, caput illud non indigere vicissim subsidio corporis?* quod si non sequeretur, tamen non indiget, quare? quia hoc caput influxum non habet a corpore, nec ab eo dependet, sed a Christo capite primario, cujus illud vicarium est, et a quo omnem influxum, potestatem et auctoritatem accepit. Corpus ergo indiget subsidio capitis, non vicissim, et in hoc sensu majori ego jure et veritate dicere possum: differt hoc caput morale a capite physico, neque ab hoc ad illud a pari argumentari licet.

Ad 4. Iterum nos cæcos esse vult Febronius, Bonifacius I. adducitur, et hic in illo sensu Febronii de mero præsidio, directorio, vigilantia, et communionis nexu intelligendus sit? Bonifacius, qui ante omnes falsas decretales, sua auctoritate jussit, episcopos Galliæ synodum congregare, et de maximo sententiam ferre, qui

episcopis Illyrici prohibet, absque suo vel vicarii sui consensu conventum habere, et quod ab apostolica sede semel statutum est, de eo rursus *tractari nunquam licuisse*, ait, qui epist. 15. ad eosd. episcop. Illyrici *in Petro Ecclesiam universalem fundatam, certum esse*, asserit, *neminem unquam apostolico culmini, de cujus judicio non licet retractare, manus obvias audacter intulisse.* Hìc idem Bonifacius L. cit. a Febronio, in Ecclesia romana non nudum præsidium, directorium: sed *regimen, potestatem* agnoscit, supra quod *synodus Nicæna* non ausa sit aliquid constituere, cum noverat, huic Ecclesiæ *omnia Domini sermone concessa esse.* Ita suo ævo Bonifacius P. Astute Febronius, cum aliquem ex antiquis sibi contrarium sentit, lectorem præoccupaturus, non alio quam in suo sensu intelligendum esse præmonet.

§ VI.

Quæ ad Ecclesiæ statum attinent, ubivis gerantur, ad Rom. Pontificem referenda sunt, ut is sollicitudinem suo ministerio convenientem expleat.

Hanc Ecclesiarum relationem ad sedem rom. probat ab ipso Ecclesiæ nascentis exordio ex epistola Corinthiorum ad Clementem PP. ex conciliis Sardicensi, Arelatensi, Carthaginensi, item Milevitano, et alio Carthaginensi ad Innocen-

tium I. P., hujusque litteris responsoriis ad eosdem Afros.

1. Hoc argumentum prosequitur ex synodo Ephesina in suis ad Cœlestinum P. litteris.

2. Ex concilio Chalcedonensi ad Leonem Papam.

3. Ex Avito Viennensi episcopo epist. 36.

4. Justiniano Imp. lib. 7. cod. de summ. Trinit.

5. Ex Xysto P. III. ad Joan. Antiochen. epist. 6.

6. Specialia universalis sollicitudinis, ad omnes provincias et Ecclesias sese extendentis exempla subjungit ex Basilio Cæsareæ episcopo ad Damasum P. anno 371. ex Bonifacii I. epistol. 15. anno 422.

7. Ex episcopis Afris Carthagine congregatis anno 401. de Anastasio I. P.

8. Ex epist. 3. Innocentii I. circa annum 404. ad synodum Toletanam.

9. Cœlestinus P. teste Prospero in chronico ad annum 429. Germanum Antisiodor. episcopum apostolicum legatum in Britanniam ad deturbandos hæreticos, et pro Scotis Palladium episcopum ordinavit.

10. Idem Papa de puritate fidei in Ecclesia Constantinopolitana sollicitus scripsit ad ejusdem urbis clerum et populum epist. 14.

11. Sic Eutherius Thyanensis et Thelladius Tarsensis episcopi orientis anno 433. contra novitatum auctores opem implorant a Xysto P.

12. His innotescit, quomodo sæculo IV et V.

romani præsules in toto orbe primatus sui ministerio in bonum fidei et disciplinæ satisfecerint.

13. In omnibus his pro pleniori intellectu addendum illud, quod ad Eulogium episcopum Alexandrinum scripsit Gregor. M. L. 8. epist. 30. *Verbum jussionis peto, a meo auditu removete, quia scio, quis sum, qui estis : loco enim mihi fratres estis, moribus patres, non ergo jussi, sed quæ utilia sunt, indicare curavi.*

NOTA.

Hæc ipsa monumenta manifeste probant summam Pontificis Rom. in Ecclesia auctoritatem, cujus sententia, jussu et decretis stare debent omnes, si illa attente legantur. Cum vero Febronius ex iis omnibus perspiceret, non modo consuetudinem, sed et necessitatem, ab antiquissimis temporibus deductam referendi ad Papam ex universali Ecclesia, in dubiis consilium, in controversiis sententiam et opem implorandi ne jam nimia ex antiquis hisce monumentis effulgeret Pontificis auctoritas, iterum lectorem ad alium sensum diversurus, verba Gregorii M. intempestive in medium profert, quasi Pontificis in his omnibus nil nisi suadere, monere potuissent. Quod si autem in Pontifice non fuit alia auctoritas, certe iis antiquis patribus et conciliis non adeo necessarium visum fuisset, omnia ad eum referre, ejus concilium, sententiam ac judicium tantis loco-

rum et temporum dispendiis exquirere, nihil inde reportaturis, quam concilia et monita, quibus sæpius carere, et iisdem se haud satis tutos credere potuissent. Absque ulla igitur ratione, et contra communem antiquorum sensum illa verba Gregorii M. in universalem regulam assumit Febronius, quæ ipse ex humilitate et ad confundendam ambitionem antistitum Alexandrinorum, qui, teste Socrate l. 7. c. 7. sedis suæ auctoritatem supra modum jactabant, ad Eulogium scripsit. Certe ex actis et gestis Gregorii constat, quod, exigente rerum statu, sæpe decreverit, mandaverit, jusserit, non tantum monuerit, indicaverit, jusserunt quoque ante ipsum alii sanctitate et doctrina insignes summi Pontifices, uti ex eorum decretis et decretalibus epistolis satis patet. Verba igitur Gregorii neque pro ipso, multo minus pro aliis Pontificibus in universalem regulam assumi debent, et frustra petit Febronius, in his omnibus *verbum jussionis* abesse. Sed audiemus illum de hoc iterum.

§ VII.

Rom. Pontifex est tutor et vindex canonum per universam Ecclesiam.

In horum fideli observatione Papa sui primatus invictum præsidium invenit.

Primis sæculis omnibus persuasum fuit, munus Rom. Pontificum esse, ut traditiones apos-

tolicas et canonum statuta sedulo, sancteque coli curarent, et quoad hæc erudirent imperitos, erigerent desides, novarum rerum amantes dedocerent, et si nihil promoverent monitis, hortationibus, minis, adversus contumaces obverterent media in hunc finem a canonibus præscripta. Hæc autem talia non sunt, ut absolutam in Ecclesia supponant monarchiam, sed e contrario excludant. Hinc Papa non potest per se refractarios deponere, bene vero excommunicare. Sed excommunicatio non arguit jurisdictionem proprie talem in personam excommunicati, vel saltem talis jurisdictio ex Scoti et aliorum sententia communi totius Ecclesiæ nomine, et ex ejus delegatione exerceri dicenda esset.

Multis laudibus dein extollit Gregorium VII, quod petitioni Regis Arregoniæ non detulerit, quia canonicis decretis obviaret, talis concessio in malum exemplum trahi posset, et apostolica sedes multa quidem toleret, sed nunquam in suis decretis a concordia canonicæ traditionis recedat. Si optima hæc consuetudo perdurasset, non legeremus in commonitorio Adriani VI, ad suum in Germaniam legatum Franciscum Cheregatum: *scimus, jam aliquot annis in hac S. sede multa abominanda fuisse, excessus in mandatis, abusus in spiritualibus, et omnia tum demum in perversum mutata.* Item in concilio a delectis prælatis Paulo III. dato: *in aula romana prodierunt doctores, qui docerent, Pontificem esse Dominum benefi-*

ciorum omnium, ac ideo quod Dominus jure vendat, quod suum est, necessario sequi, in Pontificem non posse cadere simoniam. Item. *Abusibus illis, quibus jam pridem Ecclesia Dei laborat, et præsertim hæc romana curia effectum probe est, ut paulatim ad sensim ingravescentibus pestiferis his morbis, eam in magnam ruinam traxerit etc.*

Quod olim Ludovico Thomassino objectum est, *faciendo Pontifices meros executores canonum, hoc est illis sub verbis magnificis illudere,* Febronius ejusdem verbis et responsione a se removet : *cavendum, ne secus sentire vel loqui fœdissima sit adulatio. Pulchrius, optatius, magnificentius et magis imperatorium est, executorem esse canonum, quam pro arbitrio dominari, provisorem esse publicæ rei ad consulendum, quam solutum legibus et salutis publicæ incuriosum, suæ unius gloriæ cupidum regnare.*

1. Cœlestinus P. epist. 4. dicit, se a Deo constitutum, ut quæ coercenda sunt, resecet, et quæ observanda, sanciat. Nempe ait Febronius, resecare rebellia membra excommunicando, sanciendo per constitutiones et rescripta ea ratione, quam ipsa exponet § seq. et c. 5. § 1. n. 2.

2. Zosimus S. epist. 9. ad Hesychium dat exemplum *sanctionis* pœnalis, in qua tamen hæc duo conjungit : *quisquis hoc, posthabita patrum et apostolicæ sedis auctoritate, neglexerit.* Plerumque autem Pontifices non quamlibet, sed *congruam* minabantur pœnam ; sic Siricius epist. 1 sic Cœ-

lestinus epist. 5. aiunt, pœnam *congruentem regulis.*

3. Iidem Pontifices hoc non de suis privatis constitutis et decretis dicunt, sed de canonibus et regulis.

4. Siricius epist. 5. et Innocent. epist. 1. aiunt, *litteras tales dare placuit, quæ non nova aliqua præcepta imperent, sed quibus ea, quæ per ignaviam, desidiamque aliquorum neglecta sunt, observari cupiamus, quæ tamen apostolica et patrum constitutione sunt constituta.* Et Liberius epist. 4. ad Constantium Imp. *nunquam mea statuta, sed apostolica, ut essent semper firmata et custodita, perfeci.* Non fuit horum Pontificum animus, novum jus condendi, sed antiquos canones renovandi.

5. Gelasius P. epist. ad Faustum contra Acacium c. 2. et epist. ad episcopos Dordan. c. 2. declarat, Pontifices esse executores sententiæ conciliorum. S. Bernard. l. 3. de consider. ad Eugen. P. c. 5. *Intendat consideratio tua, — — — si demum vestra ipsorum apostolica mandata et instituta ea, qua dignum est, sollicitudine observentur.* Per apostolica mandata et instituta Bernardus intelligit, imo clare indicat ea, quibus jubetur sacrorum canonum executio, non quibus his per privilegia derogatur; nam addit, *ne quid in agro Domini aut neglectu incultum, aut fraude surreptum inveniatur,* quod fit derogatione canonum.

6. Bossuet in defens. declarat. cleri gallic. tom. 2. dicit : Pontifices *exequendi auctoritate* freti abs-

que nova synodo Imperatores et totam orientalem Ecclesiam ad condemnandos rebelles sola sedis apostolicæ auctoritate compulerunt. Pelagianis vero, *Ecclesiarum concessione* freti nec illud solatium reliquerunt, ut ab œcumenica synodo damnarentur.

7. Idem l. c. invicti fuêre Romani Pontifices, cum canones ab Ecclesiis, sede apostolica sive auctore, sive probante susceptos vindicarunt etc. Contrarium, ait Febronius, sanctissimæ hujus disciplinæ observamus in hodierna politia romana.

8. Stabit primatui suus vigor, quamdiu Pontifex secundum paternorum canonum regulas rem geret, secus cessat quoad hoc subordinatio, et oritur confusio, quod testatur Leo M. epist. 62. primatus et canonum observantia sunt duo cardines, quorum uno convulso, alter fere extra activitatem ponitur. Ita sensit etiam Gregor. M. lib. 13. epist. 44.

9. Primatus habet jura sua partim ex *jure divino*, partim *humano;* imo plura ex hoc, quam ex illo : episcopi sua fere omnia habent ex divino. Quoad reciprocam horum jurium observantiam et defensionem par debet esse, et æqualis ratio. Sic Gregor. M. lib. 3. epist. 29. ad clerum Mediolan. Gregor. VII. l. 1. epist. 24. Innocentius III. l. 1. epist. ad rectores Thusciæ aiunt, sicut Pontifices jura sua volunt servari ab aliis, sic et aliorum jura servare cupiunt. Quod si igi-

tur Pontifex canonum tutor et vindex jura episcoporum non defendat, sed omnino tollat, aut evertat, quoad hoc tutor non agnoscetur, donec officii sui partes debite resumpserit.

NOTA.

Singulare est in commentandis scriptoribus Febronii artificium, dum sæpe eos, qui omnino contra ipsum pugnant, in medium affert, ipsis in rem suam longe alium sensum substituendo, præoccupat lectorem, qui sibi relictus fors aliam de textu tulisset sententiam. Pontifex, ait, per se non potest refractarios deponere. Hoc falsum esse dicemus suo loco. Potest tamen excommunicare, quare? quia excommunicatio non est proprie actus jurisdictionis. At excommunicatio est utique pœna ecclesiastica gravissima, pœnam autem gravissimam statuere et infligere est actus jurisdictionis? sed de hoc iterum suo loco. Multo minus Pontifex censendus est, talem jurisdictionem exercere nomine Ecclesiæ : Ipse enim suam potestatem non habet ab Ecclesia, sed immediate a Christo, cujus vicarius est, non Ecclesiæ minister et executor, uti cap. superiori abunde demonstratum est.

In commonitorio Adriani VI. et consilio Paulo III. dato tantum sibi complacet auctor, ut ea sæpius, et singulis omnino libris repetat, quibus etiam alibi respondebimus. Interim tantum

noto, hæc quantacunque sint, nondum gravioribus Febronii accusationibus convenire, hasque probare. Adrianus P. ait, abominanda *jam aliquot annis* in romana sede fuisse, Febronius vero dicit, ista a falsis decretalibus jam ortum traxisse, et romanam curiam omnino incorrigibilem depingit : Pontifex ait, fuisse *excessus in mandatis*, Febronius verbum *jussionis*, et potestatem mandandi a Pontifice penitus removeri vult. Delecti prælati dicunt, in aula romana prodiisse doctores, qui dicebant, Papam esse Dominum beneficiorum, et in eum simoniam cadere non posse; Febronius hanc doctrinam toti curiæ affingit : iidem dicunt, non solum curiam romanam, sed totam Dei Ecclesiam abusibus laborare, Febronio omnia ubivis sunt munda, sola curia purganda est. Ostendat dein Febronius vel curiam episcopalem, aut ministerium, aulam et statum politicum, ubi vel nullus unquam irrepsit abusus, vel adhuc dum non vigeat : Dicemus ibi ad clavum sedere angelos, non homines, et junctis manibus Babylonem expugnabimus. Quid si tollendorum abusuum, aut superiores ac principes ad nativa et primæva jura sua reducendi prætextu rebellare, vel saltem eorum errata cum exageranti crisi et petulanti calamo, toti mundo, posthabito omni respectu, denuntiare liceat, vel integer orbis reformandus erit, vel nil tutum et quietum perstabit.

Multi altum semper clamant, *abusus, refor-*

matio. At hæc vox *reformare*, ut ait Pallavic. histor. l. 7. c. 4. n. 1. ab unoquoque sic intelligitur : commune regimen ad suæ mentis ideam peculiarem conformare. Ad Thomassinum respondeo, aliud est, *pro arbitrio* dominari, solutum esse legibus, et salutis publicæ *incurium*, ac *sui unius gloriæ* cupidum, et aliud merum *executorem* canonum esse. Primum cum excessu, alterum cum defectu diceretur. Etsi Pontifex non pro arbitrio ac libitu, neque pro privato suo commodo regere debeat, non destituitur tamen suprema postestate et jurisdictione ipsi in ædificationem collata. Grates interim debemus Febronio, quod saltem laude sua dignum æstimet Gregorium VII, cujus characterem alibi tam nigris coloribus depingit.

Ad 1. *Observanda sancire*, in sensu proprio et juridico significat, legem præcipientem statuere. Nihil igitur moramur glossam Febronii, quam ipse pro suo genio se allaturum promittit.

Ad 2. Ita est : Zosimus P. hæc duo conjungit, *patrum et apostolicæ sedis auctoritas.* Sive ergo hæc duo collective sive distributive sumas, Pontifices non meros executores efficies : si collective : ergo nec patrum auctoritas pro lege valet, nisi cum ea apostolicæ sedis conjuncta : si distributive, igitur et ista sicut illa regulam statuit. Imo in hoc ultimo sensu verba illa intelligenda esse, patet ex contextu, *post tot prohibitiones, et quidquid interdictum toties usur-*

patur, nempe tum a patribus per canonem, et ab apostolica sede per constitutionem. Violatores autem canonum pœna *congrua* coercendos esse, nemo dubitat.

Ad. 3. Quædam prohibita vel præcepta fuêre, et adhuc sunt per canones a conciliis universalibus latos, vel aliis in Ecclesia receptos, quædam per speciales constitutiones Pontificum, quædam ab utrisque simul. Hinc Pontifices modo solos canones, modo suas constitutiones, modo utrosque opponunt, sicut Siricius P. ait, *contra canones et interdicta nostra*. Ex eo ergo, quod Pontifices quandoque citent solos canones, non sequitur, sua statuta non habere vim legis : imo hoc ipso, quod præter canones alicubi allegent suas constitutiones, sequitur, in ipsorum sensu has non minus, quam illos ligare.

Ad 4. An bona est illatio ? Siricius et Liberius PP., dum alicubi observationem antiquorum canonum urgent, ibi dicunt, se non nova aut sua præcepta imperare, igitur nullibi nova statuta condunt, vel condere se posse fatentur. An non contrarium potius inde eruitur. Si Siricio nunquam fuit animus, novum jus condendi, quare Hymerio episcopo Tarraconensi ad consultationem tot mandata, quot responsa dedit, non ab eo solum tenenda, sed quæ per Africam, Lusitaniam, Galliam et vicinas provincias promulgata ab omnibus observentur, atque statuta sua æque ac definitos canones vult

observari; *quanquam*, ait, *statuta sedis apostolicæ, vel canonum venerabilia definita nulli sacerdotum Domini ignorare sit liberum.* Et inferius: *quæ a nobis non inconsulte, sed provide sub nimia cautela et deliberatione sunt salubriter constituta, intemerata permaneant, et omnibus in posterum excusationis aditus, qui jam nulli apud nos patere poterit, obstruatur.* An supremus quivis legislator suam legem majori vigore urgere poterit? hanc potestatem præcipiendi, et nova statuta condendi sibi certo non primus usurpavit Siricius, multo minus ea ad omnes provincias Africæ, Bæticæ, Lusitaniæ, Galliæ mittere ausus fuisset, nisi in hac potestate prævissent sui antecessores Pontifices, et eam in Pontifice indubitanter agnovissent tot provinciarum episcopi. Constat igitur, quis fuerit sæculo IV, et jam anterius mens episcoporum et Ecclesiæ de potestate Papæ circa constitutiones et leges ferendas.

Ad 5. Nemo dubitat, Rom. Pontificem præ cæteris executorem esse canonum et sententiæ conciliorum: at dicimus, non *simplicem et merum executorum* esse quasi alienæ potestatis. Est executor tum suarum, tum conciliarium legum propria auctoritate, vel si mavis auctoritate Christi, sicut princeps est executor suarum legum, per quod non excluditur, sed supponitur vera jurisdictio.

Ex verbis Bernardi qualis consecutio? per verba, *ne quid in agro Domini neglectu incul-*

tum, aut fraude surreptum inveniatur, juxta Febronium indicantur mandata apostolica, quibus per privilegia canonibus derogatur : ergo per mandata et instituta, quæ observanda esse dicuntur, Bernardus intelligit ea, quibus jubetur canonum executio, quasi præter privilegia nulla alia mandata et constitutiones apostolicæ existerent, vel Pontifex statuere posset, nisi tantum executoria canonum. Hìc Febronius jam pro certo ponit, de quo ipse litem movet. Neque verum est, illa ultima verba Bernardi solum ad mandata apostolica referri, sed ad omnia prævie dicta de subjectione plebis ad clerum, de disciplina cleri et monasteriorum etc. pertinent, et horum quasi epiphonema sunt. Fallitur Febronius, si existimet, Bernardum Papæ denegare jus leges, et nova statuta condendi. Plura et insignia in hanc rem sunt dicta Bernardi, quorum aliqua alibi referemus.

Ad 6 et 7. Nos 4 articulos cleri gallicani, et horum defensionem non acceptamus : de articulis supra cap. 1. in nota ad § 10. satis diximus, de desensione declarationis horum articulorum respondeo : quid per eam defenditur, nisi quod a Pontificibus damnatum, cassatum, ab ipsis auctoribus retractum, et a Rege revocatum fuit ? si objicias auctoritatem Bossueti ; verum et ipse Bossuetus in conficiendis 4 articulis anno 1682 præsens fuit, atque subscripsit ; dum igitur, ipso Bossueto teste, in contin. histor. uni-

vers. ad annum 1682 iidem episcopi quatuor articulorum auctores in alio conventu palinodiam cecinêre, et priorem suam declarationem retractarunt, utique et Bossuetus cum aliis morem gessit, retractavitque; defenditur ergo in hoc opere, quod ipse auctor destruxit, retractavit, damnavit, et de quo se dolere contestatus fuit, sicque nullam amplius a suo auctore auctoritatem habet. Dein ipse Bossuetus hanc defensionem declarationis in lucem haud edidit, sed primum post ejus mortem ad hanc pervenit, unde ipsus illam tenebris dignam esse censuit. Si igitur Bossuetus sit auctor hujus operis, certe illud statim post declarationem quatuor articulorum, dum adhuc ferverent animi, et ante dictam retractationem conscripsit; postea, mutato animo, longe aliter sensit, uti ex modo dictis, et quæ supra cap. 1. ex eodem Bossueto notavi, optime colligitur. Interim nihilominus si verba hujus defensionis accuratius inspiciantur, Papam non merum executorem canonum, sed etiam auctorem eorundem facere videntur : id significant verba, *auctore et executore Petro*, item illa, *cum Romani Pontifices canones ab Ecclesiis, sede apostolica NB. sive auctore, sive probante susceptos vindicarunt.* Hoc tamen fortiter negamus; Pontifices *sola* ex exequendi auctoritate fretos, Ecclesiam orientalem ad condemnandos rebelles compulisse, et *sola Ecclesiarum consensione fretos* Pelagianos absque

synodo condemnasse. Ubi hoc dicunt illi Pontifices? et si non dicunt, unde licet, in re momenti illis talia motiva et mentem affingere, ut videantur non propria sua auctoritate egisse. Tanti interest additio unius vel alterius vocis, qua res sæpius longe alio in prospectu præsentatur, et integrum systema non raro confunditur.

Ad 8. Probare debuisset Febronius, quod Leo M. et Gregorius M. citatis locis per canones intelligant eos solummodo a conciliis, non vero a sede apostolica latos. Sane S. Leo P. epist. ad episcop. Campaniæ sua statuta inter canones numerat, sic scribens : *ne qua excusatio de ignoratione* (super a se statutis) *nascatur, quanquam ignorare nunquam licuerit sacerdotem, quid canonum regulis fuerit definitum, hæc scripta — — — direximus.* Et infra : *omnia decretalia constituta tam B. recordationis Innocentii, quam omnium decessorum nostrorum, quæ de ecclesiasticis ordinibus, et canonibus promulgata sunt disciplinis, — — — custodiri debere mandamus.* Pontifices sæculi IV, et ultra ubique et continuo in suis decretis se referunt ad canones et statuta majorum, cum tamen eo tempore nulli in universa Ecclesiæ, romana præcipue, canones conciliares agniti fuerint, quam solius concilii Nicæni. Sic Innocentius I, anno 405. ad clerum Constant. § 3. scribit : *quod ad canonum observationem attinet, solis illis parendum esse dicimus, qui Nicææ definiti sunt, quos solos*

sectari et agnoscere debet Ecclesia catholica. Gregorius M. l. 6. epist. de concil. Constantinop. I. *romana Ecclesia eosdem canones hactenus nec habet, nec accipit : in hoc autem eandem synodum accepit, quod per eam contra Macedonium definitum est.* Ad minimum hoc inde deducitur, canones etiam conciliares nullam vim legis in universa Ecclesia obtinuisse, nisi postquam ab Ecclesia romana robur ac firmitatem acceperint, et ab ea fuerint promulgati.

Ad. 9. De hoc redibit quæstio, quænam jura primatus ex jure divino, et quæ ex humano descendant ? iterum utrum Pontifices episcopis sua jura servaverint, vel tollendo usurparint.

§ VIII.

Summus Pontifex habet jus, universalis Ecclesiæ nomine, leges, aliaque observanda proponendi.

Sicut Petrus Matth. 16. pro omnibus *unus* respondit, *tu es Christus filius Dei vivi*, ita Petri successor communi episcoporum sensu, et ex universali traditione ad Ecclesiam loquitur. Quæ in fide aperta, et ex scriptura omnibus manifesta sunt, ante omnem sententiam omnes facile audiunt; dum autem, suborta quæstione et dubio, Petri successor veritatem depromit ex alto, hanc si omnes, vel fere omnes recognoscant, tum in Petri decreto communem totius Ecclesiæ sententiam venerantur. Hoc sensu dixit S. Leo ser-

mon. III. cap. 3. *manet ergo Petri privilegium, ubicunque ex ipsius fertur æquitate judicium.* Idem epist. 93. ad Theodor. episcop. Cypri. *Gloriamur in Domino, qui — — — quæ nostro prius ministerio definierat, universæ fraternitatis irretractabili firmavit assensu, ut vere a se prodiisse ostenderet, quod prius a prima omnium sede formatum, totius Christiani orbis judicium recepisset.*

Quod si vero graves oriantur seditiones, et episcopi seu integræ Ecclesiæ inter se collidantur, unicum superest, ut ad communem synodum recurratur, in qua Petrus ipse sit princeps, judicium autem communi sententia proferatur, ubi ad exemplum Petri a Paulo reprehensi nemo pertinaciter suo sensui inhæreat, ut docet Cyprianus epist. 71. Si autem Pontifex extra concilium aliquid ediceret, in quo Ecclesiæ suam traditionem non recognoscerent, his competit jus contradicendi; hinc Pontifici cautelis opus est, de quibus c. 4. Hoc non solum in legibus condendis, in gravibus negotiis universam Ecclesiam tangentibus, in causis fidei, sed etiam in materiis disciplinæ locum habet, attamen in his tantum ibi, ubi decreta Pontificum pro fundamento habent canones, ab Ecclesia agnitos, maxime conciliares, et ad horum executionem pertinent.

1. Non ob quamvis subortam quæstionem concilia generalia vocanda sunt, nec ulla lex jubet, ut omnes quæstiones de *magna* quavis re, sed de *obscura*, *ancipiti* ad concilium deferantur, si

graves dissensiones oriantur, nec aliter pax coalitura videtur. Sic concilium apostolorum non ideo præcise collectum fuit, quod suborta esset quæstio, sed quia post quæstionem facta fuit *seditio non minima.*

2. Si Pontifex non proponat, sed imponat et imperet quæ videantur injusta, aut minus opportuna, magisque pro elatione suæ Ecclesiæ, reliquarum vero depressione adinventa, quam bono religionis et Ecclesiæ profutura, faciendum est, quod in S. Cypriano laudavit S. Augustinus, de quo c. 2. § 12. et c. 5. § 9.

3. Ad damnandas et extinguendas hæreses, neque summi Pontificis, neque conciliorum auctoritas semper desideratur. Sic Augustin. l. 4. ad Bonifac. c. 12. *nunquid congregatione concilii opus erat, ut aperta pernicies damnaretur? quasi nulla hæresis aliquando, nisi synodali congregatione damnata sit, cum potius rarissime inveniantur, propter quas damnandas necessitas talis extiterit, multoque sint incomparabiliter plures, quæ UBI extiterunt, ILLIC improbari, damnarique meruerunt, atque INDE per cæteras terras devitandæ innotescere potuerunt.*

4. Quando in edicto publico circa materiam fidei traditio ut motivum credendi proponitur, non provocatur ad traditionem particularis Ecclesiæ romanæ, sed aliarum etiam, præcipue apostolicarum.

5. Modus promulgandi decreta apostolica fiebat

per synodum, vel per denuntiationem singulis episcopis factam, *ut omnium consensu, studioque firmentur*, prout ait Innocent. I. epist. 24. Ubi vero consensus, ibi quoque deliberandi atque dissentiendi facultas supponitur.

6. Per viam concilii Lateranensis II. Innocentius II. decretum Gratiani promulgari studuit, licet irrito aliquandiu conatu, cum non possent non subolfacere reges et principes, quid monarchicis hisce principiis affectet aula romana. Rem sic refert Odericus Vitalis, qui floruit circa annum 1140. *Multa* (patribus concilii Lateranensis) *Papa Innocentius de priscis codicibus propalavit, insignemque sacrorum decretorum textum congessit. Sed nimis abundans per universum orbem nequitia terrigenarum corda contra ecclesiastica scita obduravit. Unde remeantibus ad sua magistris apostolica decreta passim per regna divulgata sunt. Sed nihil, ut manifesto patet, oppressis et opem desiderantibus profuerunt, quoniam a principibus et optimatibus regnorum cum subjectis plebibus parvi pensa sunt.*

7. Decreta synodalia haud raro eo fine ad Rom. Pontificem dirigebantur, ut per ipsum omnibus Ecclesiis potissimum innotescerent, uti aiunt patres concilii Arelatensis ad Sylvestrum P.

NOTA.

Præsenti § Febronius Pontifici concedit facultatem *nomine Ecclesiæ proponendi*, non tamen sua auctoritate *statuendi* legem, in quem finem omnia corrasit, unde probaret, consensum saltem episcoporum (nam *de universitate Ecclesiæ* id efficere non potest) necessarium esse ad legem formandam. Ad singula igitur respondendum erit. Negavimus supra c. 1. § 2. Petrum unum pro omnibus respondisse. Quod si autem ita esset, adhuc de illatione cum Febronio contenderem : ibi Petrus, dum Christo interroganti respondit, nondum constitutus erat caput Ecclesiæ, sed primum per verba subsequentia Christi constituebatur; ergo inde colligi non potest, Petri ut primatis et capitis successores, dum ad Ecclesiam loquuntur, etiam nomine omnium seu Ecclesiæ loqui. Quantumcunque hæc levia videantur, absque nota præteriri non possunt, quia Febronius hisce verborum formulis semper suam de clavibus universitati Ecclesiæ traditis opinionem tacite involvit, quo fundamento posito, vel admisso, Pontificem nihil nisi nomine Ecclesiæ vel hujus consensu posse, secure concludit.

Verba Leonis P. Febronium potius feriunt : hic vult, sententiam Papæ in quæstionibus fidei suam firmitatem recipere ab acceptatione omnium, si nempe omnes vel fere omnes veritatem recognos-

cant : S. Leo ait, opus Domini esse, qui quod prius suo ministerio definierat, postea etiam universæ fraternitatis firmavit assensu, ut illud vere a se prodiisse ostenderet. Quid hoc aliud significat, quam hunc assensum demonstrare, et a posteriori signum esse infallibile, quod Deus per Leonem locutus fuerit? non quod hic assensus ad constituendam regulam fidei fuerit necessarius. Quippe quod Leo P. a Deo per suum ministerium jam NB. *definitum* esse credidit, hoc utique absque aliorum consensu certum esse judicavit. Sed audiamus S. Leonem epist. ad concil. Chalcedon., de quo hìc sermo est, de sua epistola dogmatica scribentem, ubi de causa a se jam definita non amplius permittit disputare; sic enim habet : *rejecta penitus audacia disputandi contra fidem divinitus inspiratam vana errantium infidelitas conquiescat. Nec liceat defendi, quod non licet credi; cum secundum evangelicas auctoritates, secundum propheticas voces, apostolicamque doctrinam, plenissime et lucidissime per litteras, quas ad B. Mem. Flavianum episcopum misimus, fuerit declaratum, quæ sit de sacramento incarnationis D. N. J. Christi pia et sincera confessio.* Profecto non sic scripsisset S. Leo, si suum judicium a concilio reformabile, vel hujus assensu primum firmitatem ac robur accipere putasset.

Idem S. Leo Marciano Imperatori, synodum Chalcedone congregari volenti, assensum præbuit hac conditione, epist. 82. alias 62. *Ne cujusquam*

procaci, impudentique versutia, NB. quasi de incerto, quid sequendum sinatis. Similiter epist. 90, 93, 94. eundem Imperatorem rogavit, ne pateretur fidem in synodo *quasi dubiam retractari.* Ex his patet mens S. Leonis, nempe quod suum judicium dogmaticum etiam in generali synodo irretractabile et infallibile existimaverit, et assensus synodi non adfirmandum dogma atque judicium, sed potius ad ejus receptionem et observationem valuerit.

Alludit dein ex verbis Cypriani Febronius ad Papam, ne ipse in synodo suo sensui pertinaciter inhæreat. At exemplum non est ad rem. Paulus restitit Cephæ non in synodo, nec propter doctrinam, sed propter factum suum privatum, quod putabat gentibus scandalum esse posse. E contra, Petrus in synodo apostolorum Hierosolymis primus sententiam dixit, cæteri omnino tacuerunt, solus Jacobus adhuc locutus est, non contradicens, sed repetens Petri sententiam, et eandem confirmans et scripturis prophetarum. Interim statuat Febronius, quid Papæ sit faciendum in synodo, si circa doctrinam fidei et morum non consentiant episcopi, aut graves lites oriantur. An ipse taceat? vel solum aliorum sententias et vota exquirat? cuinam parti se jungat? an potiori? sed potior pars errare potest. Certe erravit in conciliis Ariminensi, Constantinop. VI, sub Capronimo, Sirmiensi. Puto ego, Pontificis vocem et sententiam præprimis audiendam esse, non

solum quia in synodo præcipuæ esse debent ejus partes, quod etiam Galli non inviti fatentur, sed quia hoc exigit natura et centrum unionis, ut reliqui cum ipso conspirent, non ut ipse, renitentibus aliis, ad quosdam accedat, quia per hoc potius solveretur, quam obtineretur unio, pro qua obtinenda igitur alii potius ipsius judicium sequantur, necesse est, quam ipse alicui parti accedat, ubi sententiæ variant. Inepte igitur Febronius verba Cypriani ad eum, cujus in synodo est *primo* sententiam dicere, nempe ad Papam applicat, quod magis de aliis dici deberet.

Extra concilium vero, si in definitione Pontificis una alterave Ecclesia particularis suam traditionem non inveniret, non illico habet jus contradicendi, quia quævis Ecclesiæ particulares errare possunt, et præsumptio stat pro Pontifice; possunt tamen de hoc certiorem reddere Papam, suamque mentem cum reverentia exponere. Ad primum equidem cum Febronio consentio, at

Ad 2. non sufficit tantum *videri* legem esse injustam, aut bono communi nocivam, vel minus opportunam, sed manifeste et certe debet esse talis, secus via panderetur turbis et seditionibus: quod si autem revera talis est, tunc pro particularibus Ecclesiis valent ea omnia media, quæ subditis in tali casu suppetunt erga legislatorem, idque eo magis, quia regimen Ecclesiæ fundatur in charitate, unde facilius et certius sublevamen exspectari potest, quod ab experientia patet, quia

multæ leges Pontificiæ universales in certis provinciis non observantur, dum episcopi de difficultate Papam informarunt, et Pontifices tolerant, ac aquiescunt, si eorum constitutiones sine magna difficultate recipi aut executioni dari non possunt. Faciendum igitur tunc, quod ad archiepiscop. Ravennæ scripsit Alexander III. c. 5. X. de rescript. et ipse Febronius pro exemplo admittit c. 4. § 2. *Si quæ animum tuum exasperare videntur, turbari non debes. Qualitatem negotii — — — diligenter considerans, aut mandatum nostrum reverenter adimpleas, aut per litteras tuas, quare adimplere non possis, rationabilem causam, prætendas.* Fors hoc non diffitebitur canonista noster : si Rex ferat legem toti regno utilem, quamvis alicui civitati vel provinciæ gravem et importunam, hæc nihilominus propter subordinationem ad bonum commune istam legem observare debet, etiam cum proprio detrimento, quia ut pars et membrum communitatis tenetur ad bonum commune concurrere. Nos igitur loquimur a pari de lege Pontificia, si tendat ad bonum totius Ecclesiæ.

Ad 3. Ita est, si hæresis sit *aperta*, et malum non latius serpat, ut validiori indigeat remedio.

Ad 4. Ad quamnam *apostolicam* Ecclesiam, præter romanam nunc pro traditione provocari poterit, cum omnes reliquæ a tot sæculis vel in infidelitate, vel hæresi sepultæ jacent? item ad quam apostolicam traditionem antiqui patres po-

tissimum provocarunt, quam laudarunt maxime, nisi eam, quæ in sede Petri et Ecclesia romana semper custodita fuit?

Ad 5. Quid multa? scimus, hunc fuisse modum promulgandi decreta Pontificia. At vero consensus ille non *intrinsecam*, sed *extrinsecam*, uti aiunt canonistæ, legis firmationem efficit eo modo, quo c. in istis. 3. dist. 4. dicitur, *leges firmantur, cum moribus utentium comprobantur*. Id est, executionem, observantiam, ac stabilitatem a consensu et moribus utentium accipiunt. Quid deest hisce decretis ad substantiam legis? num potestas legislatoris? insanus et ridiculus esset, qui toti orbi juberet, dum ne in partem quidem potestatem jubendi haberet. At Pontifices præcipiunt, decernunt, jubent, pœnam in non obedientes vel jam statuunt, vel minitantur, promulgationem et executionem mandant, absque quod consensum vel exspectent, vel requirant, et hoc quidem non a tempore falsorum decretalium, non de novis solum, sed de antiquissimis Pontificum constitutionibus patet. Consensus igitur ille non ad quasi implendam et perficiendam potestatem legislatoris pertinet, sed potius ad executionem spectat, secus longe alio stylo usi fuissent veteres illi Pontifices; unde deliberandi et dissentiendi facultatem non supponit, nisi forte hæ leges cuidam Ecclesiæ sint difficiles, aut noxiæ, de quo licet informare Pontificem, et interim earum executionem suspendere. S. Leo

P. epist. ad Thuribium anno 447. Postquam suum judicium de sexdecim capitulis sibi propositis protulisset, statim concilium nationale congregari jussit, an emendicaturus consensum? haudquaquam. *Sed ut NB. NOSTRÆ ORDINATIONIS AUCTORITAS ad prædictarum provinciarum episcopos deferatur.* Idem Leo epist. ad Januarium episcop. Aquilei. *Hanc epistolam nostram ad omnes fratres comprovinciales tuos episcopos facias pervenire, ut omnium OBSERVANTIÆ prosit AUCTORITAS.* Item Cœlestinus I. epist. ad Orient. episcop. præcipue Cyrillum Alexandrin. *Eadem autem scripsimus et ad sanctos fratres et coepiscopos nostros Joannem, Rusum, Juvenalem, Flavianum, ut nota sit de eo* (Nestorio) *nostra, imo Christi nostri sententia.* En! nullo requisito, imo ne exspectato consensu ad orientales patriarchas et episcopos ita scribit, et suum judicium notum facit Cœlestinus.

Ad 6. Odericus Vitalis manifeste *abundanti nequitiæ hominum*, quæ corda eorum *contra ecclesiastica scita obduravit*, causam adscribit, quod a principibus et optimatibus regnorum parvi pensa et recepta non sint. Quo pacto igitur Febronius ex his verbis affectationem aulæ romanæ et hujus principia monarchica pro causa hujus contemptus deducere potest? nempe ut dixi, Febronius cuivis auctori suum proprium sensum pro libitu substituit. Addit Odericus, has leges utiles fuisse, eo quod *oppressis et opem deside-*

rantibus profuissent, si executioni mandatæ fuissent. Si igitur huic auctori innitatur Febronius, has leges, non obstantibus principiis monarchicis, bonas et utiles fuisse, ac principes non jure respuisse, concedat, necesse est.

Ad 7. Febronius ex illo concilio Arelatensi I. vult eruere, quod Papa statuta conciliorum etiam non generalium debeat recipere et promulgare. Verum, notet Febronius, illud concilium Arelatense non solum consensu et voluntate Sylvestri P. celebratum, sed ejusdem legatos et concilii præsides, duos presbyteros, et duos Diaconos præsentes fuisse, unde merito concilii acta et decreta ad eum prius dirigi debuerunt, antequam promulgarentur, ut ejus vel confirmatione, vel quod idem valet, promulgatione firmitatem legis acciperent.

§ IX.

Qua ratione Papa sollicitudinem suam pro canonum observantia ad omnes Ecclesias exercere debeat, ex SS. Cypriano et Augustino declaratur.

Idem exemplis ab Ecclesia orientali desumptis ostenditur.

S. Augustinus lib. contra duas epist. Pelagian. c. 1. ad S. Bonifacium P. scribit : *cum sit communis omnibus nobis, qui fungimur episcopatus officio, quamvis in eo præemineas celsiori fastigio, specula pastoris.* Communis igitur est om-

nium episcoporum sollicitudo, ut quivis exsurgenti novo errori in sua, qua enascitur, diœcesi, sese objiciat. Quod si facere negligat, aut sua auctoritas non sufficiat, sanctæ sedis pondus adjiciendum est, ut malum eo certius, fortiusque comprimatur. Hac disciplina usi sunt episcopi Africæ, qui damnata in conciliis Carthagin. et Milevit. Pelagianorum hæresi, suum judicium Innocentio Papæ communicarunt, ut apostolicæ sedis auctoritate eis ad suffocandum errorem accederet. Atque ea ratione decreta Rom. Pontificis in materia fidei ad universam Ecclesiam pertinent, salvo tamen jure episcoporum hæc decreta examinandi. Eodem sensu Cyprianus in causa Marciani episcopi Arelatens. scripsit ad Stephanum P. epist. 13. l. 3. *cui rei nostrum est consulere et subvenire, frater charissime, qui divinam clementiam cogitantes, et gubernandæ Ecclesiæ libram tenentes etc.* En! communem pro bono universalis Ecclesiæ omnium episcoporum vigilantiam : *idcirco copiosum est corpus sacerdotum, — — — ut si quis ex collegio nostro hæresin facere, et gregem Christi lacerare et vastare tentaverit, subveniant cæteri.* Hoc principio Cyprianus a Gallia remotus, eidem venit in adjutorium ; amplius tamen jus in Pontifice recognoscit. *Dirigantur, inquit, ad provinciam et ad plebem Arelate consistentem litteræ, quibus, abstento Marciano, alius in locum ejus substituatur, et grex Christi colligatur.* Non solius Stephani auctoritate

Marcianus deponendus, et alius in ejus locum substituendus dicitur, sed ut, promotore Stephano, episcopi Galliæ excitarentur ad satisfaciendum officio suo, cujus negotii causa, in Gallia synodum collectam fuisse, prudenter creditur. Simili vigilantia Cœlestinus P. a S. Cyrillo monitus, contra Nestorium usus fuit.

1. Quæ circa dogmata et disciplinam sit Rom. Pontificis auctoritas, et episcoporum, cap. IV. tradetur.

2. Prævie asseritur, principalius jus Pontificis esse, ut *ante omnes alios* curet, ut circa *fidem* et *mores* statuta canonum maneant illibata. Mores, si legi divinæ non repugnant, et substantiam rerum credendarum non ingrediantur, pro genio, usu et statu provinciarum et regnorum varii esse possunt, nec tenentur populi et diœceses particulares suos usus, si quidem illaudabiles non sint, universalitati accommodare.

3. Græci eadem, sicut supra Augustinus et Cyprianus, disciplina utebantur respectu primæ sedis. S. Basilius epist. 69. scripsit ad Athanasium. *Visum est mihi consentaneum, ut scribatur episcopo romano, ut, quæ hic geruntur, consideret, et sententiam expromat.* Nempe, si pro religione *in commune* consulendum est, minime prætereundus est Rom. Pontifex, qui, causa legitime discussa, primus suam sententiam expromat. Idem Basilius epist. 70. ad Damasum P. scripsit, Doinysium Papam a prædecessoribus suis

interrogatum per litteras invisisse Ecclesiam Cæsareensem, patres consolatum fuisse, et misisse qui fratres captivos redimerent, tunc illum, propter latius grassantem hæresin, ad suppetias ferendas excitat. Tale etiam exemplum jam datum est in Cœlestino P. respectu Nestorii.

4. Dum Dionysius Alexandrinus, quasi male de SS. Trinitate sentiens, delatus fuisset apud Dionysium P., missa ad eum apologia, se ab omni hæresis suspicione purgavit, quia in isto universalem Ecclesiæ curam agnovit.

5. Quando Papa nonnunquam hæresin et ejus auctorem damnavit, ac suo loco, etsi episcopus esset, pellendum decrevit, censendum est, Pontificem non proprio jure deposuisse, sed depositionem damnationis et excommunicationis sequelam esse, vel ut depositio in synodo postea confirmaretur. Hoc modo Siricius P. Jovinianum et socios proscripsit, dum ait, non tam se judicare, quam apostoli præcepto obsequi, ejusque judicium denuntiare. Hìc pertinet etiam decretum Zosimi P. § 7. num. 2. relatum. Item Ephesina synodus confirmavit Cœlestini P. in Pelagianos latam depositionis sententiam.

6. Interim perstat, a Pontifice ipso utcunque pertinaces non fuisse depositos, sed nec alia ratione punitos. Sic Gregorius M. Joannem patriarcham Constantinop. *universalis episcopi* titulum usurpantem nec depositionis, nec alia pœna coercere tentavit, scribens ad patriarchas Alexandrin.

et Antiochen., Deum orandum esse, ut hunc errorem a mente illius avertat, et ne litteras cum nomine *universalis* dare vel accipere præsumant.

NOTA.

Non negamus, sed jure asserimus, episcopis et synodis particularibus potestatem judicandi et damnandi hæreticos. Verum, si his non acquiescant, quale *pondus objicet*, tum Pontifex, quantumcunque eminens, sed æque fallibilis, cujus decreta quivis episcopus et synodus particularis examinare poterunt? an hujus sententiæ magis stabunt, aut stare debent hæretici, qui ne integris quidem synodis adquiescunt? Pontifici aut major longe et efficacior potestas concedenda erit, vel certe istæ meræ relationes episcoporum et synodorum, atque ipsa decreta Pontificia contra hæreses prorsus inutiles sunt, quidquid dicat Febronius. Mirum est, quod in hac causa ad concilia Cathaginense et Milevitanum provocet, dum illud licet 34, hoc vero 61 episcoporum nihilominus longe adhuc in Pontifice majorem auctoritatem, quam in se ipsis recognoscant; quippe primum epist. ad Innocent. I. ait : *hoc gestum charitati tuæ intimandum duximus, ut statutis nostræ mediocritatis, etiam apostolicæ sedis adhibeatur auctoritas pro tuenda salute multorum, et quorumdam perversitate corrigenda.* Et

alterum, nempe Milevitan. in synodal. ad Papam: *arbitramur, auctoritati sanctitatis tuæ, de S. scripturarum auctoritate depromptæ, facilius eos, qui tam perversa et perniciosa sentiunt, esse cessuros. Certe vel aliis, quos possunt implicare, cernit venerabilitas tua instanter et celeriter providendum.* Igitur tanta tunc temporis in Africa fuit auctoritas Pontificis, ut solo ejus judicio censerentur etiam pertinaces hæretici ab errore revocandi, et alii ab eodem prohibendi, quod episcopi omnes ne quidem per synodos impetrare poterant. Afris ergo Papa non fuit merus executor, aut legum synodalium promulgator. Jam audiamus Innocentium Papam rescribentem ad idem concil. Carthagin. *Ad nostrum referendum approbastis esse judicium, scientes, quid apostolicæ sedi debeatur. — — — Quod patrum instituta non censetis esse calcanda, quod illi non NB. humana, sed divina decrevêre sententia, ut quidquid, quamvis de disjunctis, remotisque provinciis ageretur, non prius ducerent finiendum, nisi ad hujus sedis notitiam perveniret, ut NB. tota hujus auctoritate, justa, quæ fuerit, pronuntiatio firmaretur, indeque sumerent cæteræ Ecclesiæ, — — — quid præcipere, quid abluere debeant.* Dein ad concil. Milevit. Ita scribit idem Papa : *congrue apostolici consulitis honoris arcana. — — Super anxiis rebus, quæ sit tenenda sententia; antiquæ scilicet regulæ formam secuti, quam toto semper ab orbe mecum nostis esse servatam. — — — Præsertim quoties*

fidei ratio ventilatur, arbitror, omnes fratres et coepiscopos nostros, non nisi ad Petrum, id est, sui nominis et honoris, auctorem referre debere, sicut nunc retulit vestra dilectio, quod per totum mundum possit Ecclesiis omnibus in commune prodesse. ——— Jubemus sane etc. Talia Innocentius anno 416. ad episcopos Africæ, his non reclamantibus, provocans *ad regulam antiquam* et instituta majorum, non humana, sed divina decreta sententia. Si posterioribus hisce temporibus suam auctoritatem ita extulisset aliquis Pontifex, continuo falsis decretalibus innixus, et principiis monarchicis imbutus diceretur. Addo S. Prosperum, qui in eadem causa de plenario totius Africæ concilio anno 438, in chronico sic habet : *concilio apud Carthaginem habito, ducentorum decem et septem episcoporum, ad Pontificem Zosimum synodalia decreta prolata sunt, QUIBUS PROBATIS, per totum mundum hæresis Pelagiana damnata est.* Non suffecerat concilium plenarium, sed quamprimum accessit confirmatio et sententia Rom. Pontificis, totus mundus hæresin damnavit.

Neque Cyprianus favet Febronio, qui ait, ad deponendum Marcianum, *synodum in Gallia collectam fuisse prudenter creditur.* Unde hoc? *quia de simili Rom. Pontificis jure tunc ne cogitabatur quidem.* Ostendat ergo Febronius synodum, in qua depositus est Marcianus : nos ejus conjecturis fidem non habemus. Certe de hoc jure cogitavit ipse Cyprianus petens, ut Stephanus P. ad ple-

bem Arelatensem litteras dirigat, NB. *quibus, abstento* (excommunicato) *Marciano, alius in ejus locum substituatur.* Quid verba ista aliud significant, quam ut per istas litteras excommunicetur, et simul alius substitui præcipiatur, quod utique depositionem supponit. Talis autem excommunicatio, et depositio est certe effectus jurisdictionis, alioqui potuisset idem præstari a Cypriano, cujus vigilantia se in Galliam usque extendit. Litteræ autem ad plebem Arelatensem ideo dirigendæ erant, quia tunc temporis adhuc populus cum clero sibi eligebat episcopum.

Ad 2. Conformiter ad ea in nota ad num. 2. § super. dico, quamlibet Ecclesiam particularem per se teneri mores et usus suos universitati accommodare, præcipue si tenderent in damnum, vel magnam difformitatem communitatis Ecclesiæ. Aliud est, si per privilegium vel consuetudinem legitime præscriptam eximantur.

Ad 3. Si S. Basilium in exemplum adducis, scias cit. loco ex eo probari, quod Græci longe majorem auctoritatem et potestatem in solo Pontifice romano recognoverint, quam in patriarcha et tota sua Ecclesia orientali, et quidem potestatem non *directionis* tantum, sed *jurisdictionis;* quanta autem fuerit potestas illorum, nemo nescit. Quare romanus Pontifex suam sententiam expromat? utique non quia in communi causa extra concilium ipse primus dicat sententiam, sed quia hujus sententia ultima est, et rei de-

cisiva ; quippe disciplina Græcorum fuit, ut causas prius deferrent ad synodos et patriarcham, si pax inde et quies obtineri non poterant, tunc primum ad Rom. Pontificem referebantur, ut ejus judicio terminarentur. Sic pariter Basilius cit. epistola rogat suppetias a Papa contra Arianos hæreticos, *nisi jam ad ferendas suppetias excitemini :* sed contra quos et quales suppetias? non tantum contra plebem Arii hæresi seductam, *hæresis, quæ ab Ario feminata est, nunc jam-jam prævalet,* sed etiam contra ipsos episcopos hæresis defensores, *sanæ doctrinæ defensores expelluntur*, pergit Basilius, *illis vero, qui jam captivas ducunt simpliciorum animas, concreditur agendorum potestas.* Vult autem Basilius, ut legatos mittat Pontifex, qui vel pacem Ecclesiæ reducant, vel si hoc non profecerit, in mali auctores inquirant, quos dein a communione removeat : *viros mittatis unanimes, qui vel dissidentes inter se componant, vel Dei Ecclesiam reducant ad amicitiam, vel saltem perturbationis hujus auctores vobis notiores faciant, ut et vobis deinceps compertum sit et exploratum, quibuscum communionem habere debeatis.* His verbis Basilius a Papa petit, ut tandem contumaces excommunicet, in quem finem ei necessario competere debet jus applicandi media requisita, v. g. jus visitandi, inquirendi, citandi, judicandi, ut ait Amort. dissert. I. de prim. Pap. Hoc remedium autem Basilius censuit efficacissimum ad

pacem restituendam, et hæresin exstirpandam, si Papa suam auctoritatem adplicet, *hoc malorum unicum remedium esse duximus.* Certe in inermi Pontifice et directore, cujus decreta a quovis episcopo examinari et judicari possunt, tanta fiducia non fuisset ponenda, nec inde exspectandum remedium efficacius tota potestate orientalis Ecclesiæ, dum Græci in suo patriarcha longe adhuc majorem auctoritatem venerabantur. Nec dicat Febronius, a Basilio ibi non intelligi *excommunicationem proprie talem.* Nam sola *non communio per litteras* neque fuisset remedium efficax, neque consuetum in antiqua Ecclesia contra hæreticos; nam Pontifices non tantum abstinebant a communione cum hæreticis, sed eos excommunicabant, atque a corpore Ecclesiæ prorsus abscindebant. Ne vero de hoc ullum dubium relinquatur, et Febronio omnis exceptio præcludatur, videamus ex responso Damasi P., de qua excommunicatione ibi sermo fuerit. Dedit Basilius citatam supra epistolam ad Damasum anno 371. Damasus ea de causa anno 372 celebravit Romæ synodum nonaginta ex Italia et Gallia episcoporum. Dein epistola synodica ad orientales et Illyricos sic respondet episcopos: *neque præjudicium* (Nicenæ synodo) *aliquod fieri potuit per numerum* (episcoporum) *Arimini congregatum, quando constat, romanum episcopum, cujus ante omnia eos decebat exspectare decretum, neque Vincentium* (legatum Papæ) *neque*

alios talibus præbuisse assensum. — — — Credimus autem, languentes in isto conamine, non tarde a nostra separandos esse communione, et ab eis episcopatus nomen auferri, quatenus populi eorum liberati errore respirent. Certe illa separatio a communione, qua quis etiam ab episcopatus gradu dejicitur, est excommunicatio *proprie* talis : dein ex verbis prioribus constat, quod Damasus nullum concilium quomodocunque numerosum, etiam in oriente censuerit esse firmum atque in auctoritatem Ecclesiæ assumendum absque R. Pontificis decreto et assensu. Basilius ergo, quem in testem pro tota Ecclesia orientali producit Febronius, eidem neutiquam patrocinatur. Verum, de his specialius adhuc redibit sermo cap. III et V.

Ad 4. Dicat Febronius, quod res est. Patriarcha Alexandrinus non qualitercunque delatus fuit, sed quidam clerici Alexandrini ea de causa Romam navigarunt, et suum patriarcham apud Rom. Pontificem Dionysium proprie accusarunt. Scripsit Papa accusationis capita ad patriarcham, ut desuper se purgaret ; is humiliter obtemperans suam apologiam in quatuor libris Papæ transmisit. Ita testatur Athanasius in epist. de sentent. Dionysii et lib. de synod. Num clerici Alexandrini Romam usque navigantes, apud Papam accusassent suum patriarcham, si in illo non nisi communem aliquam *curam et sollicitudinem*, nullam vero in suum patriarcham *juris-*

dictionem recognovissent? num hìc tam cito et humiliter obtemperasset tantus patriarcha orientalis.

Ad 5. Inepte omnia. Depositio est vere actus jurisdictionis, si igitur hæc sequela sit excommunicationis, qualis tamen semper non est, in excommunicante jurisdictionem esse oportet. Dum igitur Pontifex excommunicationem et ejus sequelam decernere potestatem habet, utique jure suo decernere dicendus est. Non negamus patriarchis et synodis provincialibus potestatem deponendi episcopos, iis tamen solis non asserimus; nam etiam a Rom. Pontificibus multi sunt depositi absque synodi provincialis sententia, vel si aliquando in hunc finem synodus habita fuit, causæ accuratius discutiendæ gratia fiebat, ubi Pontifex per legatos præsidebat, et mandatum depositionis ad eam dabat, ut adeo potius Pontificis sententiam exequi, quam confirmare debuerit. Sic Bonifacius P. in epist. ad episcopos Galliæ Maximo inobedienti gratiæ loco dat, ut intra provinciam congregetur synodus, et ibi judicetur, in quem ipse jam debuerat ferre sententiam. Interim quid obstat, quod Siricius P. prius rogata cleri sui sententia judicaverit, dein quod præcepto apostoli obsequi, et Dei judicium se denuntiare profiteatur? an propterea Siricius non judicavit, vel sententiam tulit? utique presbyteri et diaconi in conciliis, ubi dogmata fidei tractantur, non habent votum definitivum, nec possunt judicare,

sed tantum consulere. Quandocunque Pontifices circa fidem et mores sententiam ferunt, non nisi præhabita prius consultatione et deliberatione sui cleri et doctorum, judicium proferunt, sed hoc suum robur habet a Pontifice, talis autem sententia, dum ex cathedra et definiendo loquitur, censetur esse divini judicii declaratio. Dein falsum est, quod Siricius profiteatur *non tam se judicare, quam apostoli judicium denuntiare*, nam diserte ait, *divina sententia, et nostro judicio in perpetuum damnati extra Ecclesiam remaneant.* Præceptum vero apostoli, *quia aliter docent, quam quod accepimus*, non est ipsum judicium, quod denuntiat Siricius, sed motivum, quo ad judicandum motus fuit.

Tandem iterum de Zosimo tibi blandiris, Febroni, qui toties judicium semel a se prolatum, a nemine, neque ab episcopis, neque a synodis reassumi aut retractari concedit. Vid. ejus epist. ad concilium Carthaginense : *ut de ejus* (sedis apostolicæ) *judicio disceptare nullus auderet. — — — Cum tantum nobis esset auctoritatis, ut nullus de nostra posset retractare sententia. — — — NB. dantes hæc fraternitati vestræ, ut in commune consulentes, non quia quid deberet fieri, nesciremus, sed pariter vobiscum voluimus habere tractatum de illo, qui apud vos fuerat accusatus.* Hæc ad episcopos in concilio congregatos. Quis Pontifex hodierna die ita audeat loqui ? Ad synodum Ephesinam respondeo, non

fuisse *confirmatoriam*, sed tantum *executoriam* synodi sententiam; quippe ibi non tractata, neque discussa, sed tantum lecta sunt, quæ circa Pelagianos fuerunt gesta et definita a Pontifice, cujus sententiæ haud prævio juridico examine, per viam confirmationis, sed simplicis assensus accessêre patres, hinc synodus tantum ait: *lectis gestis, quæ celebrata sunt in depositionem — — — quæ definita fuerunt a tua reverentia, — — — censemus, — — — consentanei sumus in tua sententia.* Imo quid hìc contendit Febronius, Cœlestini P. depositionis sententiam in Pelagianos a synodo Ephesina confirmatam fuisse, dum tamen mox supra § 7. num. 6. ex Bossueto referat, Pontifices sola Ecclesiarum consensione fretos, superbis Pelagianis ne illud solatium reliquisse, *ut ab œcumenica synodo damnati viderentur?* hæc utique non concordant?

Habeas denique aliud ex oriente exemplum. Cyrillus Alexandrinus patriarcha, palam erumpente errore Nestorii, ad eundem Papam Cœlestinum sic scribit: *ab illius communione palam et aperte nosmetipsos non prius divellimus, quam hæc pietati tuæ indicaverimus. Digneris igitur nobis declarare, quid tibi videatur, et utrum aliquando cum illo communicare oporteat? an libere denuntiare, neminem cum eo, qui talia sentit ac docet, communicare. Opus est autem, ut tuæ pietatis sententia super hac re Macedoniæ episcopis, tum omnibus orientis antistitibus manifesta*

fiat per litteras. Quare Cyrillus patriarcha rem ad Papam defert, quærens, utrum cum Nestorio communicare adhuc liceat, aut excommunicatum declarare? quare Papa suam sententiam omnibus orientis episcopis manifestam facit, si nullam vim habeat, nisi a synodo confirmetur? an non potuisset tantus patriarcha breviori via synodum congregare et causam cum subjectis sibi episcopis decidere, quid in hac re tota Ecclesia Alexandrina tenere debeat? certe major tunc orientalibus episcopis et patriarchis de jurisdictione Papæ insedit opinio, quam de sola superintendentia et sollicitudine. Imo latius adhuc progressus Cœlestinus Papa epist. 11. Cyrillo respondit: *Nestorio sit spes veniæ corrigenti, sit aperta sententia perduranti. — — — Auctoritate igitur tecum nostræ sedis adscita, nostra vice usus hanc exequêris districto vigore sententiam, — — — aut nisi hoc fecerit, mox sanctitas tua illi Ecclesiæ, provisura a nostro eum corpore modis omnibus sciat esse removendum.* En! sententiam depositionis a Pontifice romano in patriarcham Constantinopolitanum latam. En! Cyrillum patriarcham in hac causa vicarium et executorem sententiæ a Papa constitutum. Quin eadem Cœlestinus ad alios duos patriarchas adhuc, et ad episcopos Thessalonicensem et Philippensem, atque ad ipsum Nestorium perscripsit: sic sententiam tulit, et in toto oriente promulgavit, nemine obstante, nulloque respectu ad aliquod concilium habito.

Dicet Febronius : causa tamen per sententiam Pontificis finita non fuit, sed ad finiendam debuit congregari concilium. Verum, hìc agimus de potestate, quam ostendit et exercuit Cœlestinus P. in oriente, et cui acquievit totus oriens, et postea non improbavit, sed potius agnovit, et reveritum fuit ipsum concilium. Dein verum est, concilium congregari debuisse, non quia judicium Pontificis censebatur illegitimum aut incompetens, sed quia Nestorius tam potens patriarcha in pertinacia persistebat, fraudes et technas nexuit, novas semper turbas concitando, et ipsum Joannem Antiochenum in suas partes pertrahendo, eo modo, quo Imperator Constantinus Donatistis, post judicium romanum, concessit concilium Arelatense, *non quia amplius necessarium esset*, ait S. Augustinus, pro hæresi damnanda, *sed eorum perversitatibus cedens.*

Sed videamus, quæ fuerit mens dein concilii de gestis antea, et sententia Cœlestini P. Hic in epist. ad synod. ait : *direximus* (hìc legatos suos nominat) *qui eis, quæ agentur, intersint, et quæ NB. antea a nobis statuta sunt, exequantur. Quibus præstandum a vestra sanctitate non dubitamus assensum, quando id, quod agitur, videatur pro universalis Ecclesiæ securitate decretum.* Num forte reclamarunt patres, Papam sibi jus præripuisse aut usurpasse? neutiquam, sed acclamarunt omnes simul episcopi : *hoc judicium justum est.* Tum ibidem act. 2. Projectus legatus Papæ dixit : *quæ*

Cœlestinus et dudum ante definire, et nunc in memoriam revocare dignatus est, juxta communis fidei regulam, catholicœque Ecclesiæ utilitatem, ad finem numeris omnibus absolutum deduci jubeatis. Firmus, Cæsareæ episcopus, nomine concilii respondit. *Apostolica et sancta sedes Cœlestini sanctissimi episcopi — — — de præsenti negotio sententiam dixit, regulamque præscripsit, quam nos quoque secuti — — — formam illam executioni mandavimus, canonicum, apostolicumque judicium in illum proferentes.* In his omnibus non nisi executio sententiæ Pontificiæ deprehenditur : Cœlestinus a patribus per legatos jubet *exequi* suam sententiam, ad quod petit assensum concilii : ipse legatus rogat eam definitionem ad finem deduci, id est, ejus executionem : concilium agnoscit sententiam latam, et per id regulam sibi præscriptam esse, quam *sequi et exequi* mandat. Sententia autem, de cujus solum executione agitur, jam prius firma esse debet, et ab executoribus nullum intrinsecum robur accipit : nullibi reclamarunt patres, minus dixerunt, Papam non suo jure egisse, causam ad se pertinere, vel ejus definitionem suum robur a concilio accipere, ac firmari. Et hæc Cœlestinus in oriente absque omni respectu ad concilium postea habitum. Dicat nunc Febronius, ex veteri disciplina, Pontifices tantum habere jus decreta sua proponendi, non suo jure decernere, suam firmitatem a synodis, vel episcoporum assensu recipere. Non ita Damasus, Bo-

nifacius, Zosimus, Leo, Cœlestinus, Innocentius senserunt, ut ex eorum gestis constat. Si vero aliquando mitius agentes causam synodo decidendam reliquerunt Pontifices, utique ipsi talem synodum congregari mandarunt, modum tractandi causam præscripserunt, ordinarie etiam legatos ad eam miserunt, et acta inde sibi transmissa confirmarunt. Nihil ergo inde lucrabitur Febronius.

Ad 6. An putat Febronius, causam patriarchæ Antiocheni tantam fuisse, ut etiam de jure damnationem et depositionem meruisset. Non agebatur de aliquo dogmate aut morum disciplina, neque in disciplina Ecclesiæ contra canones peccatum fuit, sed tantum de privata ambitione et novatione patriarchæ, quæ externa œconomiam Ecclesiæ potius spectabat; neque per hunc titulum Joannes patriarcha se solum episcopum esse volebat, quanquam in communi sensu id sequeretur, uti interpretabatur Gregorius. Crimen igitur tale non erat, ut censuris ecclesiasticis plecti debuisset, sed ad frangendam, vel etiam plectendam superbiam, sufficiebant media a Gregorio præscripta, nempe ne litteras cæteri patriarchæ et episcopi sub nomine *universalis* dare vel accipere præsumant. Similibus igitur exemplis lectores suos vel inescare, vel decipere vult Febronius. Interim jurisdictionem suam pro causarum merito in longe dissitos episcopos et provincias exercere non ignoravit, neque dubitavit humillimus Gregorius. Quo jure enim presbyteris Sardiniæ de-

ficientibus episcopis, non obstante canone, sacramentum confirmationis administrare concessisset? lib. 1. epist. cap. 41. Quo jure Syagrio Augustodunensi episcopo cum Pallio primum in provincia Lugdunensi post metropolitam locum dedisset? l. 4. epist. 50, 52 et 53. Quo jure Castorium episcopum Ariminensem a jurisdictione in monasterium abbatis Luminosi exuisset, sola ipsi, ejusque successoribus ordinatione abbatis permissa? l. 4. epist. 43. Quo jure episcopum, insolentiam clericorum suorum, monasteria gravantium refrænare districtius jussisset? l. 6. epist. 40. Sic etiam. l. 2. epist. 7. sibi reservat causas majores: l. 1. epist. 54. Præcipit episcopis in Gallia, ut Virgilio Arelatensi suo vicario obedirent. l. 1. epist. 19. et l. 3. epist. 26. cassat, et annullat quorumdam episcoporum judicia. Plura adhuc addi possunt, quibus auctoritatem et jurisdictionem, ultra quam Febronius permittit, tuebatur et exercebat Gregorius; male igitur hactenus ille suis exemplis ac testimoniis sibi consuluit.

§ X.

Rom. Pontifex habet jus mittendi legatos ad opus officii sui primatus.

Ne vero committantur abusus, in plerisque regnis numeri et functioni legatorum fines ponuntur.

Promittit Febronius, reliqua Rom. Pontificis reservata *solide* suis locis elucidare. Hic admittit Papæ pro usu et exercitio primatus facul-

tatem habendi *vicarios et legatos* in provinciis et regnis, quod probat exemplo Innocentii I. et Gregorii M. quia nempe Papæ vi muneris sui excumbit inspectio, cura, superintendentia in omnes Ecclesias, et ipse omnibus adesse non potest, prohiberi nequit, suas partes per nuntios expleri; hinc nullibi *quoad hoc* habetur pro extraneo, et c. 2. de consuet. inter extravag. commun. principes et subditi excommunicantur, si prohibeant ingressum legati Pontificis. Crescentibus per falsas decretales juribus Pontificum, etiam crevit legatorum auctoritas, ita ut posthac nullum concilium ratum haberetur, nisi Pontifex per se vel legatos suos præsedisset, nec episcopus deponi posset, nisi auctoritate sedis apostolicæ, unde frequentissimi legati mittebantur. Exarescentibus dein conciliis, Pontificibus non deerant obtentus legatos in provincias mittendi. Generales admodum et indefinitas rationes mittendi legatos Alexander II. epist. 21. et Innocentius III. l. 4. epist. 104. attulêre, quibus increvit legatorum frequentia et auctoritas, ut cuncta negotia ad eos deferre licuerit. Tridentinum huic abusui limites posuit, ac posteritati relictum est, detecta decretalium falsitate et injustitia, quidquid regnis noxium, et episcoporum juribus adversum, emendare.

1. Initio legati Papæ nullam jurisdictionem exercebant, sed erant meri apocrisiarii et responsales, Imperatores comitabantur ad instar legatorum principum.

2. Sæculo IX. post falsas decretales nuntii apostolici concurrentem cum episcopis jurisdictionem exercentes, instar præsidium provinciarum se gerebant, maxime vero eorum auctoritas ad omnem vel contentiosam vel voluntariam jurisdictionem exercendam sub Gregorio VII. et Bonifacio VIII. aucta fuit. Merito igitur se opposuerunt reges, principes, præprimis Angliæ, Scotiæ, item archiepiscopi et episcopi; habemus exemplum recens de non admisso per rempublicam Genuensem in Corsicam legato et visitatore Pontificio.

3. Per concilia Constant. Basilieens., et potissimum Tridentinum restricta est excessiva legatorum potestas, et episcoporum jurisdictio quasi postliminio restituta, ut sub pœna nullitatis causæ in prima instantia coram episcopis tractandæ sint, nec detur nisi a definitivis eorum sententiis appellatio.

4. In Gallia, Belgico, Sicilia, nullam jurisdictionem exercent. In Gallia, non nisi permissione Regis admittuntur, bulla legationis a parlamento examinatur, modificatur, approbatur, registratur, et nuntius jurat, se non aliter approbatis his facultatibus usurum, nisi ita, et quamdiu Regi placuerit.

5. In Germania, quamvis non ubique, ampliori utuntur potestate, et causas in secunda et ulteriori instantia judicant. Hæ autem variationes sufficiunt ad probandum, hæc omnia cum essentialibus juribus primatus non necessariam

habere connexionem, mutationi esse obnoxia, et pro fundamento in *origine* habere falsas decretales, in conservatione majorem vel respective minorem potentiam, genuinorum jurium notitiam, quæ omnia in *sacris* non faciunt jus.

6. Idem contigit *vicariis* apostolicis. Sic Drogonem episcopum Metensem a Sergio II. anno 844. suum vicarium constitutum noluerunt admittere patres concilii Vernensis, nisi post episcoporum Galliæ, Germaniæque consensum, qui, teste Hincmaro, epist. 44. c. 30. nunquam subsecutus fuit.

7. Similiter episcopi in synodo Pontigonensi Ansegisum vicarium apostolicum aliter quam servato singulis metropolitanis jure non receperunt, et cum Imperator Carolus Calvus eum absolute recipi, atque in sella plectili ante omnes episcopos collocari juberet, reclamavit Hincmarus Rhemensis, hoc factum sacris regulis obviare.

Hæc sufficiunt ad probandum jus episcoporum, principum, nationum contradicendi litteris legatorum et vicariorum Papalium, si eorum juribus et canonibus præjudicant. Quod si tamen talis contradictio in similibus alias haud facta fuisset vel aliquorum indulgentia, vel veri juris ignorantia, vel alia quavis causa, per hoc romanæ curiæ rationibus nequicquam accedet.

NOTA.

Videtur Febronius hoc loco omnino pugnantia tradere. Mox initio inter jura primatus recenset jus mittendi et habendi in provinciis et regnis *vicarios* atque *legatos*, ita, ut Pontifex, quoad hoc nullibi haberi possit pro extraneo, nec prohiberi queat, quominus per nuntios suas partes expleat; rationem vero affert, quia eidem vi muneris sui incumbit generalis cura, inspectio, et superintendentia, ipse vero per se omnibus adesse non possit. Hanc ipsam et non aliam rationem mittendi legatos afferunt Alexander II, et Innocentius III, et Febronius confestim eam vocat admodum generalem, indefinitam, et obtentum provinciis legatos obtrudendi. Prius dixerat, quod Pontifex prohiberi nequeat mittere legatos, et quod principes ac subditi excommunicentur, si prohibeant ingressum legati Pontificis : dein ait, merito se opposuisse reges, principes, episcopos legationibus Pontificiis, et in exemplum adducit rempublicam Genuensem, quod in Corsicam non admiserit legatum Pontificis. Prius missionem legatorum inter necessaria primatus jura refert, postea ait, fere non aliud habere fundamentum, quam in origine falsas decretales, nec necessariam cum juribus essentialibus primatus habere connexionem. Novi tamen, quæ in hac materia mentem Febronii vellicant : nunquid frequentia, auctori-

tas et abusus in hisce legationibus stomachum movent : at distinguamus tempora præterita atque moderna.

Missionem legatorum non a falsis decretalibus ortum habuisse, sed hoc jus cum ipso primatu connexum esse, atque a primis sæculis in usu fuisse, inficiari non potes : si tamen *frequentiam* legationum a sæculo VIII et IX, accusas, velim, attendas simul causas harum legationum et circumstantias temporum. Flebilis undique status Ecclesiæ per incursiones barbarorum, continua bella, æmulationes, dissensiones, oppressiones inter ipsos Ecclesiasticos, collapsa ubique disciplina in causa fuerunt, imo necessitatem imposuerunt, ut Pontifex, vi primatus sui, auctoritatem interponeret, et restaurandæ disciplinæ per synodos efficacius provideret. Germania ab idololatria nondum penitus purgata fuit, debebant primum multis in locis sedes episcopales et monasteria erigi, clerus formari, et disciplina ecclesiastica sensim stabiliri : in Gallia, propter bella civilia et debilitatem Regum, etiam in Ecclesia omnia in pejus ruebant, synodi intermittebantur, laici vel clerici adulteri, scortatores, usurarii etc., episcopatus et beneficia ecclesiastica possidebant, eadem vel adhuc alia mala in cæteris regnis Ecclesiam turbabant, quibus scatent historiæ ecclesiasticæ, et Thomassinus P. I. lib. II. c. 119. probat, etiam sæculo XI. adhuc necesse fuisse, ut frequentiores fierent legationes

romanæ propter grassantia ubique in clero simoniæ et incontinentiæ crimina. Scias autem, ipsos Reges sæpius ad ista mala eradicanda, et disciplinam revocandam vel stabiliendam, legationis auxilium a Roma expetiisse. Hæc omnia eruditis notissima sunt, quæ simul *frequentiam* legationum romanarum necessariam fuisse comprobant, quod officium laboranti Ecclesiæ si non præstitissent Pontifices, de oscitantia et neglecto munere suo jure accusari potuissent.

At displicet tanta *auctoritas* et potestas legatorum, et Febronius mallet meros esse responsales. Verum, totum id ea quæstione absolvitur, utrum Pontifex habeat primatum jurisdictionis in omnes Ecclesias, sic ut per se, vel si ipse adesse non possit, per legatos suos hanc jurisdictionem et potestatem exigente necessitate vel bono totius Ecclesiæ aut etiam particularium Ecclesiarum exercere possit, ac debeat, quod hactenus luculenter demonstravimus, et adhuc ultra contra Febronium propugnamus. Et quid prodesse possunt legati mere responsales, si hi nil nisi ad Pontificem referre, iste solum monere, rogare, nulla autem malo præsentaneo et alias immedicabili remedia efficacia opponere possit.

Restat igitur solum *abusus* potestatis, si nempe ea abutantur legati, vel ultra modum et limites præscriptos extendant; tales abusus non approbamus, neque inficiamur, multos olim ex-

cessus et abusus in legationibus extitisse; attamen ab usu ad non usum, vel omnino carentiam potestatis non licet arguere, imo ipse abusus potestatis supponit, et probat veram potestatem, nec hujus genuinum et legitimum usum excludit. Fallitur autem, qui omnem jurisdictionem, quam auctoritate Papæ olim exercebant legati, inter abusus rejiceret, quamvis moderno tempore revera tales essent. Verum est, legati synodos congregabant, episcopos deponebant, appellationes inferioris cleri admittebant, et causas judicabant etiam in prima instantia, beneficia conferebant. At scimus ex historiis, collapsam et calcatam undique fuisse disciplinam ecclesiasticam, synodos intermissas, causas vel non judicatas, vel ad sæcularia tribunalia delatas, episcopos aut in aula absentes, aut in exercitu armatos pugnasse, vel saltem militiam et exercitum secutos fuisse, beneficia ecclesiastica in manibus laicorum hærebant, et raro clerici inveniebantur, qui non communi ejus sæculi labe infecti, et secundum canones habiles erant. De his monumenta supersunt, et inter alia litteræ S. Bonifacii episcopi satis testatum faciunt; sic etiam Alexander II. epist. 18. ad Gervasi. Archiepiscop. Rhem. archiepiscopis imputat, quod crimen simoniæ tam liberaliter etiam inter episcopos grassaretur, quia sine discretione consecrant. Necessitas igitur fuit, non ambitus curiæ romanæ, ut Papa, suam auctoritatem interponendo, Ec-

clesiis et populo christiano, etiam pulsis lupis, quandoque de aliis pastoribus provideret : neque episcoporum et metropolitanorum jura præripiebantur, utpote quæ vel omnino negligebant, vel non secundum canones exercebant, sed solum eorum defectus supplebantur, aut corrigebantur. Hæc utique si nostris temporibus contingerent, revera abusus forent, et episcopi merito sua jura læsa quererentur, qui modo suo gregi strenue invigilant, disciplinam cleri exacte ordinant, non nisi idoneos et probatos præficiunt, errores corrigunt, discolos coercent, et ubi in eorum curiis ordo et justitia regnant. Res itaque suis temporibus et circumstantiis ponderanda est, et quod nunc abusus foret, non semper abusus, sed tunc necessitas fuit. Interim dum legati apostolici omnia ad se trahebant et jura exercebant, sensim evigilare cœperunt episcopi, etiam jura sua sibi rursus vindicabant, et quod dissimulandum non est, illis temporibus tamen adhuc fuisse aliquos viros tum sanctitate, tum experientia et zelo insignes, qui turbatæ disciplinæ, quantum poterant, remedia afferebant, et jura sua ferventer exercebant; igitur cum hi officio suo strenue fungerentur, illi vero manus ad clavum iterum admovere cœpissent, ortæ sunt querelæ, quas legimus, ab episcopis contra nimiam potestatem legatorum etiam in aulis principum interpositas fuisse; sed hæc non obstant, quominus hæc potestas prius necessaria fuerit,

et eam legati, cum alii suo muneri deessent, legitime exercuerint.

Febronius ubique in omnibus suis libris in nuntios apostolicos vehementer invehitur, unde haud vana suspicio est, eundem ab horum aliquo quid minus gratum tulisse. Tom. 2. pag. 120. dicit, eos in aulis rem politicam aulæ romanæ curare, extra aulas processus et jurisdictiones, mores cleri ac populi sint quales, quales; si suggeratur eis remotio publicorum scandalorum, trahere humeros, causantes, se destitui mandato apostolico. Dein pag. 378. et seq. ex Ivone Carnotensi fere similia legatis objicit. Verum, si ipsis incumbat reformatio morum in clero et populo, remotio scandalorum publicorum etc., an non tunc in jura ordinariorum involarent, an hæc præstare possent, si auctoritate et potestate destituantur? Tom. 3. concedit legatis potestatem extraordinariam et supplentem; de hac autem hactenus nos solum loquimur, quidquid sit de potestate ordinaria, de qua modo non disputamus, et quam exercere etiam non expediret. Tom. 4. part. 2. pag. 86. etc. memorat varias querelas, motus, gravamina etiam apud cameram et comitia imperii contra jurisdictionem legatorum apostolicorum. Verum, quis nescit, limites utriusque potestatis tam sacræ quam profanæ nondum accurate esse positos, hinc utramque sæpe inter se collidere, varias esse regnorum consuetudines, et in uno ad politicum tribunal de-

ferri, quod in alio apud Ecclesiasticum judicatur, multas causas esse mixti fori, in quibus unum ab alio prævenitur? talia sæpe etiam in curiis episcoporum contingunt, ubi de foro contenditur, et alterutra potestas se præventam, despectam aut læsam esse queritur : hæc substantiam genuinæ potestatis non invertunt, neque inutilem faciunt, aut omnino intolerabilem. Verum, jam ad alia respondendum erit.

Ad 1. Integrum ferme § ex D. Barthelio annot. ad jus can. tit. de offic. legati exscripsit Febronius, inde accusationis capita promens, sed studio reticuit excusationes et temperamenta, quæ ex eodem auctore nunc supplebo, et responsionis loco inserviunt. Ita est, ab initio legati apud Imperatores et principes erant meri *responsales;* verum tunc Pontifices ad causas Ecclesiasticas habebant alios legatos cum potestate, nempe suos *vicarios,* uti notat Barthelius, quos in provinciis constituebant, et ad hos causæ deferri debebant; quandoque tamen et illis legatis speciale mandatum dabatur. Unde ruit, quod subdole hic insinuare vult Febronius, quod initio Pontifices per legatos nullam potestatem et jurisdictionem exercuerint.

Ad 2. Falsum est, ideo reges, principes, episcopos se opposuisse legationibus hisce, quia pro rerum exigentia et necessitate jurisdictionem exercebant, imo in hunc finem sæpe ab iisdem petebantur. Verum, ideo se opposuêre, quia legati

ab ecclesiasticis nimias procurationes et subsidia petebant, episcopos, qui rite munere suo fungebantur, in sua jurisdictione turbabant, jurisdictionalia quælibet, etiam ultra quam in mandatis habebant, ad se trahendo, beneficia conferendo. In his abusus contigisse nemo negat. Verum, ostendisset Febronius, legatos talia in mandatis habuisse, priusquam hosce abusus sedi apostolicæ ad conflandam invidiam, et non magis ipsis personis sua potestate abutentibus adscriberet. Cæterum, jam dixi, ab abusu jurisdictionis ad nullam omnino jurisdictionis potestatem quis male argumentaretur, neque ab officio per quosdam male administrato ad tollendum ipsum officium, alias utile vel necessarium prudenter fit illatio, quia error non fuit in officio, sed in administrante.

Exempla allata non sunt ad rem. Principes quidem abusus præcavere vel impedire possunt, nullatenus vero legitimam et genuinam legatorum potestatem coarctare aut cohibere. Ipse Febronius fatetur, quod *Pontifex prohiberi nequeat, suas partes per nuntios explere, et nullibi, quoad hoc, sit extraneus*, citatque c. 20. de consuet. inter extravag. Quoad rempublicam Genuensem non memorat, quæ postea in hac causa acta et tractata fuerint, neque considerat rationem status et temporis in illis turbis et seditionibus regni Corsicæ, cui obstabat interesse proprium Pontificis propter veterem prætentionem in hoc regnum.

Ad 3. Abusus sublatos esse nemo non approbat; vera tamen jurisdictio, præcipue in supplenda negligentia prælatorum, in appellationibus etc. sublata non fuit, nec auferri potest.

Ad 4. De Gallia notat D. Barthel. loc. cit., hoc introductum esse ob dissidium Bonifacii VIII. cum Philippo Pulchro, qui dein nactus est Pontifices Gallos, et hi ibidem residentes ad placitum ejus multa debuerunt permittere, sicque adhuc hodie connivente Pontifice practicatur. Simile privilegium, ait, habet Belgium et Sicilia, et hoc ultimum regnum ab Urbano II. A mero igitur facto et privilegio, ab ipsis Pontificibus concesso, non potest exemplum trahi, multo minus aliquod jus ad alia regna. Hinc Barthel. ad quæstionem, an princeps vel rex possit prohibere legatum Pontificis, ne ingrediatur regnum suum? respondet, per se loquendo negative ex supra allatis rationibus, et quod principes ac subditi excommunicentur, si prohibeant ingressum legati Pontificis. Male igitur regibus consuleret noster jurisconsultus, qui, sub obtentu abusuum, non tam legatorum potestatem, sed quod inde sequitur, ipsa genuina Pontificii primatus jura subvertere nititur.

Ad 5. Hactenus dicta probant, quod tam missio, quam genuina potestas et officium legatorum necessariam cum juribus essentialibus primatus habeant connexionem, et quod variationes circa abusum quidem laudabiliter factæ sint, aliæ vero

circa genuinum usum pro fundamento habeant privilegia et voluntatem ipsius Pontificis. Item quia munus ac jurisdictio legatorum jam antiquissimis constat monumentis, dum nempe Pontifices vicarios sibi constituebant in provinciis cum potestate delegata, ideo suam *originem* non habere in falsis decretalibus, valide demonstratur.

Ad 6 et 7. D. Barthel. causas, propter quas *vicarii apostolici* aboliti sunt, has recenset, quia hanc facultatem a Papa non semper solebant petere, quia suas facultates ad apicem perducebant, quia has jure proprio et independente exercere volebant. En! iterum abusum, vel etiam usum potestatis, quam ne quidem amplius habebant; huic igitur contradicebant metropolitani et episcopi, non legitimæ potestati et jurisdictioni, quam a Papa habebant. Quandoque ex æmulatione collidebantur metropolitani et episcopi, si Pontifex alicui præter morem hanc facultatem delegasset, uti Arelatensis ante Drogonem a longo tempore illa eminebat, qua dein se privari ægre ferebant, sed de his et præcipue Hincmaro dicemus alio loco. Cæterum, episcopi concilii Pontigonensis ne cogitaverunt quidem de resistentia contra potestatem et jurisdictionem vicariorum apostolicorum, sed potius suam obedientiam aperte professi, duos omnino canones de jurisdictione Papæ in episcopos condiderunt, atque in primo aiunt, *statuimus, — — ne quisquam contra jus et potestatem ipsius* (romanæ sedis) *aliquid injuste agere præ-*

sumat, sed liceat ei debitum tenere vigorem, et pro universali Ecclesia exhibere curam. In secundo dicunt: *ut honor Domino — — — universali Papæ ab omnibus conservetur et quæ secundum sacrum ministerium suum auctoritate apostolica decreverit, cum summa veneratione ab omnibus suspiciantur, et debita illi obedientia in omnibus conservetur.* Quomodo hæc combinari possunt cum illa prætensa resistentia episcoporum in eodem concilio contra mandata apostolica circa suum vicarium? totum, quod volebant episcopi, erant certa privilegia a sede apostolica concessa, quæ sarta tecta esse petebant, uti suo loco videbimus. Notet interim Febronius illos duos canones, qui totum suum systema evertunt, simulque advertat, Hincmarum, qui eidem concilio præsens erat, et quem Febronius contra Pontifices specialem sibi patronum elegit, eisdem non adeo infestum fuisse; de quo tamen alibi adhuc plura dabimus.

Hæc itaque sufficiunt ad probandum, episcopis, principibus, nationibus non competere jus contradicendi litteris legatorum et vicariorum apostolicorum in rebus spiritualibus et ecclesiasticis, quia jus mittendi et constituendi legatos cum potestate et jurisdictione Pontifici competit vi primatus, quod etiam veteri disciplinæ et genuinis canonibus non adversatur. Quod si facta hominum abusus irrepant, remedium aferri potest, salva semper potestate et auctoritate Papæ: quæ vero circa legatos alicubi vigent aliæ con-

suetudines, privilegia sunt Pontificia ab aliis regnis non in exemplum, multo minus in jus trahenda.

§ XI.

Primatus summi Pontificis non tam est jurisdictionis, quam ordinis et consociationis.

Quo sensu Papa dicatur episcopus universalis?

Romani frustraneo conatu in Tridentino laborarunt, ut Pontifex declaretur universalis Ecclesiæ episcopus et rector. Confer. c. 1. § 8. et quanquam ei incumbat sollicitudo omnium Ecclesiarum, eis leges proponere possit, non tamen in eas habet jurisdictionem proprie dictam, nec pertinet ad eum de quibuscunque causis cognoscere, neque ante concilium Sardicense jus appellationis ad eum pertinuit. Potest convocare concilium, sed et senatum congregat præses, quin solus jurisdictionem teneat, quæ penes corpus residet. Potest scandalosum vel hæreticum præsulem excommunicare, sed non deponere. Neque ista excommunicatio est proprie actus jurisdictionis. Vix quemquam bonum catholicum aliter sentire ait, quam clerus gallicanus in sua declarat. anno 1682. edixit, *judicium Pontificis* irreformabile non esse, nisi Ecclesiæ consensus accesserit. Et mox: *in quæstionibus fidei præcipuas esse ipsius partes, ejusque decreta ad omnes et singulas Ecclesias pertinere.* Quæ conjunctim sumpta satis exclu-

dunt *imperium*, quod in jurisdictione vere tali reperitur.

1. Cyprianus in nota controversia cum S. Stephano P. hunc in concilio Carthag. III. ita perstringit : *neque enim quisquam episcoporum nostrum episcopum se esse constituit, aut tyranico terrore ad obsequendi necessitatem collegas suos adigit, quando habeat omnis episcopus pro licentia libertatis et potestatis suæ arbitrium proprium, tanquam judicari ab alio non possit, cum nec possit ipse alterum judicare. Sed exspectemus universi judicium D. N. J. Christi, qui unus et solus habet potestatem et præponendi nos in Ecclesiæ suæ gubernatione, et de actu nostro judicandi.* Talem hìc præterpropter S. Cyprianus fatebatur primatum Papæ in *universali* Ecclesia, qualem ipse gerebat in *Africana*, qui verum *imperium* et coactionem excludebat, eo semper salvo, quod Stephani primatus sit institutione Christi, Cypriani, e contra, humanæ ordinationis.

2. Quod multi in Papa jurisdictionem vocant, nos *auctoritatem* dicimus : quis rectius loquatur, judicent peritiores. Forte in re convenimus, saltem cum Tridentino loquimur, quod semper *auctoritatis*, nunquam *jurisdictionis* vocabulo utitur. Sermo autem est de juribus primatui *a Deo* annexis, non *ex facto hominum*, quique est non simplex nominis et gradus prærogativa, sed jus vigilantiæ, admonitionis, relationis, et excommunicationis in sensu supra dicto.

3. Graviter peccant, qui Papam *catholicæ Ecclesiæ episcopum* eo sensu dici existimant, quasi catholica Ecclesia ejus diœcesis sit, in qua ipse proprio jure episcopum agat, reliqui episcopi præter nomen, vicariam illius unius tantum præfecturam administrent, quod sæpe perstringit Gregorius M. præsertim l. 8. epist. 30.

4. Editores operum S. Gregorii M. idem esse dicunt *œcumenicum* ac *universale*, igitur universalis episcopus esse non potest, nisi exclusis cæteris episcopis, quo sensu Papæ hic titulus non congruit. Interim cæcutiunt, qui Gregorium non vident de sua auctoritate modeste sentientem; jurisdictionem tamen in tota Ecclesia exercuisse liquet. Ita editores Benedictini.

5. S. Leo M. alias contentus hac inscriptione, *episcopus urbis Romæ*, epistola 26. ad Theodosium Imperatorem se vocat *Papam Ecclesiæ catholicæ urbis Romæ*. Hoc autem tantum significat *catholicæ communionis episcopum*. Nam et Aurelius, Augustinus et Fortunatianus se dixerunt *Ecclesiæ catholicæ episcopos*, ut nempe se ab hæreticis, præcipue Donatistis, discernerent.

6. Bellarminus contra heterodoxos testimoniis Gregorii M. abutentes ait, nomen *universalis* in hoc sensu, ut aliquis solus sit episcopus, et cæteri non sint episcopi, sed tantum vicarii hujus, sit profanum, sacrilegum et antichristianum, atque in hac significatione etiam loquitur Gregorius. Alio modo potest dici episcopus univer-

salis, qui habet curam totius Ecclesiæ, sed generalem, ita ut non excludat particulares episcopos, et hoc modo tribui potest Rom. Pontifici, et tributum fuit Leoni M. in concilio Chalcedonensi. At Leo hunc titulum rejecit, teste S. Gregorio, utique non in primo sensu, in quo concilium ei certe non dedit, ergo in posteriori.

7. Hac distinctione posita, etiam in secunda acceptione, quod Rom. Pontifex habeat tantum *curam generalem* totius Ecclesiæ, nunquam probabitur, *universalis* episcopi titulum excludere, aut arctare particularia jura singulorum episcoporum.

NOTA.

Ex iis, quæ cap. hoc hactenus a nobis allata sunt, satis constat, Rom. Pontifices veram et proprie dictam jurisdictionem tenere in universam Ecclesiam, sed dum Febronius in hac re nos ad alios libri sui locos ableget, ulteriora ibi respondebimus; quæ tamen hìc recolligit, jam satis convulsa sunt. Interim temeritate non vacat, quod de religione suspectum facere, et *vix bonum catholicum* esse velit, qui non cum quatuor articulis gallicanis sentiat. At non terrent nos judicia hujus viri, et neutiquam sibi persuadeat, declarationem cleri gallicani de anno 1682. nobis in aliquo pretio vel auctoritate

esse, de qua satis c. 1. dictum fuit. Sciat, ne ipsos quidem omnes Gallos ista declaratione contentos esse, aliquos jam supra c. 1. nominavi; imo etiam illam quandoque impugnant, quod non minus solide ac liberaliter præstat P. Desirant tom. 1. Consil. Pietat. in dedicat. *Quis enim*, ait, *consensum, quem quærunt, possit recognoscere, quem ipsi hactenus nequiverint definire? — — — parvi temporis opinio heri nata de tempore disputat, quod ad stabiliendum tacitum consensum conveniat, et tempus fallitur. Alii — — consentientium turbam in loco volunt adunatam, aliis absentia sufficit, sed placet unanimitas, ad quam condendam discordi sententia tot et tanta cumulant, ut ad impossibilitatis metam redigant, cumque sint admodum pauci, non dubitant decidere, qualis omnium consensus debeat esse. Quemlibet episcopum statuunt collegæ suo parem, nec unum in alterum jure proprio quidquam posse: et in una mundi regione dissentientes de totius mundi consensu ambiunt jura dare, quæ non consentiunt ab aliis accipere. — — — — Stabit ergo et inconcussa manebit infallibilitas Spiritus S., Ecclesiam Christi per Petrum, Petrique successores omnem veritatem irretractabiliter docentis.*

Ad 1. Cyprianus, ut ex contextu patet, aperte ibi loquitur non de Stephano P., sed de suis episcopis congregatis; legantur verba, quæ præcedunt; *superest*, ait, *ut de hac ipsa re, quid singuli sentiamus, proferamus, neminem judi-*

cantes, aut a communione aliquem, si diversum senserit, amoventes. Dein sequuntur illa a Febronio objecta. Sic etiam Augustinus lib. 3. de bapt. c. 3. expresse tradit, Cyprianum per illa verba ad episcopos Africæ in synodo præsentes respexisse. Imo similia Cyprianus ad ipsum Stephanum scripsit, non quidem de Stephano, sed de quibusdam suis collegis contradicentibus, de quibus etiam in epistola ad Jubaianum queritur. Quid igitur contra primatum Pontificis ex Cypriano colligere potest Febronius, quando nec de Stephano, nec de ejus primatu sermo fuit? hoc utique est lectoribus imponere.

Ad 2. Quid vult Febronius? dum *auctoritatem*, non vero *jurisdictionem* Pontifici concedit. Nunquid auctoritas, quam habent episcopi in suas particulares Ecclesias, et exercent, est vera jurisdictio, quidni et in Pontifice auctoritas, quæ dicitur *suprema*, erit jurisdictio? quidquid sit tamen de voce, de re nobis quæstio est. Ante falsas decretales antiquissimi Pontifices præceperunt, sub pœna sanxerunt, puniverunt, decreverunt, et leges statuerunt, agnoverunt episcopi et concilia in Papa hanc potestatem, uti vidimus supra § 8 et 9. Habet igitur Pontifex primatum non solum qualiscunque auctoritatis, sed veræ jurisdictionis. Attamen in fine hujus capitis irrefragabilia etiam ex Gallia dabimus testimonia de Pontificis primatu jurisdictionis, ut Febronianos pudeat provocare ad peritiores, quis

rectius loquatur? neque nos inescari patimur, dum dicitur, *forte in re convenimus*, fallacia verba, imo falsa! nam dum ipsi *auctoritatem* vocant, revera a primatu omnem *jurisdictionem* excludunt, quod ex singulis paragraphis hujus capitis manifestum est, et huic ipsi § titulus præponitur *primatus summi Pontificis non est tam jurisdictionis, quam ordinis et consociationis.*

Ad 3. Jam iterum repetit Febronius verba Gregorii M., *verbum jussionis, peto, a meo auditu removete.* Ad hæc supra § 6 et 9. jam respondi. Tria tamen hìc sibi adhuc notet. 1. Certe patriarcha Alexandrinus non dubitavit, Gregorium *posse* jubere, secus non scripsisset, *sicut jussistis.* 2. Ipsi editores operum S. Gregorii, loco a Febronio citato, dicunt, *cæcutire, qui non vident Gregorium ipsum de se suaque auctoritate tam modeste sentientem, jurisdictionem tamen in tota Ecclesia exercuisse liquet.* Igitur in citatis locis Pontifici non negatur, sed plene asseritur jurisdictio. 3. Iidem editores aiunt: *hæretici apostolicæ sedis infensissimi ex sancti viri modestia, et humilitate fragrantibus illis floribus non mel ut apes, sed venenum conficiunt ut araneæ*, quare? quia *Pontificis primatum, et amplissimam in omni Ecclesia jurisdictionem hac sententia pulsari contendunt.* Idipsum præstitit Febronius.

Ad 4, 5, 6 et 7. Titulus *universalis episcopus* in hoc sensu, quod sit unicus et solus episcopus, ita ut cæteri non sint episcopi, Rom.

Pontifici nec competit, nec tribuitur, atque in hoc sensu, ut bene probat Bellarminus ex ipsis Gregorii verbis, a S. Gregorio rejectus fuit et etiam a S. Leone, non quidem, quia in hoc sensu Leoni P. oblatus est a concilio Chalcedonensi, uti ipse fatetur Febronius, quod dicere injuriosum foret concilio, sed quia a malevolis in hunc sensum trahi poterat, et hinc ei invidia creari. In alio igitur sensu, nempe, quia Papa habet curam generalem et jurisdictionem in totam Ecclesiam, quin propterea excludat particulares episcopos, horumque jurisdictionem in suas diœceses, hoc nomen ei tribui potest, et tributum fuit S. Leoni a concilio Chalcedonensi. Cæterum, Febronius adducendo concilium Chalcedonense, sibi ipsi fixit aculeum. Eo fatente, hoc concilium generale in posteriori sensu S. Leoni obtulit titulum *universalis episcopi*, sive ergo S. Leo eum admiserit, sive rejecerit, saltem judicavit concilium hunc titulum ei competere. At minus et dignitas episcopi non solam curam, sed etiam jurisdictionem in suum gregem particularem importat, igitur dum concilium Papam *universalem episcopum* vocat, in eo etiam universalem jurisdictionem recognoscit.

Leve autem est, quod tandem concludit Febronius, ex titulo universalis episcopi non probari, quod hic excludat, vel arctet particularia jura episcoporum. Utique nos rem non ex solo nomine æstimamus, aliis longe gravioribus mo-

tivis et argumentis innixi. Si tamen ex titulo *universalis* argumentari liberet, diceremus, inde non exclusionem, nec qualemcunque coarctationem jurium particularium, sed tamen horum dependentiam probari.

§ XII.

In primævo statu, in quo primatus octo sæculis perstitit, bono unitatis optime perspectum fuit.

Præoccupat Febronius objectionem, non satis a Deo perspectum fore Ecclesiæ et securitati fidei, si Pontifex ex natura primatus non habeat jus proprium et absolutum in rebus sacris decidendi, statuendi, imperandi, dum judicium universalis Ecclesiæ non semper ac statim haberi possit. Verum, respondet se suam sententiam reducere ad hunc symboli articulum : *credo in Spiritum S., sanctam Ecclesiam catholicam.* Neminem existimare, a veris christianis, qui, se corde et ore filios Ecclesiæ agnoscunt, et subditos profitentur, particularium synodorum, et Rom. Pontificum decreta facile contemnenda.

1. Male quis Febronio affingeret, eum sic arma suppeditare ad resistendum legitimo capiti Ecclesiæ; quod, quando, per quos et quomodo fieri, seu a Papa ad concilium recurri possit, alibi dicetur. Nemo dubitet, talem resistentiam posse esse legitimam, et talem probavit etiam Bellarminus in Cypriano contra Stephanum P. lib. 4. de Rom. Pont. c. 7.

2. Quid si integrum, regnum, magna provincia, et plures episcopi prudentes ac pii rationabiliter credant exstare casum, de quo Urbanus I. in decreta Gratiani caus. 25. quæst. 1. c. 6. *Si quod docuerunt apostoli et prophetæ, Romanus Pontifex destruere, quod absit, niteretur, non sententiam dare, sed magis errore convinceretur, sed hoc procul absit ab eis, qui semper Domini Ecclesiam contra luporum insidias optime custodierunt.*

3. Primis octo sæculis, dum auctoritas Rom. Pontificis continebatur intra fines Petro præscriptas, per media Ecclesiæ connata omnis hæresis sublata fuit, nec ulla remansit. Postquam autem in monarchiam excrevit, prudentissime ambigitur, an, quoad illa in hoc statu permanserit, exspectari possit funestissimi schismatis, quo Ecclesia ultra duo sæcula premitur, exitus. De hoc c. 8. Post hæc, judicet quisque bonus et æquus, quo systemate bono unitatis melius consultum sit.

4. Finaliter extollit suum systema tanquam primitivæ Ecclesiæ conforme, nec ulli potestati sæculare præjudicium generans, recenset insuper omnia, quæ toto hoc capite dixit, et quibus Pontificem sua a Christo collata jurisdictione exuit, solo ei monitoris, inspectoris, et nudi præsidis sollicitudine relicta.

5. Cardinalis Perronius epist. ad Causobonum in replica ad regem Britanniæ, substantiam sacri

primatus in hoc collocat, quod Ecclesia romana sit centrum et radix unitatis episcopalis, et communionis ecclesiasticæ, ac antiquitas ei semper detulerit primatum et supremam intendentiam in omnes causas sacras et ecclesiasticas, et hoc unicum esse, cujus confessionem Ecclesia exigit tanquam articulum fidei etc.

6. Exspectabit tandem lector, ut accuratius definiatur, quæ in Ecclesia dicenda sit vigere regiminis forma? respondet cum Samuele a Pufendorff. *Absurdæ sunt quæstiones, monarchica, aristocratica, an democratica forma competat Ecclesiæ? hæ quippe formæ cadunt in statum aliquem seu civitatem. Ecclesia autem status non est.* Hac autem in parte ille vera tradidit.

NOTA.

Fallaciter incedit Febronius! *etiam nos credimus in Ecclesiam catholicam.* Verum, de jam definitis non quæritur, de quibus jam locuta fuit Ecclesia. Sed si novum dubium et quæstio oriatur, si ipsa Ecclesia in partes scinditur, si dissentiant inter se episcopi, in quanam parte sit vera doctrina et Ecclesia catholica? etiam in hoc casu prospectum debet esse Ecclesiæ, ut tunc possit inveniri et demonstrari vera Ecclesia et doctrina, in quam credere debeamus. Donatistæ etiam dicebant, veram Ecclesiam esse in parte Donati: Augustinus eos refellens, neque

ad fidem et doctrinam particularium Ecclesiarum vel episcoporum, neque ad concilium recurrit, sed solo hoc argumento usus est, ut eis monstraret Ecclesiam romanam, quacum cæteræ Ecclesiæ in fide necessariam connexionem habere debeant, et hac ipsa communione et nexu monstrari, eos tenere veram fidem et doctrinam. Simili modo ratiocinabantur etiam S. Irenæ. lib. 3. advers. hæres. c. 3. Optat. Milevit. lib. 2. contra Parmenian. Aliæ Ecclesiæ igitur ideo veram fidem tenent, quia cum Romana conspirant; hæ quippe ab illa regulam credendi mutuant, non e contra, romana ab aliis, quia quævis Ecclesiæ particulares, quantumvis magnæ ac spectabiles, errare possunt, et multas de facto errasse constat. In tali igitur dissidio clamat, quantum velit Febronius, credo in Ecclesiam catholicam, etiam sic clamabit alter, et seposita Ecclesia romana, nemo monstrabit veram Ecclesiam, seu ubi sit veritas, donec causa fors concilio generali decidatur. Sic utique verum erit, interim in incerto fluctuare religionem, non satis prospectum fore Ecclesiæ, quia concilium generale non nisi difficulter, post longum tempus, et fors omnino non congregabitur. Multa enim sunt, quæ volentibus et annitentibus etiam Rom. Pontifice et episcopis, tamen hanc congregationem impedire possunt, quo casu Ecclesia omnino careret remedio, vel saltem difficile et satis opportunum non esset.

Lenimen afferre, aut potius suum errorem obtegere vult Febronius, quando ait, a veris christianis decreta particularium synodorum, et Rom. Pontificum non facile contemni : hæc ultima in Febronii sententia adeo multum æstimanda non forent. Attamen hìc non quæritur, quid a bonis christianis *fieri debeat*, verum quid a quibuscunque *fieri possit*, et jam *factum sit?* in omni autem casu Ecclesia debet habere remedium mali efficax, præsentaneum et opportunum. Contra episcopos et synodos particulares semper opponi potest exceptio fallibilitatis, quod si hac exceptione etiam eludi possunt definitiones et decreta Pontificum, quid restabit, nisi concilium generale difficile, ut dixi, vel fors nunquam congregandum? ad quod ultro etiam provocabunt errantes, quiete interim conculcando vineam Domini, et si tandem post longam moram congregetur, victis non deerunt obtentus reclamandi, neque hoc stabunt. Novissima exempla habemus in protestantibus nostris, et jansenistis. Quis credat, Ecclesiam tamdiu remedio destitui, vel non nisi vix moraliter possibili suffultam esse, quæ tamen continuam habet assistentiam Spiritus S.? neque iterum in circulum redeat Febronius, pro regula et signo veræ doctrinæ assignando consensum Ecclesiæ. Nam utique consensum hunc Ecclesiæ dispersæ a plurima parte episcoporum cum Rom. Pontifice, non multis ex adverso stantibus negat *ultimatum et irrefragabile judicium constituere, nec esse defi-*

nitivum universalis Ecclesiæ, seu *infallibiliter* decisivum, c. 6. § 8. Ergo ad hunc consensum illi non datur refugii locus. Nil igitur certum habemus, fluctuare debemus, usque dum concilium generale congregetur. Ecquid interim Spiritus S. assistentia operatur, si errorem a veritate, malum a bono infallibiliter et certo non possumus secernere, errantes revocare in viam justitiæ et reducere ad ovile Christi? Agnoscit auctor plurimas hæreses, tribus primis præcipue sæculis, nullo interveniente concilio, sola Rom. Pontificum auctoritate damnatas fuisse. Quæro: anne hoc judicium fuit ultimatum et infallibile, vel non? In ejus principiis non fuit, quia tale judicium non in Pontifice, imo nec in tota Ecclesia dispersa, juxta dicta, et ut hoc ipso loco iterum fatetur, recognoscere vult: ergo istæ hæreses omnes nondum sunt certo et infallibiliter hæreses, et si quis eas defenderet, formalis hæreticus haud esset. Quantum autem hoc communi totius Ecclesiæ sensui repugnet, nemo non videt. Et tamen audet dicere, *hanc suam sententiam esse eandem cum sententia Patrum, et conformem systemati florentissimorum Ecclesiæ sæculorum.* Tanta erat præsumptio viri.

Dein quare in sua professione omittit vocem *apostolicam* Ecclesiam? uti in symbolo tradiderunt concilia Nicænum et Constantinopolitanum I. Hoc valde suspectum reddit, dum eandem professionem, omissa voce *apostolicam*, repetit tom. 2.

pag. 147. advertit, per eam vocem romanam Ecclesiam nimis aperte indigitari. Ea enim apostolica Ecclesia est, quæ doctrinam et traditionem apostolorum tenet; quanquam autem hanc universa teneat Ecclesia, tamen illa maxime custoditur in Ecclesia romana, a qua cæteræ Ecclesiæ per communicationem hanc doctrinam et traditionem recipiunt; ita senserunt Patres, et ideo romanam Ecclesiam per excellentiam vocarunt apostolicam, non quia ab apostolis fundata fuit, siquidem et alias Ecclesias apostoli fundarunt, sed quia illa tenet depositum doctrinæ et traditionis apostolicæ. Attamen hæc Febronio minus arridebant.

Ad 1. Protestatio facto contrario! negat Febronius, se arma suppeditare *ad resistendum* Rom. Pontifici? et hoc ipso loco lectori suum caput 6. § 8. assignat, ut videat, *quando*, *per quos et quomodo* a Papa ad Ecclesiam *recurri possit*, vel verius resisti : huc pertinet etiam caput nonum. Dein iterum lectori omne dubium tollit, talem *resistentiam* posse esse legitimam. Male tamen Bellarminum in subsidium inobedientiæ vocat; aliud est enim non consentire propter repugnans conscientiæ dictamen superiori nondum præcipienti, et ubi res decisa non est, sicut revera illa controversia a S. Stephano definita non fuit, aliud non obedire vel resistere superiori legitime præcipienti. Solum in priori sensu loquitur, et Cyprianum excusat Bellarminus.

Ad 2. Idipsum dico, in proposito casu tenendum esse, quod sibi cit. loco respondet Urbanus P., nempe *non sententiam dare, sed errare censendus est.* In tali casu certe non ex cathedra loquitur, nec pro tota Ecclesia definit; imo ne hoc fiat, assistit Spiritus S., et Christus oravit, ne deficiat fides ejus. Vidimus integra et maxima concilia sine Pontifice errasse, nunquam vero Pontifex definiendo erravit. Quod autem Papa privatim, et ut persona privata possit errare, quin et in hæresin cadere, nemo negat.

Ad 3. Ridicula argumentatio! Dum minor erat auctoritas Rom. Pontificis, omnis hæresis sublata fuit, nunc dum major est, prudentissime ambigitur, an finis moderni schismatis exspectari possit? an per hoc, quod auctoritas Papæ in monarchiam excrevit, aliquid decessit pristinæ illius auctoritati et potestati? non puto: igitur adhuc tantum potest, quantum potuit priscis illis temporibus. Hoc ego potius inferrem, primis sæculis majoris æstimatam fuisse auctoritatem Pontificis, quam nunc a Febronianis Pontificum hostibus, et hoc ipsum signum esse, quod non cum antiqua Ecclesia sentiant. Quia tamen ad c. 8. remittit, dicemus ibi plura.

Ad 4. Per decursum hujus capitis ad hæc jam responsa dedimus, et adhuc alibi plura dabimus. In summa dicimus, totum Febroniis ystema falsum, nec ullo convincenti argumento aut testimonio niti. Magna assentatio est, dum dicit,

suum systema nulli potestati sæculari præjudicium generare. An ergo oportet, religionem quibusve politicorum placitis ac principiis accommodare? alia nobis prostant exempla Patrum, et vidimus in veteri Ecclesia sacerdotium cum Imperio sæpe collisum fuisse. Hoc utique optandum foret, ut neutra potestas suos limites pro libitu extenderet, aut ea, quæ saltem externam politiam et œconomiam spectant, ad apicem usque perduceret.

Ad 5. Nihil Perronius cum Febronio. Ille certe non alium primatum intelligit, nisi qui a catholicis defendebatur, quem clerus gallicanus, ut infra dicam, toties professus est, et concilia generalia definierunt, ita ut, qui eum non admitteret, pro schismatico declaretur. Verum, hic primatus non est honoris et directionis tantum, sed jurisdictionis: de primatu in sensu catholico loquebatur Perronius, non hæreticorum, et aliorum ab Ecclesia damnatorum Richerii, Spalatensis etc. atque similium. Cæterum, quis sensus fuerit Perronii de primatu et jurisdictione Pontificis, apertius demonstratur ex illa disputatione, quam in publicis regni Galliæ comitiis coram Rege et Regina habuit cum oratore tertii ordinis, uti refert Gramondus, natione Gallus ac supremi senatus Tholosani præses in histor. Galliæ ad ann. 1615. pag. 65. et seq. Hìc præterire non possum cardinalem Perronium ibi illam ipsam opinionem de potestate regia, quæ dein in declaratione cleri

gallicani anno 1682. in primo articulo asserta fuit, publice dixisse *novam*, *Luthero et Calvino fautoribus*, *nuper natam*, contrariam vero si Galliam demas, ab omnibus sæculis in toto orbe catholico communem esse, et ipsos doctores Galliæ suam novam sententiam nunquam pro dogmate venditasse, sed politicam duntaxat asseruisse, contra hanc dein citat auctores Gallos Joannem Paris. Almainum, Gersonem, Sylvam, Fabrum, Auferium, Prestium, Gregorium Tholosanum etc. In sententiam Perronii tunc itum est a duobus ordinibus ecclesiasticorum et nobilium, quanquam tertius ordo plebis cum parlamento repugnaret. Vides hìc novum argumentum contra quatuor articulos cleri gallicani.

Ad 6. Ita est: si Ecclesia status non est, frustra quæritur, quæ sit regiminis forma? at pessime egit Febronius, dum cum Puffendorfio negavit, Ecclesiam statum esse. *Status* nihil aliud est, quam multitudo stans per se, *et suis legibus vivens*, sicut respublica dicitur, familiarum, rerumque inter se communium summa potestate colligata, et ratione moderata multitudo. Puffendorfius itaque negat, Ecclesiam esse talem statum, aut sacram rempublicam. Quare autem negavit? quia si Christus talem statum et regnum sacrorum instituit, ait Puffendorfius loco a Febronio cit., *nil superest, quam ut cervices iterum submittamus* (protestantes) *nec amplius justam causam secedendi præbere poterunt corruptelæ, — — — non*

magis , quam civibus fas est , obsequium in principes exuere , ubi hisce secus , quam par erat , in republica administrata appareant. Hoc solum, nempe quod Ecclesia sit status , *ubi pervicerint*, romani , *totam causam obtinuerunt. — — — Ad hanc igitur adversæ partis , velut arcem subruendam , necessum est , ad fundamentum regni sacrorum penetrare , quæ si commentitia esse demonstratum fuerit , totam , quæ superstructa est , molem ultro corruere oportebit.* Ideo ergo auctor negat , Ecclesiam statum esse , quia si esset, totam causam obtinerent, et triumpharent catholici contra protestantes. Igitur negandus est in Ecclesia status , ut potissimum fundamentum , quo se tuentur catholici, evertatur. Jam Febronius ait, auctorem hìc vera tradidisse. Ergo et ipse Ecclesiam statum esse negat, quo argumento Puffendorfius secessionem protestantium ab Ecclesia legitimare , et simul doctrinæ catholicæ ultimam stragem intentare conatus est.

Ab hoc labyrintho se explicare volens Febronius tom. 2. pag. 381. dolo et fraudibus utitur. Nempe sic loquitur loco cit. *Dixerat Febronius cum Samuele Puffendorfio — — siquidem hæ formæ solum cadant in statum civilem , seu politicum , qualis non est Ecclesia.* Appello omnes lectores, utrum idem sit : *Ecclesia status non est , et Ecclesia non est talis status , qualis politicus.* Prima propositio negat omnino et simpliciter , Ecclesiam statum esse, secunda autem asserit statum , sed ne-

gat esse politicum. Primam autem adoptat Febronius hoc paragrapho. Igitur falsi reus habetur. Dum vero tom. 2. pag. cit. etiam pro se citat Basilienses et Amortum, nihil inde lucratur. Hi quidem negant in Ecclesia formam regiminis, sicut in politicis obtinet, non negant autem Ecclesiam statum esse, qui propriis suis legibus regitur; Febronius, e contra, simpliciter negavit statum esse.

Pro coronide hujus capitis juvat quædam addere, quæ erroneam Febronii mentem et doctrinam apertius demonstrant. Hic essentialia et primigenia primatus jura recensens, Pontifici tamen nullam omnino in universam Ecclesiam jurisdictionem, sive leges statuendi, sive in rebus fidei judicandi, sive refractarios puniendi concedit, nisi vel consensus vel auctoritas Ecclesiæ intercedat. Quid hoc in re aliud est, quam primatum Pontificis Ecclesiæ esse subjectum, suaque jura ab Ecclesia, non ab institutione divina trahere. Huic igitur opponimus, non solum ex dictis hucusque veterem Ecclesiæ disciplinam, unde constat, quid circa primatum Papæ senserint veteres Patres et priora concilia, item quæ vi ejusdem gesserint antiquiores illi Pontifices, quibus ex vetustis documentis plura alia addere possemus. Verum, noverit Febronius etiam, qualiter in hac re mentem suam tota Ecclesia in conciliis, posterioribus etiam temporibus declaraverit, et quod nec in Gallia pro sua opinione justum refugium habere possit.

In concilio Lateran. IV. anno 1215., ubi convenêre 1283. Patres, inter quos patriarchæ Constantinopolitanus ac Hierosolimitanus in persona erant præsentes, Antiochemus et Alexandrinus per legatos, item utriusque Imperatoris occidentalis et orientalis legati, reservatur Pontifici jus appellationum in territoriis patriarcharum, et can. 5. dicitur, *quod romana Ecclesia, disponente Domino, super omnes Ecclesias alias NB. ordinariæ potestatis obtineat principatum.*

Concilium Florentinum sess. 25. *Definimus, S. apostolicam sedem et Rom. Pontificem in universum orbem tenere primatum, esse successorem B. Petri, ——— verum Christi vicarium, totiusque Ecclesiæ caput ——— existere, et ipsi in B. Petro, pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam a D. N. J. Christo plenam potestatem esse traditam.*

Concilium Lateran. V. sess. 11. ita habet, *solum Rom. Pontificem pro tempore existentem, tanquam auctoritatem super omnia concilia habentem conciliorum indicendorum, transferendorum et dissolvendorum plenum jus et potestatem habere.*

De Clero et Ecclesia gallicana jam diximus supra c. 1. § 10. ex posterioribus sæculis solus sufficere posset S. Bonaventura, academiæ Parisiensis alumnus et magister, cui ipse Gerson inclinante ætate se dicavit, atque aliis, ut ejus lectioni operam darent, commendavit. Sic autem S. Doctor scribit in opusc. *quare fratres minores*

prædicent? — — *Secundum curæ pastoralis amplitudinem etiam quilibet istorum* (episcoporum) *accepit certam auctoritatis potestatem, residente plenitudine potestatis ecclesiasticæ apud sedem apostolicam romanæ Ecclesiæ, cui apostolus Petrus, Princeps apostolorum, præsidet, et successoribus suis ibidem eandem potestatem reliquit. Triplex est autem hujus potestatis plenitudo, scilicet, quod ipse summus Pontifex solus habeat totam plenitudinem auctoritatis, quam Christus Ecclesiæ contulit, et quod ubique in omnibus Ecclesiis habet illam, sicut in sua speciali romana sede, et quod ab ipso manat in omnes inferiores per universam Ecclesiam omnis auctoritas, prout singulis competit eam participari* etc.

Gerson. tom. I. de potest. Eccles. consider. 10. *Potestas ecclesiastica in sua plenitudine est formaliter et subjective in solo Rom. Pontifice,* — — — — *ex institutione Christi, nullus in Ecclesia debet dare, vel suscipere gradus hierarchicos,* — — — *si non interveniat vere vel interpretative auctoritas summi hierarchæ vel monarchæ in Ecclesia sancta Dei, scilicet, Rom. Pontificis, quatenus in ea vitetur confusio, et optimo regimine gubernetur, scilicet, monarchico ad exemplar Ecclesiæ triumphantis.*

Petrus de Marca de discrim. cleric. c. 3. Petrum divina institutione caput Ecclesiæ esse, et primatum habere, vi cujus totum gregem a Christo pascendum et regendum accepit, con-

tumaces ligare et censuris percellere possit, cujuscunque sint conditionis, sive episcopi, sive clerici, sive laici, et quod alii apostoli particulares Ecclesias a se fundatas Petro subjicere tenerentur. In libello vero contra Molinæum Innocentio X. oblato defendit, Rom. Pontificem posse appellationes ex aliis provinciis recipere, judicia dare, solvere et dispensare valide et licite a canonibus conciliorum generalium etiam sine causa *publica*, novas leges condere. Quæ tamen idem Petrus de Marca in libro de concordia sacerdotii et imperii contra Pontificis potestatem liberius et temere scripsit, ipso fatente Stephano Balluzio in ejus vita, solenniter coram notario et testibus die 19 August. anno 1647. retractavit, revocavit, et correctionem promisit, hanc correctionem demandavit Balluzio, qui tamen verbo non stetit, sed post mortem Petri de Marca, incorrectos libros edidit contra expressam demortui voluntatem, de quo Fagetus, cognatus Petri de Marca, Balluzium accusat.

Ludovicus Maimburgus, Traité historique de l'Eglise de Rome. c. 4. *Dicam id solum, quod exploratum, certumque omnes catholici habent, Jesum-Christum ex omnibus apostolis unum Petrum elegisse, cui primatum non modo ordinis, honoris atque gradus conferret, — — verum jurisdictionis insuper primatum, potestatisque et auctoritatis in omnes fideles in tota Ecclesia, cujus ipse caput eum constituit.*

Claudius Fleurius institut. jur. canon. part. 3. *Christus significanter ac nominatim S. Petrum ducem gregis sui constituit, eique mandavit, confirmare fratres suos. Credimus et jure divino Papam jurisdictionem habere supra omnes episcopos et totam Ecclesiam.* Idem in catechismo histor. tom. 2. part. 1. lect. 46. *Episcopus romanus, quem hodie appellamus Papam, semper habitus est omnium episcoporum primus, cum habeat supra alios primatum jurisdictionis jure divino, sitque visibile caput Ecclesiæ et vicarius Jesu-Christi.*

Natalis Alexander, dum ei censores objicerent, eum jus primatus in sola vigilantia pro observatione canonum constituere, sic protestatur, et se explicat. *Non solum in canonum urgenda observantia Rom. Pontificis primatum positum agnosco et profiteor, sed etiam in novarum latione legum, in veterum canonum interpretatione, et prudenti dispensatione, in convocatione, præsidentia, confirmatione conciliorum, in judicio appellationum, in sollicitudine et regimine omnium Ecclesiarum etc.* Et in sua theolog. moral. c. 11. de ordine postquam similia et adhuc plura repetiit, ita claudit : *Controversiarum fidei etiam extra concilia œcumenica præ cæteris omnibus, et supra singulos episcopos summus judex est, legum per universam Ecclesiam conditor et dispensator, et interpres canonum. Graviorum criminum absolutionem sibi reservare potest, toto orbe christiano plenarias in-*

dulgentias concedere. Hæc jura Pontificii primatus inconcussa.

Nolo repetere declarationes et censuras cleri gallicani de anno 1681, et Sorbonæ de annis 1542, 1683. Item contra Antonium de Dominis, ubi aperte profitentur primatum *jurisdictionis* in Rom. Pontifice, imo contrarium ut schismaticum et hæreticum condemnant. Loco omnium sit ultima declaratio cleri gallicani in comitiis generalibus Parisiensibus anno 1728, die 8 Maii in litteris ad Regem christianissimum. *Primatus, quem nos in Papa recognoscimus, non restringitur intra simplicem honoris præeminentiam. — — Necesse est igitur, secundum catholicam fidem, recognoscere in summo Pontifice primatum honoris simul et jurisdictionis, uti agnitus fuit primis quoque Ecclesiæ temporibus.* Quid clarius? idem legimus anno 1728. dans les lett. des card. arch. et ev. sur la consult. des advocats. Denique D. Barthelius annot. ad l. 1. tit. 33. inter essentialia primatus jura etiam refert, quod *Papa sit judex controversiarum in rebus fidei, — — — ad ipsum spectet — — — ordinationes et statuta in rebus moralibus et fidei facere, pœnas statuere refractariis, pœnitentes iterum absolvere etc.* citat quoque Habert tom. 7. fol. 294.

Addo cl. D. Riegger introd. in jus Eccl. pag. 21. quo tamen censore, liber Febronii Viennæ innocuus abiisse dicitur. Hic l. c. ait : *erat necesse, ut, mortuo S. Petro, princeps in Ecclesia fidelibus*

omnibus non solum auctoritate suadendi, sed etiam jubendi potestate præesset, et dissensiones dirimeret. Et infra. *Est autem potestas clavium S. Petri successoribus a Christo tradita amplior, quam ut augustis conciliorum limitibus coarctari queat; poscit enim Ecclesiæ per universum orbem dispersæ natura et indoles, ac unitatis in cathedra Petri tanquam centro stabilitæ, ac perpetuo conservandæ nexus, et ratio, ut detur potestas regendi Ecclesiam sine conciliorum ambagibus exercenda.*

Quare Febronius hos duces non sequitur in ista quæstione, quos tam sæpe alibi sibi propitios habet, quorum testimoniis ac auctoritate tantum gloriatur, et qui certe de adulatione in Papam neutiquam suspecti sunt? quare non cum his sentit id, quod, ut ait Maimburgus, omnes catholici certum et exploratum habent? num hæc Febronium latere potuerunt? tanta est perversitatis illecebra, ut, si mentem cujusquam semel corripuit, etiam plena in meridie cæcutire faciat.

CAPUT III.

DE INCREMENTIS JURIUM PAPATUS, ILLORUMQUE ANSIS TUM FORTUITIS ET INNOCUIS, TUM SONTIBUS.

§ I.

Episcopatus in Ecclesia unus est, et omnibus episcopis certo modo communis.

Febronius ex c. 1. § 6. supponit, claves non uni Petro, sed corpori Ecclesiæ a Christo datas esse, primario gerendas per apostolos, ita ut horum quilibet æqualem in eis partem habuerit, non quidem quoad externum regimen, sed quoad partem essentialem religionis, fidei nempe et doctrinæ propagationem atque conservationem. Hoc sensu S. Chrysost. hom. 17. ait, S. Paulo totius orbis terrarum curam commissam esse, et hom. 6. Timotheum vocat universi orbis episcopum. Hoc jus et obligatio subveniendi in periculo fidei etiam divisis diœcesibus mansit in episcopis apostolorum successoribus; quippe diœceses ad bonum ordinem tempore pacis conservandum spectabant, fides autem res universalis erat, respectu cujus universus orbis una diœcesis, et tota Ecclesia unus grex habebatur.

1. Hoc sensu Augustinus lib. 1. contra 2. epist. Pelag. ait, omnibus episcopis communem esse speculam pastoralem. S. Cyprian. epist. 68. ad

S. Stephan. P. si quis ex collegio episcoporum hæresin facere, et gregem Christi lacerare tentaverit, subveniant cæteri. Sic Gregor. Nazian. orat. 18. Cyprianum dicit episcopum universalem, et de S. Athanasio, quod dum Alexandrino populo præfectus fuerit, idem sit, ac si universo terrarum orbi præfectus fuisset. Item Basilius de S. Athanasio, eum omnium Ecclesiarum curam gessisse. Et Symachus Papa epist. ad Æon. Arelat. unam et individuam per universos antistites esse potestatem et sacerdotium.

2. Hinc Cyprian. Epist. 7. de unit. Eccles. ait : *episcopatus unus est, cujus a singulis in solidum pars tenetur.* Et S. Leo M. epist. 12. ad Anastas. Thessalon. c. 2. agnovit *communem* inter omnes episcopos dignitatem. Item epist. 4. ad eund. c. 1. fraternum omnium episcoporum *collegium*. Hanc sententiam tenent præstantissimi theologi et canonistæ.

3. Etiam exemplis hæc sententia firmatur. Teste Socrate, Athanasius extra suam diœcesin, ne Ecclesia Arianismo obrueretur, multos ad SS. ordines evexit. Idem fecit Eusebius Samosatenus tempore persecutionis Arianæ, et Epiphanius Paulinianum diaconum et presbyterum in quodam monasterio, propter causam necessitatis, ordinavit. In synodo Alexandrina Osius Cordubensis judex et arbiter sedit. Athanasius in oriente damnatus, Sardicæ in occidente absolutus fuit. Chrysostomus in concilio Constantinop. Asiaticorum episcoporum

nihil ad se pertinentium causam tractat, Ephesi episcopum ordinat, et Asiæ ecclesias reformat. Cyrillus Alexandrinus Nestorium, Acacius Constantinop. Petrum Mongum, Alexandrinum antistitem, damnat.

4. Hoc sensu potestas episcopi *Eugubensis* tam late patet, quam episcopi *Romani*, et episcopus *Rheginensis* æque totius Ecclesiæ episcopus erat, ac *Constantinopolitanus*, quia omnis episcopalis officii actus, *exigente necessitate*, sine dispensatione a quovis exerceri potest in rebus ad fidem spectantibus, et quæ necessariam cum hac connexionem habent.

5. Talia exempla etiam posteriori ævo produci possent, uti in vita Bartholomæi de Martyribus l. 2. c. 2.

6. Hoc tamen non omnibus presbyteris, quantumcunque zelosis, sed solis apostolis et episcopis concessum est, quibus dictum fuit : *euntes in mundum universum prædicate omni creaturæ*, et *euntes docete omnes gentes.*

NOTA.

Multa in hoc § satis ambigue dicta sunt. Quædam de potestate episcopali, præscindendo a primatu Petri intelligi possunt, de qua etiam præcise dicta sunt, attamen nunquam in sensu Febronii, qui potestatem primatus cum potestate episcopali confundit, et suo erroneo fundamento, nempe

quod claves toti Ecclesiæ datæ sint, superædificat. At nos jam demonstravimus, uni Petro datas esse. Dein quæro, quo sensu Timotheus, Cyprianus etc. dicantur *episcopi universales?* hunc titulum supra c. 2. § 11. ægre concedit episcopo rom., qui tamen primatum tenet in universam Ecclesiam, modo in aliis episcopis indistincte admittit, eoque probare vult, omnium episcoporum in universam Ecclesiam jura et potestatem æqualem esse. Revera, si dicta dictis comparamus, episcopis non modo æqualem, sed majorem, quam Rom. Pontifici omnino potestatem tribuit. Interim non dicit utique Febronius, illos fuisse *episcopos universales* in eo sensu, quo hunc titulum rejecit S. Gregorius M., nempe quod sint soli, et præter illos non sint alii episcopi; quippe hic sensus profanus est et antichristicus: confer c. 2. § 11. Igitur in alio sensu, supra a Bellarmino exposito, dicuntur episcopi universales, quod ipsis competat sollicitudo, superintendentia et potestas in universam Ecclesiam. Et ecce! destruitur primatus Petri; omnes siquidem forent episcopi universales, omnes omnino æquales, omnes tot primates, et Rom. Pontifici nihil restabit, nisi dum ad calculum referuntur episcopi, ipse sit numero tantum primus.

Non video, quomodo hinc se extricare valeat Febronius, si tamen genuinum primatum salvare velit, nisi concedat, hanc curam et potestatem universalem in cæteris episcopis, *exigente neces-*

sitate, extraordinariam, et quasi præsumptam, in Rom. Pontifice autem ordinariam existere. Verum, id ipsum præfracte negat Febronius, tum quia, uti sæpius contendit, Papa ratione episcopatus in suo jure par est cæteris episcopis, tum quia præcipue hoc c. § 2. in Papa hoc jus non nisi extraordinarium esse vult, eo quod primatus per se non importet jus, functiones episcopales ordinarias et jurisdictionem exercendi in alienis diœcesibus. Igitur pro primatu nihil aliud infertur, nec ipse infert Febronius, quam quod hoc jus, hanc potestatem, cæteroquin omnibus æqualem et communem, primus et præ cæteris exercere possit Pontifex, quia est primus inter pares, unde solus primatus numeri et præcedentiæ exurgit, quod doctrinæ catholicæ palam adversatur.

Duo nempe pungunt Febronium, primo quod titulum universalis episcopi in sensu Gregorii M. rejectum aperte quidem non usurpet Papa, rem tamen ipsam affectet. Dein si jurisdictio Pontificis in universalem Ecclesiam vi primatus sit ordinaria et immediata, tunc non solum concurrentem haberet potestatem cum episcopis, sed et hos posset prævenire, spoliare, excludere. Ita Febronius tom. 2. pag. 36. Item flores sparsi pag. 308. ait: *quid diceret S. Gregorius, si videret suos successores usurpantes tum realitatem universalis episcopatus, tum ejus titulum, quamvis breviori formula?* rursus tom. 3 pag. 152. tom. 4. part. 1. c. 2 et 3. et alibi pluries.

Sinistram semper de primatu ideam sibi proponit Febronius, atque omni jurisdictione carere supponit. Loquamur a pari : primates, metropolitæ jure humano ecclesiastico habent jus visitandi episcopos inferiores, suffraganeos cum suis diœcesibus, defectus illorum supplendi, exigente necessitate vel bono Ecclesiæ, providendi Ecclesiis, ordinandi, causas judicandi etc. Hoc jus in primate puto *ordinarium* esse in hoc sensu, quia in ipso officio et dignitate primatis comprehenditur, sic quidem, ut a nullo alio episcopo in hoc præveniri vel impediri possit, ipsique per canones specialiter sit reservatum. Nihilominus hoc jus ita est restrictum, ut non ordinarie, minus pro libitu, sed tantum *exigente et jubente canone*, exerceri possit. Anne hæc jura metropolitanorum ita officiunt juribus episcoporum, ut hi spoliati, vel respectu illorum solum vicarii dici possunt? nemo hoc hactenus somniavit. Jam de Papa. Hic suum primatum habet a Christo, non jure humano aut ab Ecclesia; hinc eidem neque ab Ecclesia aut quacunque potestate humana alii limites poni possunt, quam posuit Christus: instituit autem primatum universalem in Petro, cui dedit claves, insignia potestatis supremæ et generalis, omnesque oves suas, nulla omnino excepta, ei ad pascendum et regendum commisit. Hunc primatum jam demonstravimus esse jurisdictionis juxta communem Ecclesiæ doctrinam; sequitur ergo, hanc primatus jurisdictionem in universa

Ecclesia esse ordinariam, officio primatus inhærentem, et nulla lege ecclesiastica restringibilem vel restrictam. Attamen limites habet, quos salvator ipse posuit, quos duos tantum esse legimus, qui tamen non tam ipsam potestatem (quippe primas et pastor universalis pro necessitate et bono gregis debet omnia posse) quam usum, exercitium, modumque ejus respiciunt. Primus est, ut qui sit major, et primatum teneat, hunc non exerceat ad modum regum Gentium, qui tum non monarchice solum, verum et despotice regnabant, sed sicut Christus, qui monarchice quidem, attamen non potestate dominante, sed charitate serviente, apostolos regebat. Alter est, quod hic primatus datus sit in ædificationem, non in destructionem Ecclesiæ, et Petrus constitutus fuerit fundamentum ad ædificandam Ecclesiam, *super te ædificabo;* inde ulterius sequitur, quod Papa vi primatus universalis quidem per se omnia possit, sed non omnia expediat, neque pro libitu et arbitrarie vim suam expromere debeat. Subtrahatur ergo Papæ, quod est nimium, nempe exercitium sui juris et potestatis arbitrarium, vel despoticum, et concedatur ei potestas divinitus concessa, jurisdictio scilicet ordinaria in universam Ecclesiam juxta præscriptum Christi exercenda, et non habebunt episcopi, minus alii, quod conquerantur. Siquidem illis non obest jus metropolitæ vel patriarchæ jure ecclesiastico introductum, quominus jura propria exercere possint,

nec oberit potestas primatus ordinaria, quominus sint veri episcopi, si illa arbitrarie et despotice se non exerat. Quod si qui duplicem hanc potestatem ordinariam episcopi et Papæ in singulis diœcesibus (quippe quoad has Papa nullibi habetur pro extraneo) capere nondum valeat, exemplum etiam sumat a parocho, qui in oves suæ parochiæ, quoad prædicationem evangelii et sacramenta administranda, ordinariam potestatem habet, talem autem non minus habet episcopus. Hoc argumentum nondum solvit Febronius, quidquid de institutione episcoporum et parochorum dicat; non enim contendimus, hanc paritatem inter parochum et episcopum, item inter hunc et Papam quoad omnia valere. Interim semper verum manet quod in parochia qualibet et episcopus et parochus habeant *ordinariam* potestatem, unde demum ista proveniat, nec jurisdictio episcopi in parochiam impediat, quominus sit vere parochus.

De S. Gregorio M. habeo adhuc, quod respondeam, quid diceret hic S. Pontifex, si videret primatui jurisdictionis Rom. Pontificis a potestatibus sæcularibus hoc ævo non solum limites præscribi, sed et a quibusdam scriptoribus eum omnino negari? profecto responderet, quod in simili causa de aliquibus episcopis contra ejus dispositionem querentibus, et idcirco ab Imperatoribus assistentiam petentibus ad Constantinam Augustam scripsit epist. 21. l. 5. *Si episcoporum*

causæ mihi commissorum apud piissimos dominos aliorum patrociniis disponuntur, infelix ego in Ecclesia ista quid facio? Hæc verba jurisdictionem in episcopos eorumque causas satis aperte loquuntur.

Porro quod contra titulum *universalis episcopi* respectu Papæ, quasi eidem nullo modo conveniat, adhuc ex Pallavicino in Daniele Bertono tom. 3. pag. 152. et tom. 4. pag. 164. memorat Febronius, Gallos huic titulo in concilio Tridentino restitisse, legentibus manifestum est, ideo solum restitisse, quia videbantur hæc verba adstruere prærogativam Papæ supra concilium generale, non tamen respuebant alias voces, quibus primatus et jurisdictio in omnes Ecclesias significaretur. Alia igitur mens fuit Gallorum, et nihil ex Tridentino pro se conficit Febronius, qui titulum universalis episcopi rejicit, ut omnem jurisdictionem Papæ ab ecclesiis particularibus excludat. Dum autem Febronius ait, *respectu fidei universus orbis una diœcesis, et tota Ecclesia unus grex habetur.* Quæso, cui in scriptura a Christo omnes oves et totus grex commissus est? quis omnium omnino pastor constitutus fuit? nonne nominatim et singulariter solus Petrus? Ad hæc clara et institutoria Christi verba aliquorum panegyrica effata in sensu accommodo exponenda sunt, non vicissim ab his illa interpretationem admittere debent. Jam igitur respondeo

Ad 1. Illi episcopi non possunt dici *universales* in sensu a Gregorio M. rejecto, quod ipse fatetur Febronius, nec in sensu, quo Papa potest dici episcopus universalis, secus tot essent Papæ et primates universales, quot sunt episcopi, imo ipse primatus a Christo institutus destrueretur, uti demonstravimus. Igitur illa verba solum panegyrice sunt dicta, nempe pro eximio zelo et sollicitudine religionis et fidei propagandæ; et revera illorum Patrum de his sanctis testimonia non nisi ex panegyribus desumpta sunt.

Ad 2. De episcopatu uno in solidum mox infra.

Ad 3, 4, 5 et 6. Si Febronius hoc probare intendit suis exemplis, quod omnes episcopi in Ecclesia ita habeant æqualem et universalem potestatem, quam, exigente necessitate vel charitate, per se et propria auctoritate ubique etiam in aliena diœcesi exercere possint, ad quid amplius primatu opus erit? Si in una diœcesi fides aut religio periclitetur, si ibi deficiant probi et veri pastores, vicinus episcopus succurrere, functiones episcopales exercere, bonos pastores ordinare et præficere poterit. Admitto hæc tempore grassantis hæresis, et in communi periculo subversionis, ubi deest proprius vel verus episcopus, quia tunc urget charitas, simulque communis fidei ac religionis necessitas. At tunc non invadit gregem alienum, sed colligit dispersum suo pastore carentem, et qua auctoritate? in tali casu extraordinario extraordinaria, quippe

per se episcopus nulla gaudet ordinaria potestate in alienum gregem, quamvis potestas episcopi ex institutione sua non sit restricta ad certum locum vel populum, sicut nec presbyteri ad certam parochiam, tamen subordinata est, uti docent omnes SS. Patres et communis Ecclesia praxis a temporibus apostolorum, adeoque hoc ipso limitata, ita ut ex lege subordinationis se non possit per se ubivis pro libitu extendere. E contra, pastor universalis, qui potestatem habet absolutam et non subordinatam, ratione sui primatus per se et ordinaria sua potestate, id est, ex officio subintrat, ubicunque vel deficit vel nutat officium pastorale.

Certe ubi adhuc adest cum suo clero vel verus, quantumvis negligens, vel omnino labe hæresis infectus episcopus anne patietur, a vicino quovis episcopo sua jura præverti? anne statim cedet, et ab æquali sententiam recipiet, aut obsistenti adquiescet? has confusiones et dissidia non curat Febronius, et his non obstantibus, talem potestatem facilius cuivis concedit episcopo, quam ut eam efficaciorem recognoscat in supremo Christi vicario. Alia fuit praxis et sententia veteris Ecclesiæ. S. Basilius contra Arianos quosdam episcopos opem non expetiisset a Damaso P. epist. 70. Cyrillus Patriarcha Alexandrinus non prius Nestorium, Ecclesiam nova hæresi turbantem, apud Cœlestinum P. detulisset, hujusque sententiam, et quid hac in re agendum sit, quæ-

siisset, nec Cyprianus ad deponendum Marcianum Arelatensem Stephanum P. excitasset. Cur Cyprianus id ipse non præstitit? Cur orientales etiam maximi patriarchæ a dissito longe occidente auxilium expetiêre, si in quovis episcopo tantum auctoritatis, potestatisque est, ut non tantum in simili casu subvenire, sed omnem suam potestatem vi universalis episcopatus exercere possit. Sunt adhuc innumera exempla, quæ *universalem* hunc episcopatum penitus convellunt. Jam ad exempla a Febronio adducta directe etiam respondeo, ea nequicquam ad rem esse.

Athanasius et Eusebius Samosatenus clericos et episcopos in alienis diœcesibus ordinarunt. At quando et ubi? tempore persecutionis Arianæ, et ubi veri pastores omnino defecerunt vel in exilium missi, vel trucidati. Verum, hos casus extraordinarios fuisse, nemo non videt, atque ad officium apostolatus, non episcopatus pertinent: officium autem apostolatus, in episcopis extraordinarium est, de quo infra. Ostendat Febronius, episcopos talia jure proprio et ordinario in alienis diœcesibus, etiam ubi legitimi existebant pastores et episcopi, exercuisse, secus ruit suus episcopatus universalis. Quod autem in communi periculo et necessitate extra ordinem fit, utique extraordinarium est; igitur ad ordinariam potestatem referri non debet, sed illa præsumitur, et habetur pro tali casu ab eo, in quo ordinaria et absoluta potestas inexistit. Dein si

hæc exempla firma sunt pro probando in singulis episcopis *episcopatu universali*, cur iisdem eodem tempore contradictum fuit? *cur hæc res Athanasio aliarum criminationum initium et causa fuit, quod nimirum in paræciis, quæ ad jurisdictionem ejus non pertinerent, electionem ecclesiasticam usurpare ausus esset?* Nicephor. Callist. hist. eccles. lib. 9. c. 26. nempe quia prætensus iste episcopatus universalis tum non agnoscebatur. Ulterius quare Epiphanius, propter ordinationem Pauliniani, contra Joannem patriarcham Hierosolimitanum se defendere debuit, si tanquam episcopus universalis hoc jure facere potuit? et qualiter se defendit? *non considerandum, quid factum sit*, ait, *sed quo tempore, quo modo, et in quibus, et quare factum sit.* Imo negabat Epiphanius, monasterium Bethlemiticum, ubi ordinatio facta fuit, ad jurisdictionem patriarchæ pertinere, *quia*, ut scribit ad Joannem, *ejus provinciæ nihil debeat*, et cum iste diceret, se id prohibuisse Epiphanio, hic respondet, se nihil de tali prohibitione audivisse. Haud opus fuisset, tot circumstantias excusantes afferre, satis fuisset episcopatum universalem obtendere, nec prohiberi potuisset, si ita etiam sensisset Epiphanius.

Osius Cordubensis in synodo Alexandrina, quod omnibus notum est, tanquam legatus Sylvestri P. judex fuit, sicut ejusdem nomine postea etiam in synodo œcumenica Nicæna præsedit. Scio equi-

dem, Eusebium, Socratem, Sozomenum, Photium affirmare, Osium a Constantino M. Imp. Alexandriam missum fuisse, unde Natalis concludit, eum non fuisse legatum Sylvestri P., sed perperam. Imperator ei hanc potestatem dare non potuit, præcipue quia de causa fidei agebatur. Certe Osius in oriente legatus Pontificis fuit; quanquam igitur ab Imperatore ad controversiam componendam Alexandriam missus sit, certe ut legatus Rom. Pontificis missus est, nec alia auctoritate hanc causam tractare potuisset. Quid enim valeret privatus episcopus Hispanus in alieno patriarchatu, tunc post Romanum primo et maximo, atque contra ipsum patriarcham et tot episcopos orientales, si non auctoritate summæ et primæ sedis munitus fuit? Equidem Tillemontius negat, Osium etiam in concilio Nicæno ut legatum Pontificis interfuisse. Verum, præter alia satis refellitur ex ipso Athanasio, qui ibidem præsens fuit, epist. ad Solitor. et Gelasio Cyziceno hist. conc. Nicæn. lib. 2. c. 5. Osius ergo potius probat potestatem et primatum universalem Papæ, et directe repugnat sententiæ Febronii.

Athanasius in oriente damnatus, Sardicæ in occidente absolutus fuit. Ita est: verum, hìc iterum intercedit auctoritas Papæ, quia a Julio I. Sardicense concilium indictum fuit; qui etiam per Osium, Archidamum, et Polixemum apostolicæ sedis legatos eidem præsedit Quid inde conficis, Febroni?

De S. Chrysostomo probet Febronius 1. eum talia egisse in Ecclesia et episcopis sibi nullo modo subjectis. 2. Proprio jure et auctoritate. 3. Et quidem ordinaria, non extraordinarie pro conversione infidelium et hæreticorum, secus nihil agit; meminerit etiam Chrysostomum patriarcham orientis fuisse. Vid. quoque Niceph. Callist. hist. Eccles. lib. 13. c. 3. Cyrillus Alexandrinus, quantumvis magnus patriarcha, non propria auctoritate, sed ut Cœlestini P. legatus ad id specialiter deputatus, ejusque vice fungens Nestorium damnat, quod invicte demonstratur c. 2. § in nota.

Petrum Mongum scias utique, jubente Rom. Pontifice et consentiente Imperatore, ab Acacio depositum fuisse, quamvis postea, eodem Acacio auctore, iterum fuerit restitutus, propter quod Acacius dein etiam a Felice III. P. fuit anathemate mulctatus.

En Febroni! qualiter exempla tua omnia, quæ contra Rom. Pontificis auctoritatem pro tuo universali episcopatu affers, ubique ipsum Rom. Pontificem loquantur, ejusque universalem jurisdictionem, te etiam invito, demonstrent. Quid enim valuissent sine hujus auctoritate episcopi alienæ provinciæ contra exterum patriarcham? contra te ipsum ergo hactenus peroras. Jam

DE UNO EPISCOPATU IN SOLIDUM.

S. Cyprianus lib. de unitate sic scribit : *quam unitatem firmiter tenere et vindicare debemus,*

maxime episcopi, qui in Ecclesia præsidemus, ut episcopatum quoque ipsum unum atque indivisum probemus. — — — Episcopatus unus est, cujus a singulis in solidum pars tenetur. Similia epist. ad Antonian. Quæritur, quisnam sit sensus hujus indivisi episcopatus in solidum? si dicas, in hoc unico episcopatu non inesse plures peculiares episcopatus, tunc hoc utique falsum et ridiculum est. Si velis, in Ecclesia sic existere unum episcopatum, ut singulis episcopis in solidum sit pars in toto, tunc nihil præcipuum pro episcopis, nihil contra Pontificem agis. Quippe quivis episcopus partem in toto, non totum obtinet, et Rom. Pontifex, qui se dicit episcopum Ecclesiæ catholicæ, per hoc universam Ecclesiam tanquam unum episcopatum agnoscit. Si denique cum hæreticis fingas, totum orbem pro una diœcesi habendum esse, et omnes episcopos totius orbis episcopos esse; tunc sequitur, jurisdictione potestateque pares esse omnes. Cui sensui cum Paulo Suavi affinis est Febronius. Sic tom. 2. pag. 383. ait, *Christus Petro et apostolis orbem terrarum pro indiviso commisit.* Tom. 3. pag. 18. multis testimoniis probat, omnibus episcopis *universalem episcopatum* et *Ecclesiæ gubernationem* creditam fuisse. Tom 4. pag. 109. et seqq. ex Petro de Marca etc. asserit, a Christo omnibus et singulis apostolis *in solidum* Ecclesiam fuisse commissam, ita ut, etiam partitione diœcesium facta, *solidum jus administrationis* penes

unumquemque remaneret. Verum, secernamus ambigua. Theologi in apostolis duplicem ordinem apostolatus et episcopatus distinguunt. Ordo apostolatus importat quædam privilegia personalia et officium speciale. Sic quod fuerint ab ipso Christo singulariter vocati, testes suæ doctrinæ et miraculorum, Spiritu S. repleti, et in professione veræ fidei eruditi, infallibiles in docendo et scribendo libros canonicos, habuerint donum patrandi miracula, in gratia confirmati, hæc omnia privilegia personalia sunt. Porro ad officium apostolatus pertinet, prædicare evangelium in universo mundo, convertere, docere et baptizare omnes gentes, fundare ecclesias, atque in iis instituere episcopos et presbyteros, hasque regere et ordinare, quin eisdem sint affixi, et etiam postquam proprios jam habent episcopos et pastores. Sic Paulus Cretæ Titum, Ephesi Timotheum episcopos constituit, at nihilominus has adhucdum rexit, ordinavitque ecclesias.

Jam in hoc omnes conveniunt, episcopos apostolis in officio episcopatus, seu pastorali, non tamen quoad privilegia personalia, nec in officio apostolatus quoad omnia et ex asse successisse. Siquidem si in munere apostolatus etiam ex asse successissent, tunc ipsis indispensabiliter incumberet onus et obligatio per se ipsos prædicandi evangelium in universo mundo apud infideles et hæreticos in Asia, in Indiis et Americis etc. neque possent, vel deberent uni particulari eccle-

siæ affigi, quod nemo dicet, imo traditio, praxis et sensus totius Ecclesiæ contraria est, ubi statim post tempora apostolorum, et viventibus adhuc ipsis apostolis, singularibus affigebantur ecclesiis, quas regebant. Sic Paulus, postquam Titum Cretæ, Timotheum Ephesi episcopos constituit, ipsis non injungebat, ut mundum peragrarent, et apostolatus officium exercerent, sed ut in locis, ubi ipse evangelium prædicando jam multos convertit, et Ecclesiam congregaverat, hi officio episcopatus strenue fungerentur. Sic epist. ad tit. c. 1. ait : *hujus rei gratia reliqui te Cretæ, ut ea, quæ desunt, corrigas, et constituas per civitates presbyteros, sicut ego disposui tibi.*

Dein utrumque in munere episcopali instruit, dotes, officium episcopi atque diaconi rescenset, qualiter fidem et bonos mores promovere, hæreticis resistere, atque ipsi in Ecclesia Dei conversari debeant. Sic pariter Petrus epist. 1. c. 5. non præcipit episcopis, sicut apostolis dictum fuit, *docete omnes gentes, ite in universum mundum, prædicate evangelium omni creaturæ,* sed *pascite, qui in vobis est, gregem Dei.* Et S. Paulus act. 20. *attendite vobis et universo gregi, in quo Spiritus S. posuit episcopos regere Ecclesiam Dei.* In utroque textu per gregem non totus mundus vel universa Ecclesia intelligi potest, sed cujusvis Ecclesia particularis, et præcipue in textu S. Pauli, quo sæpius abutitur Febronius, per universum gregem non nisi tota Ecclesia Ephesina intelligi de-

bet, *in qua* positi erant episcopi et presbyteri, quos ibi solos alloquitur Paulus, et de qua sola sermonem habet. Interim omnes illos episcopos nullibi ad prædicandum aliis populis evangelium vel ad regimen totius Ecclesiæ evocatos fuisse, aut extra constitutas sibi diœceses potestatem suam extendisse legimus. Hoc nempe intererat inter munus apostoli atque episcopi; inde sequitur, non omne, quod de apostolis dicitur, et ad munus apostolatus specialiter pertinet, etiam ad episcopos referri debere.

Nihil igitur obest, si dicatur, quod et nos fatemur, apostolis orbem terrarum *pro indiviso* commissum esse, omnibus et singulis apostolis *in solidum* Ecclesiam universam fundandam, docendam et regendam traditam fuisse : attamen ab apostolis ad episcopos, et a ratione apostolatus ad rationem episcopatus non semper argumentari licet, secus episcopi primariæ suæ obligationi neutiquam satisfacerent. Hinc est, quod theologi dicunt, officium apostolatus in episcopis extraordinarium esse, etplenitudinem potestatis, quæ fuit in apostolis, in episcopos non manasse, sicut nec obligatio in universo mundo prædicandi evangelium in eos pertransiit. Scio, viventibus adhuc apostolis, et post eorum mortem, horum discipulos adhuc conversioni infidelium incubuisse, et Ecclesias particulares fundasse, quippe per ipsos apostolos nundum totus mundus evangelium audivit. Attamen nemo dicet, illos fuisse vere et pro-

prie apostolos, sicuti septuaginta Christi discipuli, etsi conversioni incubuerint, ecclesias fundarint et rexerint, non tamen erant, nec constituti sunt a Christo apostoli, sed solum illi duodecim, quos et apostolos nominavit Luc. 6. v. 13. His igitur discipulis non incumbebat obligatio prædicandi in universo mundo, sicut apostolis, attamen hos comitabantur : in conversione infidelium adjuvabant, et quando etiam aliquam civitatem et locum converterunt, ibi Ecclesiam, at non propria auctoritate et independenter ab apostolis vel successore Petri fundabant, atque ut episcopi regebant, eo modo, quo posterioribus temporibus viri quidam zelosi et Spiritu Dei repleti quosdam populos ad veram fidem convertêre. Igitur apostolatus cum episcopatu confundi non debet, et omnino falsum est, quod Febronius tom. II. in præfat. ait, apostolatum et episcopatum fuisse synonima. In apostolis quidem apostolatus cum episcopatu cunjunctus fuit, et omnes apostoli erant episcopi, at non omnes episcopi fuerunt apostoli; sic Titus, Timotheus, aliique discipuli Christi et apostolorum episcopi fuerunt, sed non apostoli, et his quidem in officio et auctoritate episcopatus, sicut cæteri omnes episcopi, non tamen in officio apostolatus ex toto successerunt.

Consequenter ad hæc dicta non penitus rejicio, sed potius assumo, quod Febronius ex Petro de Marca dissert. *de forma regim. Eccles.* nobis

opponit, nempe quod jus et potestas docendi et prædicandi per universum orbem morte apostolorum, prout in singulis existebat, extincta sit, sic tamen, ut in solo Petro, ejusque successoribus permaneret, vel etiam cum his in toto collegio episcoporum, præcipue tamen in Petro, ejusque successore. Petrus quippe constitutus est vertex non solum episcopatus, sed etiam apostolatus, dum ei præter communem aliis apostolatum adhuc specialiter ad pascendum et regendum commissus est universus grex, atque super ipsum tota Ecclesia erat ædificanda, quod privilegium in Petro non personale fuit, sicuti in cæteris apostolis, ejus morte finiendum, sed ad successores transiit, in quo tota ratio primatus consistit. Hinc solus Petri successor habet jus prædicandi et docendi universam Ecclesiam, mittendi viros apostolicos in totum mundum, fundandi novas Ecclesias. Sunt igitur episcopi apostolorum successores in ratione episcopatus, seu officii pastoralis, non tamen ex asse in ratione apostolatus, nempe quoad totam plenitudinem potestatis, sed solum quantum ad gubernandas diœceses particulares necesse est. Nihilominus hisce limitibus non ita coarctatur illorum potestas, ut si in vicina diœcesi omnino deficiat pastor, aut periculum subversionis urgeat, extraordinarie eam eo usque extendere non possit ac debeat : quippe hæc non tam locorum terminis, quam ordinatione primatis et vicarii Christi et Ecclesiæ restringitur, in quo

casu semper adest consensus illius, cui incumbit cura et ordinatio omnium ecclesiarum.

Ex dictis sententia catholica de jurisdictione Papæ mire illustratur, atque inde quatuor sponte fluunt. 1. Dum non omnia jura et privilegia apostolorum in discipulos et successores episcopos manarunt, etiam de his non omnia, quæ de apostolis, dici possunt, ideoque apostolatus cum episcopatu confundi non debet. 2. Dum plenitudo potestatis in universum orbem inter omnes apostolos æqualis fuit, hinc patet, quo sensu a SS. Patribus omnes apostoli dicantur æquales in honore et postestate. At, quia hæc plenitudo potestatis, ut cum theologis Petrus de Marca recte ait, cum morte apostolorum extincta fuit, nec in singulos successores manavit, ideo hi non in eodem sensu dici possunt æquales, et ab hac æquali et universali potestate argumentum non procedit ad successores apostolorum. 3. Quia apostoli hanc plenitudinem potestatis in universum mundum a Christo immediate acceperunt, hinc in ejus exercitio a Petro non dependebat. Nempe quivis apostolus poterat prædicare, fundare, ordinare ecclesias, constituere episcopos propria auctoritate, sed non ita, ut hæ ecclesiæ semel constitutæ et eorum episcopi primatui non subordinarentur, et nullo modo a Petro dependerent. Unde levissimi momenti est, et æquivocatione non caret, quod semper urget Febronius, apostolos ecclesias fundasse, ordinasse episcopos nullibi in-

terveniente Petro, quod verum est, quia ex plenitudine potestatis agebant : attamen apostoli non poterant facere, ut hæ ecclesiæ et episcopi essent singulares et non subordinatæ Petro tanquam primati universali. Dum vero hæc plenitudo potestatis in episcopos successores non pertransiit, hinc isti ne quidem novas ecclesias fundare, et episcopos constituere possunt, non interveniente successore Petri. 4. Non obstante hac plenitudine potestatis in apostolis Petrus adhuc constitutus fuit princeps apostolatus et episcopatus, ut si quid minus rectum in prædicatione, doctrina et ordinatione ecclesiarum ab apostolis intervenisset, Petrus corrigere potuisset ac debuisset. Unde etiam circa ipsos apostolos actus hierarchicos exercuit. Ipse in locum Judæ novum apostolum eligendum ordinavit, et in hunc finem concilium celebravit, de quo S. Chrysost. hom. 3. in acta apost. ait, Petrum etiam per se potuisse eligere novum apostolum Matthiam. Paulus, quanquam a Deo singulariter vocatus, non prius munus apostolicum exercere ausus fuit, nisi postquam Petro de sua missione divina et apostolatu rationem dedisset. Petrus Hierosolymis apostolos in concilium coegit, atque præsedit. Porro, quoniam Christus primatum Petri voluit esse perpetuum, hinc plenitudo potestatis, quæ fuit in Petro, in ejus successores pertransiit, quod de aliis apostolis dici nequit, atque hoc sensu dicitur, Papam vocari in plenitudinem potestatis, episcopos vero tan-

tum in partem sollicitudinis, nempe, respective ad universam Ecclesiam, prout etiam S. Bonaventura sermon. 24. in Hexam. ait : *sola Roma universaliter sicut sol super planetas habet plenitudinem potestatis super omnes ecclesias.*

Solus ergo Papa ex plenitudine potestatis potest docere totam Ecclesiam, prædicare evangelium infidelibus per se vel missos apostolicos ubique in toto mundo, novas ibi erigere ecclesias, et episcopos instituere, item vi primatus ubivis corrigere errores, supplere defectus, punire inobedientes, statuere leges salutares, et alia facere, quæ ad bonum ordinem et regimen totius Ecclesiæ spectant.

Postquam igitur jura apostolatus, quæ in successores non manaverunt, secrevimus ab officio pastorali seu episcopatus, quæ confundi non debent, jam facile patebit, quid sentiendum sit de *uno indiviso episcopatu in solidum?* certe in hoc sensu non potest dici unus universalis episcopatus, ut totus mundus sit una diœcesis respectu singulorum episcoporum, hique habeant potestatem et jus pastorale officium exercendi in toto mundo. Siquidem, ut dixi, hæc plenitudo potestatis fuit jus personale in apostolis, quod ad apostolatum pertinebat, non tamen in successores transiit, sed a solo Petro in suos successores manavit.

Itaque est unus episcopatus tum ratione ordinis et characteris, quo quivis episcopus redditur

idoneus ad hujus ministeria in quascunque orbis partes exercenda, si legitime eisdem admoveatur, tum ratione speciei et officii pastoralis, quia, ut recte ait Annatus in apparat. ad theolog. positiv. Ordo episcopalis est unus specie, qui dein numero est divisus in singulis episcopis, a quibus ut veris titularibus et solitariis, et non ut a vicariis ad nutum mobilibus tenetur, ita ut quilibet episcopus episcopatum unum habeat, qui est pars subjectiva episcopatus in communi et in specie considerati, quod non impedit, quo minus rom. episcopus primatum habeat super alios, cum suum episcopatum non teneant cæteri, nisi cum dependentia et subordinatione ad ipsum. Siquidem, sicut in universo mundo unus est grex, unum ovile, sic etiam unus est episcopatus seu officium pastorale, cui præsidet pastor universalis vicarius Christi, et sub hoc sunt veri pastores, quorum quilibet tenet partem totius gregis, sic tamen, ut non separatum ovile constituat, distinctam cathedram contra communem cathedram erigat, sed officium suum ad normam et leges, atque in bonum totius ovilis impendat, quod utique idem est ac regere non quidem gregem totum, sed tamen partem in solidum.

Si dicerem, in imperio Germanico principes multos esse, sed imperium unum, cujus a singulis pars in solidum tenetur, nullus hoc ita intelliget, quod cuilibet jurisdictio in totum im-

perium pateat, sed quod quilibet suum principatum sic regat, ut tamen hic cum toto imperio conjunctus sit, atque in bonum totius ordinetur.

At revera talis est sensus Cypriani de uno episcopatu in solidum. Quippe objecto loco lib. de unit. eccles. totus in eo est, ut unitatem Ecclesiæ demonstret, in quem finem nullo alio argumento utitur, quam quod una cathedra in Petro sit constituta, quam qui deserit, aut contra eam aliam constituit, schismaticum, et ne quidem Ecclesiæ membrum esse. Sic enim l. c. habet: *Schismata et hæreses non aliunde ortæ sunt, quam quia ad originem veritatis non reditur, nec caput quæritur.* Dein ait, hoc facile probari posse, nec multis argumentis opus esse. Quomodo autem probat? ex primatu Petri. *Exordium ab unitate proficiscitur, primatus Petro datur, ut una Christi Ecclesia, et una cathedra monstretur. Hanc unitatem Ecclesiæ qui non tenet, tenere se fidem credit? quam unitatem firmiter tenere et vindicare debemus, maxime episcopi, qui in Ecclesia præsidemus, ut episcopatum quoque ipsum unum atque indivisum probemus. — — Episcopatus unus est, cujus a singulis in solidum pars tenetur.* Ecce in Petro unitas episcopatus quæritur, et Cyprianus unitatem Ecclesiæ probat ex primatu Petri et una cathedra, quæ in Petro constituta fuit, siquidem ibidem ulterius ait, *ut* Dominus *unitatem manifestaret, unam*

cathedram constituit, et unitatis ejusdem originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuit. Hanc unitatem in Petro tenere et vindicare debent omnes episcopi, ut unus episcopatus probetur. Quid hoc aliud est, quam unam esse cathedram et episcopatum in Petro tanquam in capite, origine ac fonte, in quo omnes episcopi conspirent, et tanquam aliquo vinculo colligentur, sic ut omnes episcopi hujus unius episcopatus partem teneant, non quasi separatam, *sed in solidum*, seu cum toto conjunctam, quæ cum centro unitatis, seu primatu Petri, ubi est origo episcopalis unitatis, firmiter cohæreat. Hic sensus manifeste patet ex ipsis verbis Cypriani. Id ipsum dein aptis exemplis solis, arboris et fontis demonstrat S. Pater, multos esse radios solis, sed unum solis lumen, multos ramos arboris, sed unam radicem, multos rivos, sed unum fontem, ita etiam in Ecclesia unum caput esse, unam originem et matrem fecunditatis. Igitur totus quantus noster est Cyprianus, qui in objecto loco non solum primatum Petri egregie firmat, sed etiam eum caput, originem et fontem totius episcopatus esse comprobat.

Febronius tom. IV. pag. 115. *hanc explicationem ineptam* dicit, præcipue dum a sole, arbore, fonte exempla sumuntur. Quippe *hæc omnia neque explicant, neque exhauriunt illud Cypriani de episcopatu singulorum in solidum.* Ergo omnino vel cæcutit, vel frontem obduravit Febro-

nius. Illa explicatio Cypriani inepta sit, quæ ex ipsis verbis Cypriani petitur? illa exempla sensum non exhauriant, quibus ad eum explicandum et exhauriendum ipse usus est Cyprianus? anne Febronius, aut alius quisque jurisconsultus mentem Cypriani aptius et verius explicare poterit, quam ipse Cyprianus?

Repeto, noster est Cyprianus, atque in hoc sensu etiam Innocentius I. scripsit ad concil. Carthag. *Scientes, quid apostolicæ sedi debeatur, a qua ipse episcopatus et tota auctoritas nominis hujus emersit.* In hoc sensu S. Leo serm. 3. in anniv. Assumpt. *Quamvis in populo Dei multi sacerdotes sint, multique pastores, omnes tamen proprie regat Petrus, quos principaliter regit et Christus.* Et idem Innocent. I. epist. ad concil. Milevit. *Omnes fratres et coepiscopos nostros non nisi ad Petrum, id est, sui nominis et honoris auctorem referre debere.*

E contra, in sensu adversariorum, in quo quivis episcopus habet jus *in solidum* administrandi, docendi, gubernandi totam Ecclesiam, æqualem curam universi, unitas deperditur, quam per suum indivisum episcopatum *in solidum* tantopere commendat Cyprianus; quippe sic quivis propriam et singularem cathedram contra cathedram in Ecclesia erigere, quod unus ædificat, alter destruere, quod unus ligat, alter solvere, quod unus condemnat, alter absolvere posset, quod utique menti Cypriani directe repugnat.

Neque huic confusioni satis obstare possent partitio diœcesium, canones et leges humana auctoritate factæ, si hoc jus et obligatio jure divino episcopis originaliter competeret. Igitur potius præsumendum est, tale jus et obligationem jure divino omnino non existere, quod unitati tantopere necessariæ, et a Christo institutæ penitus adversatur. An non tale jus universale et plenitudo potestatis in totam Ecclesiam, quæ, ut dixi, fuit in apostolis, jam tempore ipsorum apostolorum ansam dederunt scissionis et litium, ut unus diceret, ego sum Apollo, alius, ego sum Pauli, alius Cephæ, quos compescere debuit Paulus, ostendens omnes esse Christi in unitate fidei et baptismi? nunc pariter omnes sunt Christi. At, deficiente post apostolorum tempora in singulis episcopis infallibilitate doctrinæ, de nulla particulari cathedra quis securus esse potest, quod sit Christi, ut igitur ostendi possit, quinam, et quare sint Christi, necesse fuit, constitui unam cathedram, quacum omnes aliæ particulares conjunctæ sint, et quasi in unum coalescunt, quæ cathedra tanquam signum sit, quo demonstrari possit, ubi sit vera fides et doctrina Christi. Hæc autem cathedra alia non est nisi romana, seu cathedra primatus Petri, in quam solam tota plenitudo potestatis, firmitas doctrinæ et fidei, quæ in Petro fuit, descendit, et perpetuo inhæret.

Tandem tacere non possum, Febronium S.

Hieronymo hìc et alibi abuti, dum ait, potestatem episcopi *Eugubensis* tam late se extendere, quam episcopi *romani*, episcopum *Rhegiensem* æque totius Ecclesiæ episcopum esse ac Constantinopolitanum. Non ita Hieronymus, sed ejus verba epist. 85. ad Evagri sunt : *ubicunque fuerit episcopus, sive Romæ, sive Eugubii — — — ejusdem meriti, ejusdem est et sacerdotii.* Nihil hìc de potestate, sed solum de merito et sacerdotio episcopi. Quid hæc innuunt, in ordine et charactere omnes episcopos æquales esse, atque vi ordinis quemlibet episcopum idoneum esse ad administrandam Ecclesiam ubivis in toto orbe, sed non universam Ecclesiam, quod non ad episcopatum, sed ad primatum pertinet, seu ad episcopum primatus, in quo episcopatus cum primatu conjungitur.

§ II.

Non omnia, quæ Rom. Pontifices in aliorum diœcesibus gessêre, præcise vi universalis primatus egisse, aut sua auctoritate perfecisse censendi sunt plura quædam devolutionis jure susceperunt, quæ ad jus ordinarium minime pertinent.

Supposito episcopatu indiviso, etiam post divisionem diœcesium cura fidei ubivis multo magis tenet primatem, qui non solum coram Deo, sed etiam coram corpore Ecclesiæ de gravi negligentia, in sublimi munere admissa respondere te-

netur. Quæ igitur Rom. Pontifex extra suam diœcesin, provinciam vel patriarchatum pro sustinenda fide, reprimenda hæresi, canonum universali manutentione et executione egisse legitur, haud specialiorem in agente et proprie dictam, eamque immediatam jurisdictionem involvunt, quamvis hæc minus peritis sint ansa erroris, quasi talia sine ordinaria in agente, et immediata in omnibus diœcesibus jurisdictione tractari haud potuissent.

1. In quavis societate singulis membris jure naturali incumbit obligatio procurandi observationem legum communium. Quia vero hæ communiter negliguntur, hinc convenit, ut unus ex officio reliquis intendat, et legum executionem urgeat, qui dein non tam in præmium laboris, quam ut pondus addatur suis admonitionibus, reliquis præferatur honore, loci præeminentia, imo auctoritate dicendi.

2. Talis est etiam specialis obligatio roman. Pontificis, sese objiciendi irruentibus erroribus et vitiis, de cujus neglectu Ecclesia ab eo rationem poterit exigere. In hoc sensu dixit S. Gregorius, *cunctos christianos, ubi peccant, sedis apostolicæ correctioni subjectos esse.*

3. Huc pertinet jus primæ Sedis præeundi, seu primam sententiam promendi etiam extra concilium.

4. Extraordinario quodam devolutionis jure plura juste suscipiebant supremi Pontifices, ni-

mirum urgente necessitate, aut suadente manifesta Ecclesiæ utilitate, quæ ad jus ordinarium ita trahi non debent, nec possunt, quasi Pontifex ea regulariter, et quævis occurentia in alienis diœcesibus agere, sicque cum ordinariis concurrere, eos prævenire, vel omnino excludere posset. Citatur in finem Thomassinus in respons. ad not. script. anonymi.

NOTA.

Igitur Rom. Pontifex ratione sui primatus non habet majus jus vel jurisdictionem in totam Ecclesiam, quam cæteri episcopi vi indivisi et communis episcopatus, nisi quod ei tale jus exercere magis conveniat, aut incumbat, tanquam primati, unde consequens est, primatum nullam jurisdictionem importare, Papam et episcopos in suis juribus omnino æquales esse, hos ea omnia posse in universo mundo, quæ Pontifex, nisi quod hæc exercere Papæ tanquam primo magis conveniat. Sic falsis suis suppositis semper inædificat Febronius.

Negavimus supra illum indivisum et communem episcopatum in sensu Febronii, quod quivis episcopus habeat potestatem jura episcopalia et functiones hierarchicas exercendi in tota Ecclesia *independenter a consensu vicarii Christi*, et quod hæc potestas solum jure humano, facta nempe partitione diœcesium, restricta sit. Hæc quippe

plenitudo potestatis, quæ in apostolis extraordinaria, atque ad prædicationem evangelii et conversionem totius mundi necessaria fuit, ad officium apostolatus pertinebat, et ad successores episcopos non pertransiit.

Quod autem episcopi, urgente necessitate vel utilitate Ecclesiæ, quandoque extra suas diœceses talia possint, nihil probat, quia tunc necessario adest, et præsumitur consensus primatis universalis, quem consensum episcopatus universalis in sensu Febronii excludit, sic ut episcopi per se et proprio jure hæc possint.

Demonstravimus dein cap. 2. primatum Petri cum jurisdictione divinitus conjunctum esse : sicut autem hic primatus, ita et jurisdictio cum ea conjuncta, universalis est; quidquid ergo Pontifices vi universalis primatus in Ecclesia gesserunt, ordinaria et competente sibi jurisdictione egisse censendi sunt, quippe non ut episcopi particularis Ecclesiæ, sed ut primates universales auctoritatem interponebant, uti ipsi ubivis in suis epistolis testantur. Febronius cum in his gestis Pontificum jurisdictionem negare non posset, lubentius episcopis omnibus etiam potestatem universalem in totam Ecclesiam concedit, quam ut specialem in primatu Petri admittere debeat.

Denique unde Papa de gravi negligentia in officio primatus coram corpore Ecclesiæ rationem reddere tenetur, quando potestatem sui primatus nec ab Ecclesia, sed a Christo accepit, nec

hæc ab Ecclesia limitari aut coarctari potest, nec ullibi ex scripturis sufficienter probari possit, quoad primatum Ecclesiæ subjectum esse?

Ait quidem Febronius tom. apolog. advers. 4. theolog. pag. 183. et alibi, Ecclesiam posse potestatem Papæ, quoad usum, declarare, determinare, regulare. Citat Gersonem, Card. Cusan., Tostatum, Escobar, Dionys. Carthus., etc. Suntne hi illi Patres et traditio constans Ecclesiæ, quibus se inniti promiserat? quanti ponderis sint hæc testimonia et privatæ auctoritates non expendo: Mamachius lib. 2. epist. 3. contra Febronium, eosdem ei non favere, adductis textibus erudite ostendit. Dein omnes loquuntur in systemate, quod Pontifex sit subjectus Ecclesiæ et concilio. Contrarium jam probavimus, et ultra demonstrabitur. Certum est, Rom. Pontificem suam potestatem et jura non accepisse ab Ecclesia, quam doctrinam catholicam esse ostendimus cap. 1 et 2. Neque eam potestatem in exercitio et usu ab Ecclesia dependere voluit Christus, quod itidem hactenus convincenter probatum fuit. Igitur ab Ecclesia regulari aut determinari non potest. Nec quidquam valet comparatio allata *cum episcopis*, quod et illorum potestas sit a Deo: nam certe etiam, non diffitente Febronio, episcoporum potestas, quoad usum, subordinata est, quod de potestate Papæ ratione primatus hucusque probare non potuit. Eod. t. II. in respons. ad epist. Ladislai pag. 91. ubi Papam

canonibus vult subjicere, ait : *dic mecum, Ecclesiam regere ordinarie per Papam et episcopos non congregatos, extraordinarie per congregatos. Hæc forma constans est.* Ignoscat Febronius. Hæc forma, minus dico, falsissima est : quid est illa Ecclesia regens, si præscindas Papam et episcopos, hosque facias intermedios et executores ejusdem potestatis ? non Ecclesia regit, sed Christus regit Ecclesiam per Papam et episcopos. Ad quid enim suî *vicarium* constituit, si non ipse sit *rector* ? hæc vera norma et constans doctrina Ecclesiæ catholicæ est.

Ad 1. Hæc satis indeterminata sunt. Ex tali ratiocinio, si in solo jure naturali et legibus convenientiæ sistamus, nulla jurisdictio proprie dicta etiam in civilibus exurgit, sed omnia communi consilio ac voluntate ordinantur. At hìc non quæritur, quid in Ecclesia jure naturali præcipiatur, aut conveniens sit, sed quid a Christo, Ecclesiæ fundatore, constitutum fuerit.

Ad 2 et 3. Hinc etiam ex solo jure naturali et convenientia non potest determinari potestas et obligatio capitis Ecclesiæ, minus verba Gregorii M. ad hunc solum sensum adaptari. Dicat Febronius, quare Gregorius asserat, cunctos christianos *sedi apostolicæ*, et non potius *Ecclesiæ*, vel omnium episcoporum correctioni subjectos esse, si Papa non plus valet, quam reliqui episcopi in tota Ecclesia ? et unde probat, hanc subjectionem in sensu Gregorii esse solum *convenientiæ*, non *necessitatis* ?

Ad 4. D. Barthel. annot. ad jus can. l. 1. tit. 10. ait, jus devolutum esse translationem juris inferioris ad superiorem ob delictum vel negligentiam. Febronius tom. 2. ad epist. Ladislai pag. 102. etc. pariter ait, *devolutionem* esse jus inferioris prælati ab hoc neglectum, et ideo gradatim pergens ad altiorem, qui suppleat negligentiam inferioris, non in perpetuum, sed pro hac vice tantum, qua neglectum est, quia in radice semper manet in eo, a quo devolutum est. Opponit Italus epist. 9. pag. mihi 141., devolvere idem non esse ac conferre, consequenter quando concilia vel episcopi ad Rom. sedem causas suas devolvunt, ei non conferunt jurisdictionem super causarum expeditione, sed resignant supremæ jurisdictioni nova argumenta, sive recentes materias exhibent, super quas jurisdictio papalis judicia sua extendat.

Respondet Febronius tom. 3. pag. 46. hæc verba nihil proficientia esse. Habet Pontifex sua jura et auctoritatem, sed non indefinitam, habent sua jura episcopi, metropolitani, concilia omnis generis. Vetant autem canones, ne alter alterius fines invadat, ipso invito. Verum, nec ista Febronii verba quidquam proficiunt, præprimis certi esse debemus, unde et quæ jura habeant Papæ, episcopi et omnis generis concilia? ubi illi canones, qui Rom. Pontifici tanquam primati universali vetant, sua jura exercere extra fines sui particularis episcopatus, nominet tales,

si possit? Dein Italus tantum voluit, talia jura, quæ a Febronio dicuntur *devolvi*, non *transferri*, aut *noviter dari* summo Pontifici, sed in eo jam præexistere, hoc vero probat ex ipsis verbis Thomassini, qui a Febronio nobis objicitur, et loco cit. ait: *si qua potestas dicitur quoad usum et exercitium devenisse, aut devoluta esse a conciliis ad summum Pontificem, non eo significatur ab illis ei collata esse.*

Metropolitani et synodi provinciales multa jure devolutionis exercere possunt, verum hanc potestatem non habent ex se, sed jure tantum ecclesiastico, hinc illud jus in alio casu vel aliter, quam per canones statutum est, exercere nequeunt, unde jus devolutum e. g. in metropolitano *extraordinarium* est, quia, ut ipse fatetur Febronius, perpetuum non est, et regulariter iterum redit ad eum, a quo devolvebatur. At de Pontifice aliter loquimur. Hic enim ex natura et vi primatus universalis habet jurisdictionem universalem in totam Ecclesiam, uti c. 2. in not. demonstravimus: hæc igitur jurisdictio a solo Christo Domino collata nec ad tempus nec ad locum restringitur, atque per se subintrat ad supplenda vel corrigenda jura neglecta aut male exercita; unde in Papa jus hoc ordinarium est, nec proprie *devolvi* dicitur, quia in ejus officio et jurisdictione universali jam continetur. Tota igitur quæstionis hujus decisio in eo vertitur, utrum Pontifex habeat *primatum jurisdictionis?* quod

nos c. 1 et 2. demonstravimus, hactenus autem perperam negavit Febronius.

At dices, hinc sequi, Pontificis potestatem esse absolutam, illimitatam et arbitrariam. Ad hoc jam semel respondi: arbitrariam esse simpliciter nego. In hoc autem sensu, quatenus universalis est, ab Ecclesia non promanat, nec eidem subjecta est, absolutam ex se quidem et illimitatam assero, attamen non arbitrarie exercendam, sed ex jure præstabilito, non quidem ecclesiastico, sed naturali et divino, quia nempe solum vicaria est, data in ædificationem, non in destructionem.

Debet esse in Ecclesia potestas plenaria et perfecta, quæ ubivis in omni casu, loco et tempore, si quid desit, possit supplere, si quid inordinatum, corrigere, si quid dubium, resolvere, si quid erroneum, dedocere: at ut sese exerat, debet adesse causa, atque in suo exercitio tendere ad finem sibi a potestatis auctore præscriptum. Idcirco insulsa et vana sunt, quæ Febronius tom. 3. tit. 3. § 6. respondet, *quod sic Papæ nunquam valeat objici, eum in jure petere nimium, quippe cui debentur omnia, quodque episcopi et quicunque alii, saltem quoad usum et exercitium, sua jura ab illo precario obtineant.* Siquidem nimium non petit defectu potestatis, sed nimium petere potest defectu causæ sufficientis, quia potestas summa et universalis tunc subintrat, quando particularis et inferior vel omnino cessat, vel errat,

aut insufficiens est; ex quo ipso sequitur, quod episcopi sua jura a Papa non *precario* obtineant, vel exerceant, sed tantum, quod sint limitata et subordinata, sic tamen, ut ea intra suas diœceses proprio jure et plenarie exercere valeant.

Memorat dein Febronius, quandoque jura etiam ad inferiores devolvi. Quid tum? certe regulariter jura inferiorum devolvuntur semper ad superiorem; quod si aliquando a superiore ad inferiorem, id sit speciali juris dispositione, et propter urgentem necessitatem vel utilitatem Ecclesiæ, vel ex tacito consensu, taleque jus semper extraordinarium erit. At jam diximus, ad Papam jura inferiorum non proprie devolvuntur, sed hoc jus inferiorum jura supplendi ejus primatui et jurisdictioni universali per se inhæret; neque ad hoc indiget speciali juris dispositione, quia in ejus officio esse reputatur. Miror, quod Febronius alicubi in exemplum afferat parlamentum Parisiense, quod in casu, quo Papa illegitime negaret bullas confirmationis episcopis a Rege nominatis, archiepiscopo vel uni ex episcopis provinciæ injungere posset, suppleri defectum Pontificis, qui si recusaret, etiam auctoritate regia ad id compelli deberet.

An quæ in Gallia quovis tempore sunt attentata, ubivis pro jure vendi et invalescere debent? quæso, ubi sunt canones, qui talem modum supplendi præscribunt? quænam et unde erit illa potestas supplendi? num canones docent, quod

causæ ecclesiasticæ ad forum civile trahi, et ab eodem jura ecclesiastica dispensari valeant? an libertas Ecclesiæ Gallicanæ in hoc fundatur, ut dum ista cum capite Ecclesiæ colliditur, sese potestati civili subjiciat, et in juribus suis ab ea dependeat? Multa in Gallia facta sunt, sæpiusque lites sacerdotium inter et Imperium exortæ, sed nunquam non potestas civilis a primo fervore non parum remisit, quia semper observatum fuit, media arrepta non nisi ad schismata tandem viam sternere. Talia igitur principia cæteris populis, a quibus fors Gallorum moderatio exspectanda non erit, an suadenda sunt, aut conducere possunt? verum, de his alibi.

§ III.

Varia etiam præter vel contra statuta canonum in alienis diœcesibus acta leguntur, quæ in exemplum trahi non debent. Nonnulla ex speciali privilegio et prærogativa exercebantur, quæ ultra fines privilegii extendi non possunt.

Altera cautela est, ut non a *factis*, sed a *jure* normam sumamus, negari non potest, quod extent exempla, rom. præsules tantumdem fere auctoritatis et potestatis in alienis diœcesibus exercuisse, quantum proprios horum ordinarios. At genuina Pontificum potestas non debet judicari ab eo tempore, quo nullis credebatur circumscripta limitibus, sed ex actis conciliorum, ex

sententia doctorum Ecclesiæ, ex proprio Pontificum judicio, attamen quod ferebant ante tempora ignorantiæ. Minus a particulari jure aut privilegio etiam legitimo concludi potest ad jus universale. Sic Pontifex etiam primis sæculis promovit ad clericatum quoscunque episcoporum diœcesanos. At tale jus etiam competebat aliis patriarchis et primatibus, Constantinopolitano, Carthaginensi etc.

1. Hodie non tam facile est, veros fines romani primatus et jurium ei annexorum determinare; quia per theologos et canonistas, post Gratiani et Isidori asserta, primatus, quatenus ex jure divino est, confusus fuit cum novellis opinionibus, quæ ex singularibus juribus, partim veris, partim suppositiis, unum systema monarchicum conflantes, Pontifici infinitam potestatem adjiciunt. Provide igitur hujus ædificii partes secandæ sunt, ne vera cum falsis, apta cum ineptis in una mixtura repræsententur.

2. Si alieni clerici ordinabantur, non licuit eos peregrinis, sed tantum suis patriarchalibus aut primatialibus ecclesiis destinare, quod multum abest ab exercitio propriæ et ordinariæ jurisdictionis in alienis diœcesibus.

NOTA.

Sic ratiocinamur de omni jurisdictione, quæ non suprema est; at in jurisdictione suprema

sæpe facta etiam jura sunt, seu jus probant. Interest autem inter potestatem supremam, civilem et ecclesiasticam, quod hæc, quoad institutionem, conservationem, finem et specialem assistentiam, nempe, quatenus Christi vicaria est, quodammodo divina censeatur. Tantum quæritur, utrum talis potestas in Ecclesia existat, atque in successore Petri resideat? Febronius hæc negat, et in hac suppositione totus iste paragraphus se fundat. Nos superiori capite id non solum asseruimus, sed etiam demonstravimus. Dum igitur potestas hæc suprema et universalis, quamvis vicaria, jura sua non ab Ecclesia recepit, nec etiam inde normam sumere, vel de iis judicare debemus. Interim adversarius, qui exempla hujus potestatis supremæ negare non potest, quot exceptiones facit, ne ipsam potestatem et jurisdictionem admittere debeat? modo facta vocat, modo privilegia, vel jura particularia. Attamen obsequimur Febronio, et jura Pontificii primatus *non ad tempora ignorantiæ et Isidori decretales*, sed ad antiquissima Ecclesiæ tempora, acta conciliorum, sententiam doctorum (non tamen schismati faventium vel aliquo stigmate notatarum, quales ipse sæpe producit) dein ad praxin et judicium veterum Pontificum expendemus, et jam expendimus. Egimus autem hoc jam integro priori capite de primat. Rom. Pontif. et per decursum adhuc plura exempla dabimus.

Male argumentatur Febronius a jure particu-

lari aut privilegio alicujus primatis vel patriarcharum ad jura Rom. Pontificis, e. g. quod liceat ei clericum, unde voluerit, ordinare. De Carthaginensi episcopo tale privilegium legimus in concilio Carthaginensi sub Aurelio episcopo. Patriarchis id pro jure suo competebat, quia sæpe debebant ecclesiis episcopos vel presbyteros dare, et si dignos vel sufficientes in propria non inveniebant, alios aliunde ordinare necesse fuit, ne Ecclesiæ pastoribus et ministris destituerentur. At tale privilegium pro Rom. Pontifice ubinam scriptum, vel ei concessum reperitur? si vis, eidem tanquam patriarchæ competiisse, sicque Papæ commune esse cum aliis patriarchis. Quæro, et unde patriarchæ hoc jus habebant? in nullo concilio tale quid statutum vel eis concessum legimus. Et jura patriarchalia quid aliud sunt, quam quædam participatio et imitatio primatus universalis? utquid ergo primatui universali negas, quod patriarchæ eodem ex fonte hauserunt? de quo amplius cap. 4. Interim manifeste falsum est, tales clericos non licuisse peregrinis, sed tantum suis ecclesiis destinare. Constat enim ex actis minime dubiis, quod Rom. Pontifices a S. Lino usque ad Innocentium I. *ordinationes* celebraverint, et ordinaverint episcopos, presbyteros et diaconos per diversa loca, et etiam posterioribus temporibus quod alienos clericos pro aliis ecclesiis ordinaverint, et dederint episcopos, quorum catalogum referre immensum foret.

Quando igitur Febronius *jura* Rom. Pontificis, quæ negare non potest, tantum *particularia* et *privilegia* vocat, dico ei, hoc falsissimum esse, nullum concilium, ne quidem Nicænum ausum fuisse Rom. Pontifici aliquid addere vel conferre. Sic Bonifacius I. epist. ad episcopos Thessaliæ, ait: *Nicæna synodus non aliquid supra eam* (Ecclesiam romanam) *ausa est constituere, cum videret, nihil supra meritum suum posse conferri; omnia denique huic noverat Domini sermone concessa.* Et Nicolaus I. epist. ad Michaël. Imp., quæ lecta et laudata fuit in synodo generali VIII. sic scribit: *Privilegia istius sedis vel Ecclesiæ perpetua sua sunt, divinitus radicata, atque plantatæ sunt, impingi possunt, transferri non possunt. — — — Ista igitur privilegia huic sanctæ Ecclesiæ a Christo donata, a synodis non donata, sed jam solummodo celebrata et venerata.* Vides, unde rom. sedes sua habeat privilegia? fallitur ergo Febronius, quando nonnulla a Rom. Pontificibus exercita ad particularia privilegia et prærogativas refert, dum nulla talia a conciliis, ab Ecclesia habet; et multo magis fallitur, quando illa ad jus universale et ultra fines privilegii extendi non vult, cum tamen alia non sint, nisi jura et privilegia primatus a Christo donata. Vel ostendat, quænam sint ista privilegia particularia, ubi et quando concessa, quæ ad jura primatus non pertineant? Jura igitur primatus non in jure ecclesiastico aut canonibus, tanquam in origine

sua, sed in traditione, praxi, dictis et factis veterum Pontificum et Patrum quærere debemus, quamvis et veteres canones traditioni innixi de iis quandoque mentionem faciant. Febronio, qui ait, *hodie non tam facile esse, veros fines rom. primatus et jurium ei annexorum determinare*, satius fuit, ea omnino negare, retento solum nomine primatus : nihilominus dicta et gesta veterum Pontificum, quæ ad nos usque pervenêre (multa quippe vel notata non sunt, aut interieruńt) ante omnes Isidori decretales tot, tanta ac talia sunt, ut totum Febronii systema convellant. De his, ut jam dixi, plura suo loco dabimus, et videri potest supra c. 2. Cæterum, ex dictis jam constat, a particularibus privilegiis episcoporum et metropolitanorum ad primatum et privilegia Rom. Pontificis neutiquam concludi, quippe illi sua privilegia ab Ecclesia vel ab ipso Rom. Pontifice habent, iste ab Ecclesia illa non habet, sed in primatu universali jam includuntur, unde, respectu Papæ, privilegia non sunt, sed ad jus ordinarium pertinent.

§ IV.

Antiqua ratio excommunicandi, ejusque jus non erant effectus jurisdictionis respectu excommunicati.

Ecclesiæ olim inter se communicabant tum per litteras communionis sibi invicem datis, tum per

benignam susceptionem eorum, qui ab externis ecclesiis veniebant, et concessa eis communione. Hoc communionis commercium ut facilius innotescere et servari posset, fiebat præcipue per magnas quasdam sedes. Sic ecclesiæ orientales cum occidentalibus communicabant per patriarcham *Antiochenum* specialiter communione junctum cum *Romano* : Ægyptii per *Alexandrinum* communicabant cum *Romano*, et occidentales omnes cum orientalibus et Ægyptiis itidem per *Romanum*. Hanc communionem probat auctor ex Basilio, Optato Milevitano, Augustino, Cypriano, Patribus concilii Aquileiensis anno 381. Sic romana Ecclesia erat *punctum*, in quo et per quod reliquæ ecclesiæ inter se communicabant, sed hæc communionis jura dirigebantur regulis ab universali Ecclesia dictatis. Huic ecclesiarum *communioni* opposita est eorundem *excommunicatio*, nempe, dum propter perversam doctrinam vel disciplinam alicujus episcopi vel ecclesiæ nuntius mittebatur ejus communioni, vel rejiciebantur, qui inde veniebant. Hac ratione Ecclesia romana alias ecclesias sæpe excommunicabat, sicut quivis alius episcopus episcopum aut Ecclesiam sive vicinam, sive longe dissitam, absque ulla jurisdictionis specie vel umbra.

1. Sic Cyrillus Alexandrin. epist. ad Cœlestin. P. sciscitabatur, utrum cum Nestorio communicare oporteat, et quamvis hic rejectus fuerit a communione, ultimum tamen judicium de ejus fide

ab Ephesina synodo prolatum est. Sic Ursacius et Valens, teste Epiphanio, hæresi 68. a Julio I. Chrysostomus a Theophilo Alexandrino et synodo ad Quercum exauctoratus, ab Innocentio I. Venerio Mediolanensi et Chromatio Aquileensi communionem petierunt.

2. Si Rom. Pontifex sine legitima causa excommunicationem ferret, tunc excommunicatus pro schismatico habendus non esset, dummodo animum retineret servandæ unionis, et ad eam recuperandam totis viribus adlaboraret. Hinc nemo Cyprianum et Africanos antistites, a communione Stephani Papæ actu pulsos, vel jamjam pellendos, ab Ecclesia alienos fuisse judicabit. Idem est de Firmiliano, Meletio, Cyrillo etc. etc.

3. Hæc de excommunicatione respectu non subditi. Excommunicatio autem ab episcopo in proprium suum diœcesanum vigore jurisdictionis vere talis lata ex canonum dispositione se extendit ad universam Ecclesiam, ita ut taliter excommunicatus ab alio episcopo recipi non debeat. Sic Ecclesia ipsa Romana, teste Epiphanio, hæres. 42. Marcionem a suo episcopo excommunicatum non recepit, et Siricius P. epist. ad episcop. Galliæ, ait: *aut removeantur, quibus indigne ordo collatus fuit, aut ad nos nomina eorum deferantur, ut sciamus, a quibus nos abstinere debeamus.* Hoc dedit ansam viris eruditis sustinendi, quod Papa et quilibet episcopus legitime excommunicans, id nomine et vice *totius Ecclesiæ* agat. Sic Almainus et Gerson.

NOTA.

Febronius, dum negare non posset, multos ubique in tota Ecclesia orientali et occidentali a a Rom. Pontifice excommunicatos fuisse, excommunicatio *vere talis*, quæ olim *anathema* dicebatur, proprie jurisdictionem et potestatem ligandi in excommunicante præsupponeret, ne hanc in Papa admittere debeat, lectorem persuadere vult, omnes excommunicationes Papales extra suam diœcesin nihil fuisse, nisi *cessationem* seu *negationem communionis*, quæ est excommunicatio improprie talis. Verum, hæc contra torrentem, et eruditis ridicula sunt.

Verum est, episcopos sæpe se a communione alterius episcopi vel Ecclesiæ, occasione alicujus criminis vel hæresis, sejunxisse, negando solum communionem, quod quivis episcopus facere poterat, quamvis, defectu jurisdictionis in alienum episcopum vel Ecclesiam, proprie excommunicare non poterat; at falsissimum est, quod Rom. Ecclesia etiam hac ratione solum, nempe, abstinendo a communione, vel nuntium mittendo alicujus communioni, ordinarie excommunicaret, sed ejus excommunicatio proprie talis, et veræ jurisdictionis erat, qua Rom. Pontifices se non tantum ab alicujus communione sejungebant, sed eam proprie etiam a toto corpore et unitate Ecclesiæ abscindebant. Vetustissima exempla id ad oculum demonstrant.

Linus P. Menandrum cum discipulis (ille Samarita, isti ut plurimum Antiocheni erant) *a consortio conversationis nostræ ejectos æterna damnatione mulctavit.* Prædestinat. apud Sirmond. t. 1. page 270. Zephyrinus P. Natalium, hæresin Theodoti Coriarii abdicantem, Ecclesiæ communioni restituit, e contra, Proclum Cataphrygem cum sectatoribus damnavit et anathematizavit. Euseb. lib. 5. cap. 28. et lib. 6. cap. 14. et 20. Idem Eusebius histor. eccles. cap. 24. secundum interpretationem Joannis Christophorsoni, quæ accuratior est illa Valesii, in causa Asiaticorum episcoporum cum Victore P. sic scribit : *his rebus adductis Victor, qui tum Rom. Ecclesiæ præerat, totius Asiæ ecclesias cum aliis finitimis, tanquam alterius fidei et opinionis simul omnes, ut complectar brevi, a communi unitate Ecclesiæ amputare conatur.* Item Eusebius, secundum editionem Dadræi de S. Irenæo : *Victorem, ne tam multas ecclesias — — a corpore universæ Ecclesiæ Christi penitus amputaret, — — — — convenienter admonet.* Socrates lib. 5. cap. 22. *Victor Romanæ urbis episcopus — — — quartodecimanis, qui in Asia erant, excommunicationis libellum misit.* Jam quidquid sit de illa controversia, utrum Victor Asiaticos actu excommunicaverit, vel excommunicationem tantum minitatus fuerit, illa, de qua agebatur, excommunicatio, juxta hos scriptores, non erat tantum negatio communionis cum solo Rom. episcopo, sed ex-

communicatio proprie talis cum jurisdictione, qua quis a tota communione Ecclesiæ prorsus abscinditur, et alienus esse auctoritative pronuntiatur. Neque Iræneus aut Asiatici hanc in Victore P. potestatem negabant, sed solum querebantur, non quod nuntium miserit, vel negaverit eis communionem, sed, ut illi scriptores testantur, quod eos a communione *totius Ecclesiæ* abscindere vel tentaverit, vel omnino absciderit. Sic etiam Felix III. Acacium, patriarcham Constantinop., non solum a sua, sed a tota fidelium communione removit. Ita enim habet epist. ad Acacium : *sententia præsenti — — — sacerdotali honore et communione catholica, nec non etiam a fidelium numero segregatus, sublatum tibi nomen et munus ministerii sacerdotalis agnosce S. Spiritus judicio, et apostolica per nos auctoritate damnatus, nunquamque anathematis vinculis exuendus.* Hæc de sola negatione communionis nec Febronius, nec quisquam alius intelliget. De sententia excommunicationis Cœlestini I. in Nestorium diximus supra cap. 2. § 9. in nota. Historia ecclesiastica talibus excommunicationum exemplis abundat, quibus Rom. Pontifices hæreticos vel alios etiam episcopos ab Ecclesia proscripsêre, et ipsi effectus inde secuti manifeste probant, eas non simplicem negationem communionis, sed veram sententiam proscriptionis a toto corpore Ecclesiæ comprehendisse, quia excommunicatus a Rom. Pontifice mox ubique pro excommuni-

cato habebatur, et aliæ ecclesiæ ab ejus communione recesserunt, non minus, ac si in aliqua diœcesi quis a suo proprio episcopo excommunicatur. Hoc autem absque jurisdictione fieri non poterat. Quis tum igitur dubitabat, Rom. Pontificem, vi sui primatus, habere talem potestatem excommunicandi in tota Ecclesia ? Id quoque ratione evincitur.

Ecclesia Romana, uti ipse fatetur Febronius, est *centrum* et *punctum* communionis totius Ecclesiæ : exigit autem natura centri et unionis, ut quicunque cum hoc non conspirant, ejiciantur, ne unitatem et ordinem perturbent. Siquidem si omnes ecclesiæ particulares ad hoc centrum respicere debebant, ut unitatem et paritatem in fide et doctrina teneant, debuit in hoc centro vis inexistere, qua, expulsis discolis et perturbatoribus, hanc unitatem conservet. Hinc est, quod multi ab aliis episcopis vel ecclesiis communione privati tam sollicite communionem cum *romana* Ecclesia quærebant ; non enim credebantur a toto corpore Ecclesiæ abscissi, nisi etiam a Romanæ Ecclesiæ communione amoverentur.

Denique hæc potestas et jurisdictio excommunicandi in Papa ex verbis et institutione Christi demonstratur, hæc quippe ad potestatem clavium pertinet : claves autem cum plenitudine Petro datæ sunt. Certe, quia apostolis data est potestas ligandi et solvendi, et hæc potestas ad successores episcopos manavit, ideo hi habent potesta-

tem jurisdictionaliter excommunicandi subditos diœcesanos : igitur dum Petro soli dictum fuit, *tibi dabo claves regni cœlorum, et quodcunque solveris super terram, erit solutum, quodcunque ligaveris etc.,* atque per ista verba ei primatus universalis, ad successores transiturus, collatus est, an inde non potestatem universalem accepit omnibus et singulis fidelibus ubique commorantibus aperire portas cœli, vel pro rei necessitate claudere, solvere vel ligare? ea quippe verba, ut jam memini, non minus jurisdictionem important, quam illa ad apostolos dicta. Inde jam patet responsio ad reliqua. Et quidem

Ad 1. Quare Ursacius, Valens, Chrysostomus, quantumvis ab aliis episcopis jam exauctorati et communione depulsi, nihilominus tam sollicite quærebant communionem Rom. Pontificis, nisi quia sciebant, hujus communionem sibi magis prodesse, quam aliorum episcoporum excommunicationem obesse posse? neque a corpore Ecclesiæ abscissos esse, quando a Rom. Ecclesia in communionem vel admittantur, vel in ea permaneant. Cyrillus Alexand. Cœlestinum P. tantum interrogabat, utrum cum Nestorio communicare debeat, quia ejus hæresis et persona nulla adhuc sententia erat damnata; at Cœlestinus Nestorium proprie excommunicavit, hæcque sententia valuit, quidquid sit de concilio Ephesino, de quo confer supra c. II. § 9. in not.

Ad 2. non hìc agitur de injusta excommu-

nicatione, sed de potestate excommunicandi. Exempla, quæ affert, ad rem non sunt, de quibus postea.

Ad 3. Quare *dispositione canonum* opus erat, ut excommunicatus a proprio suo episcopo jurisdictione vere tali ab aliis extra diœcesin in communionem non reciperetur? nempe sententia episcopi, defectu jurisdictionis, in aliena diœcesi effectum per se non obtinet : igitur hoc statutum est ad pacem et concordiam servandam, ut ait concilium Sardicense can. 16. tum etiam ne crimina maneant impunita. Quomodo autem hæc cum episcopatu universali Febronii concordant? at sententia excommunicationis a Rom. Pontifice lata in aliquem in quavis mundi parte, absque ulla dispositione canonum, ex sola praxi et disciplina veteris Ecclesiæ ubivis valuit, talis ab omnibus pro excommunicato habitus, eique communio negata fuit. Porro si clerus Romanus, vacante sede, (nam de illo solo loquitur Epiphanius) Marcionem a parente suo episcopo exommunicatum non recepit, quid sequitur? num ideo Papa potestatem proprie excommunicandi non habet? num illegitime excommunicatos solvere et recipere non potest? attamen recepit, solvitque Athanasium, Chrysostomum aliosque etiam a conciliis damnatos. Quis autem dicit, quod omnes etiam juste proscriptos recipere debeat, aut possit? cæterum, de potestate Papæ, non cleri romani hìc sermo est. Quando

Siricius P. præcipit, ut indigne ad ordines promoti vel deponantur, vel nominatim ad ipsum deferantur, ut a sua communione excludantur, tale præceptum utique jurisdictionem importat, et verba sententiam nondum latam, sed ferendam significant, adeoque Febronio neutiquam favent. Falsum denique sustinent Almainus et Gerson in hoc male eruditi, nempe excommunicationem infligi *nomine Ecclesiæ*. Veteres Patres non ita sentiebant; cur enim necesse fuit, per canones statuere, ut excommunicatus ab uno episcopo etiam ab alio pro excommunicato habeatur, si credidissent, nomine totius Ecclesiæ fuisse excommunicatum? Ecclesia non ingreditur, sed subsequitur sententiam excommunicantis, eam adimplendo per non communicationem cum excommunicato : excommunicatio autem ipsa fit potestate et nomine Christi, non Ecclesiæ, quod manifestum est ex D. Paulo 1. Corinth. c. 5. *ego — — — judicavi ut præsens, eum, qui sic operatus est, in nomine Domini nostri Jesu Christi, congregatis vobis et meo spiritu, cum virtute Domini nostri Jesu Christi tradere hujusmodi Satanæ ad interitum carnis etc.* Viden! excommunicationis sententia a Paulo pronuntiatur *nomine Christi et virtute Christi*, id est, potestate a Christo accepta; illa autem verba, *congregatis vobis*, manifeste nihil aliud significant, ac *publice et coram vobis.*

Verum, hisce nondum adquiescit Febronius

tom. 2. epist. de subtract. obedient. pag. 610. etc. in parergo ponit : *censuræ romanæ, si non probentur ab Ecclesia, nullæ sunt.* Ad hoc probandum affert exempla Victoris I. in Asiaticos, Stephani I. in Cyprianum et Firmilianum, aliorumque Rom. Pontificum in Meletium et Flavianum, Zosimi P. in Herotem et Lazarum, Leonis M. in Hilarium Arelat. Hilarii P. in Mamertum Viennens. quorumdam Pontificum in Euphemium et Macedonium : hi tamen omnes, utut a Rom. Pontificibus excommunicati, vel a communione sejuncti, nihilominus communione cum aliis ecclesiis gaudebant, et ut plurimum sanctos veneratur Ecclesia. Ita Febronius. Sed vani omnes hi ictus, et sic iterum falsum dicit auctor.

Prius ipsi probandum est, hos omnes a Rom. Pontificibus sententia excommunicationis actu et certo proscriptos fuisse, id vero probare nunquam poterit. Solus Zosimus ficta pietate et fide Cœlestii atque Pelagii deceptus, postea meliora edoctus, mox sententiam mutavit. Tillemontius et Fleurius, queis Tom. IV. part. 2. pag. 28. innititur Febronius, causam neutiquam decidunt Etenim præstantissimi auctores tum veteres, tum recentiores inter se controvertunt, utrum ex iis, aliquibus *minitata* solum, vel *illata* fuerit excommunicatio, et si ultimum, censent pacem mox restitutam fuisse; de quibusdam certum est, illam solum minitatam, non inflictam esse, de

aliis, uti Faviano et Meletio nequidem minitata fuit, quamvis Pontifices cum iis aliquandiu non communicassent, in causam interim inquirentes, ac concordiam et pacem reducere conantes. Quid igitur prohibet, illos omnes cum reliquis ecclesiis pacem et communionem habuisse, quando a Rom. Pontifice vel omnino excommunicati non fuerunt, vel mox iterum ad pacem redierunt? quid obstat, illos sanctos esse, si in pace, et extra Ecclesiam in excommunicatione non obierunt? igitur ista exempla neque ad rem sunt. Nihilominus de his quidquid sit, probari nequit, quod ullus horum negaverit, se a Rom. Pontifice *ex defectu jurisdictionis* excommunicari posset, quin magis ipsa allata exempla ostendunt, a Pontifice hanc censuram infligi posse, quidquid demum factum sit, et e contra, quod cæteræ ecclesiæ ab illorum communione non recesserint, id ipsum argumento est, actu a Rom. Pontifice excommunicatos non fuisse, vel statim ab errore resipuisse.

Neque plus valet, quod auctor ex Petro de Marca affert, episcopos Gallicanos sæpissime auctoritatis apostolicæ pondere pressos, frequentibus excommunicationum minis lacessitos fuisse, unde plures sequelas deducit Febronius. Verum, dum tot semper excommunicationum Papalium exempla profert Febronius, se ipsum refellit; quippe hæc utique supponunt et probant in Rom. Pontifice potestatem et jurisdictionem cen-

suram excommunicationis infligendi, non impugnant, et quod de Marca de Gallicanis episcopis ait, non potestatem, sed nimium ejus usum seu abusum perstringit.

Tandem ad formam judicii et leguleiorum normas delabitur. Tom. 4. part. 2. num. 13. ait : *non negabit ille* (Zacharia) *Papam, si quem actu jurisdictionis proprie dictæ excommunicare prætendat, essentialia judicii observare debere. Nunc ex illo quæro, quæ et quot exempla producturus sit, quibus Pontifices prævia citatione, partium auditione, testium examine etc. aliquos excommunicaverint? si mihi vel nulla, vel pauca similia judicia Papalia proferre potis sit, dicam ego, vel omnes, vel saltem reliquas omnes pertinere ad primam classem excommunicationum, scilicet, ad nudam communionis negationem omni jurisdictionis usu vacuam.* Obstrepit alibi Febronius, strepitum forensem in Ecclesiam introductum, et sic Ecclesiam Romanam *in curiam* mutatam fuisse, hinc judiciorum ordinem et formam, curiis civilibus communem, ad amussim observatam esse vult : quidquid agat Romæ, eam carpendi prætextus ipsi non deerit? Dum vero ad ordinem et essentialia judicii provocat, quæro : si crimen aut hæresis *notorietate facti* tam apertum sit, ut nulla tergiversatione celari possit, an adhucdum istas formulas requiris? Dein historia ecclesiastica innumera fere præbet talium judiciorum exempla, ut omnino vel ignorantis,

vel effrontis sit, ad ea provocare. Quoties enim legimus, reos et etiam partes ad dicendam causam Romam citatos fuisse? sæpe etiam patriarchæ, primates, legati Pontificii causam in partibus jam examinatam, quandoque in particularibus conciliis discussam ad Pontificem referebant, sæpe hic Romæ in concilio eam amplius examinabat, antequam sententiam proferret.

Sic Stephanus P. contra Cyprianum se non movit, antequam iste duobus conciliis sententiam de rebaptizandis hæreticis firmasset, horum exemplaria ad Stephanum misisset, et dum iste dissentiret, adhuc numerosius concilium pro sua stabilienda opinione collegisset, suumque errorem per litteras ultro defenderet.

Idem Stephanus P. Martianum Arelatensem, qui Novatiani schisma amplexus fuerat, non prius, ac per Cyprianum de rei serie edoctus, atque impulsus fuerat, excommunicavit. Dionysius P. in Dionysium Alexandrinum a suis clericis accusatum mox sententiam non tulit, sed accusationis capita pro sui defensione ad eum misit, et cum quatuor apologeticis libris, atque epistola ad Papam missa se purgasset, absolutus fuit.

In causa Donatistarum libellis ab Imperatore missis atque prius discussis Cœcilianus cum decem episcopis testibus, et decem aliis accusatoribus comparuit, et tum Cœcilianus a Melchiade P. absolutus, et Donatus excommunicatus fuit.

Felix III. Acacium patriarcham Constantinop.

deposuit et excommunicavit; non tamen prius sententiam tulit, quam causa probata fuisset per testes certos et idoneos, uti constat ex epist. Felicis P. ad Acacium, et per confessionem propriam mediantibus epistolis factam, atque prius citatus fuisset Acacius : *si examinatio quæritur*, ait S. Gelasius P. epist. circulari ad episcop. Dardan. de Acacio, *jam judicio non erat opus, postquam litteris suis ipse confessus est.*

Cœlestinus I. a Cyrillo Alexandrino de prævaricatione Nestorii liberaliter edoctus, et quod Cyrillus eum jam bis dehortatus fuerit, in Nestorium fert excommunicationis et depositionis sententiam, sic tamen ut Cœlestinus ad Nestorium prius tertiam dederit monitionem cum præfixo termino decem dierum, nisi intra hos resipiscat.

S. Leo I. epist. ad Turib., dum in Hispanias hæresis Priscillianistarum irrepserat, jubet *plenissimo discuti examine, an sint aliqui inter episcopos, qui hujus hæresis contagio polluantur*, hos dein a communione statim vult separari, *si nefandissimam sectam per omnium sensuum pravitates damnare noluerunt.* At hìc utique de excommunicatione proprie dicta sermo est. Idem Leo epist. ad Nicetam, Aquilei episcopum, statuit, ut clerici Pelagiana hæresi prius impliciti, et qui nullo examine discussi in catholicam communionem pervenerunt, aperte *omnes errores damnent, et ab omni suspicione se purgent. Quod*

si quisquam salubribus præceptis satisfacere detrectaret, sive ille clericus, sive sit laicus, ab Ecclesiæ communione pellatur.

Nolumus esse longiores. Febronius tam parce eruditus non est, ut nesciret, plurima exempla adhuc proferri posse, quibus ostenditur, excommunicationes Papales legitime, et non sine indicta vel probata causa processisse. Testantur hoc acta, et ipsæ litteræ excommunicationis, atque, ut jam dixi, facta sæpe et crimina erant notoria, ut illa juris adminicula superflua essent. Præterea, quoties partes Romam citabantur? quoties judices ad partes mittebantur? quoties legati Pontificii vel primates causam jam instructam et satis probatam ad Papam mittebant? ut sola sententia desideraretur. Hæc negari non possunt : fateatur ergo Febronius, etiam in excommunicando Rom. Pontifici jurisdictionem vere talem inexistere.

Tandem auctor tom. III. p. 186. et tom. IV. p. 379. acerbo stylo invehitur in excommunicationem *latæ sententiæ*, quod sit *novioris* inventionis, effectus *despotismi*, ad *vindictam*, *avaritiam* et *ambitionem* inventa, quæ nunc propter multiplicatas constitutiones in immensum excreverit. At conqueri desinet, si rem non ex livido in Rom. Pontifices oculo, sed penitiore indagine inspexerit. Dantur etiam leges pœnales civiles, ipso facto incurrendæ, admodum graves, inhabilitantes, bonis aut juribus privantes, his quoque sua dicteria adaptet, si audeat? dein excommu-

nicatio latæ sententiæ ut plurimum fertur in transgressionem alicujus canonis jam certi et universalis, vel saltem in eo fundatur : an autem non licet pœnam statuere in transgressores legis, et quidem latæ sententiæ, præcipue dum frequentibus transgressionibus cohibendis sententia a judice primum ferenda ineffícax sit ? sint hæc minora, quam ut Febronio sufficiant, alia majoris momenti dabimus.

Vestigia excommunicationis *latæ sententiæ* jam deprehendimus in veteri Ecclesia. Synodus Gangrensis circa annum 324. viginti edidit canones, ubi cuivis subscribit, *anathema sit.* Atque ut constet de *anathemate ipso facto*, et absque omni judicis sententia incurrendo sermonem esse, in præfatione ait concilium : *propterea ergo coactum est hoc concilium in ecclesia Gangrensi habitum, ut canones istos exponeret, quibus probantur memorati esse extra Ecclesiam. ——— Quod si quis renuerit hæc, quæ hodie constituta sunt, tanquam hæreticus et anathematizatus et damnatus ejiciatur, et erit non solum incommunicatus, verum etiam et ab Ecclesia habeatur extorris.* Concil. Antiochen. anno 341. can. 1. statuit, laicos, qui Pascha cum Judæis celebrant, *NB. excommunicandos* esse, dein sic prosequitur : *si quis autem eorum qui præsunt Ecclesiæ, episcopus, aut presbyter, aut diaconus post hanc definitionem tentaverit ——— cum Judæis Pascha celebrare, sancta Synodus hunc alienum jam*

hinc ab Ecclesia judicavit. Aperte hìc distinguitur inter excommunicationem *ferendæ et latæ* sententiæ concil. Laodicens. can. 29. *qui reperti fuerit judaizare, anathema sint in Christo.* Pluribus supersedeo; talia anathemata et excommunicationis *latæ sententiæ* per concilia sancitas oppido plurimas esse, quis nescit? et hæc jam sufficiunt ad probandum, illas non esse *novioris inventionis*, sed omnino veteris etiam disciplinæ. Quod si ergo Febronius Rom. Pontifices de excommunicationibus latæ sententiæ tanquam injustis accusare velit, etiam concilia de his accuset, necesse est. Si solum frequentiam talium excommunicationum improbet, itidem conciliis imputet, quod de sæculo ad sæculum tot et novos plerumque canones statuerint, ni potius malit hoc vitiis et perversitati hominum imputare, quibus semper tot canones et constitutiones ecclesiasticas opponere necesse fuit, non minus ac leges pœnales civiles propter multiplicata damna boni publici et contemptum legum augeri debuerint. Si denique *solas Rom. Pontificum* excommunicationes impugnare velit, quasi hæ pro fine non nisi *vindictam*, *avaritiam et ambitionem* habeant, meminerit Febronius, utrum ipse sit legitimus accusator contra Ecclesiam Romanam, tot Pontifices a sæculis sanctos, vel toti Ecclesiæ venerabiles? utrum non calumniæ et invidiæ reus haberi debeat? utrum sufficienter probare possit, has excommunicationes, et præcipue con-

tra quas maxime stylum acuit, priscis canonibus de immunitate bonorum vel personarum ecclesiasticarum, qui originem suam Isidori decretalibus neutiquam debent, vel non conformes esse, vel saltem iisdem non inniti, sed pro mero effectu *vindictæ, avaritiæ et ambitionis* habendas fore? quod uno, alterove exemplo efficere nondum poterit, quia in tanta rei gravitate non quosvis oblocutores audire debemus, et propter factum particulare unius vel alterius, non licet primariam totius Ecclesiæ sedem in communi infamare et publice despectam reddere. An tale quid in civili statu unquam licuit? ipse Claudius Fleury instit. jur. eccles. part. 3. cap. 20. frequentiam excommunicationum, et eas, quæ sunt latæ sententiæ, harumque causam non *in despotismum* Pontificis, et quæ sunt alia calumniarum genera, sed in vitia et duritiem hominum refundit. Sic enim ait : *quo magis autem christianorum mores in pejus ibant, et episcoporum probitas decrescebat, eo magis causæ excommunicationum augebantur, et moderatio in usu extremi hujus remedii minuebatur.* Et infra : *augescente hominum duritie, decursum est ad rigores veteribus inauditos, ut familiæ, provinciæ, regna excommunicentur, — — — ut excommunicationes ipso facto introducerentur.* Quæ tandem Febronius amplius in hac materia ex Gallia affert, nempe *notorietatem facti* in Gallia, nequidem in casu percussionis clerici locum habere, uti as-

seruit procurator regius Jolii de Fleurii anno 1755. Hæc, inquam, momentum non habent. Homo laicus et aulicus potestati ecclesiasticæ leges, et legum modos præscribere non potest: ita saltem sensit tota veneranda antiquitas, ad quam alias provocare solet Febronius. Quidquid tamen sit de praxi Gallorum, quæ contra communem regulam non facit jus, neque theologi Galli impugnant excommunicationem latæ sententiæ, sed exceptionem circa notorietatem facti faciunt, quod sit difficile discernere, an factum possit, vel non possit aliqua tergiversatione celari, sicque scrupulis et anxietatibus timoratorum non satis obviari. Daëlman observ. de cens. vid. etiam infra cap. 6. § 5. num. 6.

§ V.

Qualitas sedis patriarchalis Romæ adhærens cum universali primatu miscetur, et errores generat.

Cum Rom. Pontifex sit *patriarcha occidentis*, ideo ejusdem decreta fidei non ab *occidentalibus* solum habentur pro orthodoxis, sed ab *orientalibus* reputabantur tanquam declarationes *totius occidentis*. Hoc sensu Augustinus, Hieronymus, Innocentius II. sententiam rom. præsulis tanquam judicium totius Ecclesiæ occidentalis proponunt. Rom. sedes dist. 22. de eccles. can. 6. item can. 7. et novell. Justiniani 103. expresse

recensetur inter *patriarchales*. Interim canonistæ sensim Rom. Pontificem e numero et ordine patriarcharum expunxerunt, quatuor tantum numerantes, quos secutus Innocentius III. in cap. 23. X. de privileg. de Romana Ecclesia dicit : *quæ, disponente Domino, super omnes alias ordinariæ potestatis obtinet principatum, utpote mater universorum Christi fidelium et magistra.* Sic, abolito romani *patriarchatus* titulo et jure, omnia olim intra fines hujus patriarchatus gesta deinceps habita sunt, quasi acta jure *universalis primatus.*

1. Ex can. 28. concil. Chalcedon., *antiquæ Romæ throno, quod urbs illa imperaret, Patres haud immerito privilegia tribuerunt*, protestantes existimarunt, his privilegiis *primatum ipsum* contineri, proinde hunc non esse juris divini, sed humani. At hìc non agitur de *primatu*, sed de jure *patriarchali.*

2. *Jura patriarchalia* qualiacunque *humanæ* sunt *institutionis* : hæc non minuunt jura episcopalia, sed potius ad horum tutelam instituta sunt. At postea multa censebantur a primo universalis Ecclesiæ episcopo facta, quæ a patriarcha occidentali gesta sunt.

3. Ex spuriis decretalibus Papæ tribuitur *plenitudo potestatis*, reliqui episcopi tantum in *partem sollicitudinis* vocari dicuntur. Hoc fundamentum habere videtur in epist. S. Leon. ad Thessalon. episcopum, suum in Illyrico Vicarium. *Vices*

nostras ita tuæ credidimus charitati, ut in partem sis vocatus sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis. At hìc aperte agitur de potestate patriarchali, cujus partem sollicitudinis vicario committit, non de primatu, quasi ipse *solus* per *omnes* ecclesias haberet plenitudinem potestatis.

4. S. Hilarius lib. de synod. ad Patriarchatum rom. refert Galliam, Germaniam primam, et secundam et Brittanniam. Innocentius P. epist. 13. addit Illyrici provincias, nempe Achaiam, Thessaliam, Epirum veterem et novam, Cretam, Daciam mediterraneam et ripensem, Mæsiam, Dardaniam, Prævalim.

5. Dubitari nequit, institutionem et prærogativas sedium patriarchalium pro bono Ecclesiæ mutari, ampliari vel restringi posse; id agnoscente etiam Bellarmino lib. 2. de concil.

In appendice num. 1. ad cap. 3. § 5. Febronius ex D. Barthel. refert, jus consecrandi episcopos olim metropolitano proprium fuisse, uti metropolitani postulabant in gravaminibus Moguntinis anno 1440. Nunc Papæ reservatum esse non vi primatus, sed patriarchatus. Interim Papam antiquitus juribus patriarchalibus extra *diœcesin* saltem *suburbicariam* nunquam usum fuisse.

NOTA.

Prætermissa æquivocatione, dum Febronius orthodoxiam ad qualitatem patriarchatus refert,

quam tamen tum occidentales, tum orientales non in illo, sed in communi centro totius Ecclesiæ atque in Petro, igitur in primatu quærebant, collocabantque, uti omnium testimonia manifeste convincunt, his, inquam, prætermissis, Febronii mentem hanc esse colligo. Rom. Pontifices multa in occidente gessêre, quæ jurisdictionis sunt, et ad jura patriarchalia pertinent : igitur ex iis nulla primatus jurisdictio inferri debet. At festinemus lente. Nam

1. Prætensus error et confusio jurium patriarchalium cum primatu saltem imputari non potest integris conciliis, præsertim generalibus, et Patribus, ut si quid isti a Papa jure primatus actum fuisse censeant, ad jus patriarchale trahi debeat.

2. Primatus est potestas patriarchali superior, cui etiam ipsi patriarchæ subordinantur, eam vero veræ jurisdictionis esse, jam satis demonstratum est. Non est igitur in occidente operosius inquirendum, quo jure Papa agat, quia ejus potestas semper suprema est.

3. Quo jure quis agat, si multiplici potestate in idem polleat, præprimis ab agentis determinatione desumendum est. At Pontifices in suis decretis et constitutionibus ordinarie declararunt, se auctoritate apostolica et vice Christi, adeoque jure primatus, agere. Si quid ergo jurisdictionis intercessit, hoc ipso cum primatu jurisdictionem connexam esse ostenditur.

4. Unde jura patriarchalia suam originem habent, saltem prout in primævis et apostolicis patriarchis Antiocheno et Alexandrino existebant? nam patriarchatus Hierosolymitanus primum sæc. V. erectus fuit. Certe illa in conciliis instituta fuisse nullibi legimus, et concilium Nicænum ea non instituit, sed tantum confirmavit, *tanquam ab antiqua consuetudine* profecta. Igitur non nisi a Petro, harum ecclesiarum auctore et fundatore, ad quem usque suam traditionem referunt, ista privilegia descendunt, suntque participatio quædam jurium primatus Petri. Quomodo ergo ista jura patriarchalia primatui negari, vel ab his primatus excludi potest, si ab eodem originarie descendunt?

5. Rom. Pontifices jurisdictionem non in occidentem solum, sed et in orientem, atque in ipsos patriarchas exercuerunt, uti hactenus exemplis multoties monstratum est : igitur, secluso etiam omni jure patriarchali, adhuc jure potiori et universali in omnes ecclesias gaudent. Licet ergo Pontifices in occidente multa gesserint, quæ ad jura patriarchalia referri possunt, non tamen inde eos nihil jure primatus fecisse concluditur : imo nec in iis primatus directe excluditur, quia Papa jure primatus etiam jura patriarcharum supplet. Patriarchatus titulus equidem splendorem quemdam sedi romanæ adjicit, sed inferiorem primatu, cujus vim intrinsecam nec minuit, neque adauget.

Interim falsum est, quod post concilium VIII. celebratum anno 869. Rom. Pontifex arte canonistarum a numero patriarcharum expunctus sit. Siquidem in concilio Florentino Papa expresse primus inter patriarchas numeratur, et novissime de Motta, item Benedictus XIV. lib. 2. de synod. cap. 1. etc. de patriarchatu occidentali et romano multa discurrunt; et quid imaginaria ista expunctio vel omissio obesse poterit, si jura patriarchalia in ipso primatu, tanquam in suo fonte et origine includuntur, atque ab hoc expleri possunt. Hoc sensu igitur Innocentius III., dum patriarchatum apertis verbis non expressit, idcirco non negavit, sed solum tacendo, quod est inferioris ordinis, primatum, qui supremus est, memoravit. Hisce responsio ad 1 et 2. jam præoccupatur. Hoc solum noto, can. cit. 28. revera non concilii Chalcedon., a Leone I. et subsequentibus Pontificibus non confirmatum, sed rejectum illegitimum et nullius auctoritatis fuisse, de quo jam dixi cap. 2. § 3. De hoc etiam S. Gelasius P. in suo anathematismo ait: *alia autem, quæ per incompetentem præsumptionem illic* (Chalcedone) *prolata sunt, vel potius ventilata, quæ sedes apostolica gerenda nullatenus delegavit, quæ mox a vicariis sedis apostolicæ contradicta manifestum est, quæ sedes apostolica, etiam petente Marciano principe, nullatenus adprobavit, quæ præsul ecclesiæ Constantinopolitanæ tunc Anatolius nec se præsumpsisse pro-*

fessus est, et in apostolicæ sedis antistitis non negavit posita potestate, quæ ideo, sicut dictum est, apostolica sedes non recepit, quia privilegiis universalis Ecclesiæ contraria probantur, nulla ratione subsistunt. Hæc autem omnia ad intrusum et falsum hunc canonem 28. concil. Chalcedonensis pertinent.

Ad 3. Unde demum ille modus loquendi ortum habeat, non negamus episcopis in suis diœcesibus potestatem, quam revera habent, non solam sollicitudinem. Attamen eorum potestas in omnes ecclesias non extenditur, et etiam in eorum diœcesibus subordinata est, atque in hoc sensu dicuntur non habere plenitudinem potestatis. Quia vero episcopis incumbit sollicitudo non tantum propriæ Ecclesiæ, sed universæ, ita ut in commune bonum totius Ecclesiæ adlaborare et promovere debeant, hinc dicuntur vocari in partem sollicitudinis, nempe *universalis*, quæ primario residet, et incumbit Rom. Pontifici. Interim omnino falsum est, quod S. Leo loc. cit. solum agat de sua potestate patriarchali, non de potestate primatus. Sic enim habet : *quanta fraternitati tuæ a B. Petri apostoli sede commissa, et quali etiam nostro tibi favore sint credita, si — — — ponderares, — — — dilectioni tuæ priorum secutus exemplum vices mei moderaminis delegavi, ut curam, quam universis Ecclesiis principaliter ex divina institutione debemus, imitator nostræ mansuetudinis adjuvares, et longin-*

quis a nobis provinciis præsentiam quodammodo nostræ visitationis impenderes. At *cura*, quæ a Papa *universis ecclesiis ex divina institutione* debetur, *et vice B. Petri* committitur, non patriarchalis est, sed ad primatum universalem pertinet : igitur S. Leo ibi plenitudinem potestatis revera huic primatui adpropriat.

Ad 4 et 5. Circa sedes et prærogativas patriarchales mutationem fieri posse, nullus dubitat, quia humanæ institutionis sunt. Verum, talia de primatu dici non possunt. Vid. cap. 2. § 3. in not., qui tamen omnia jura patriarchalia eminenter, et tanquam in fonte comprehendit.

Tandem in appendice 1. Febronius optato ad D. Barthel. recurrit, quem ad confundendum Febronium præ manibus habeo. Idem Barthelius annot. ad jus. can. lib. 1. tit. 33. § 4. de patriarchis ait : *præcipua eorum potestas erat, ordinare omnes archiepiscopos et episcopos. 2. Convocare concilia plenaria, scilicet patriarchalia, ubi de causis majoribus metropolit. archiepiscoporum tractabatur. Patriarcha autem romanus, quia ejus provinciæ nimis erant remotæ, potestatem ordinandi episcopos non exercebat, nisi in suburbicariis, et adjacentibus insulis. — — — Successu temporis, hanc sibi potestatem cum pluribus, quæ erant olim communia archiepiscopis, reservavit.* Igitur jus consecrandi, et quod consequens est, ut ait de Motta, confirmandi episcopos in occidente ad episcopum rom. saltem tan-

quam patriarcham occidentis pertinet. Si ita : quare hoc jus Febronius Rom. Pontifici denegat, præsertim inferius cap. 4. etc. Et toties queritur, jura metropolitanorum in his læsa fuisse ? Si patriarcha rom. aliquandiu hoc jure usus non est, an illud amplius revocare non poterit ? et si postea exercet, anne utitur jure alieno ? anne gravamina illa nationis Germanicæ in hoc satis fundata erant, quando juri patriarchali Romano adversabantur ? an jus deperditur præcipue in eo, qui supremam habet potestatem, si in actum non reducatur, vel ab inferioribus patitur administrari ? verum de his plura, ubi de causis majoribus.

Quod diœceses suburbicarias attinet, etiam fallitur Barthelius : nolo omnes auctores afferre, qui hac de re scripserunt. Benedictus XIV. de synod. lib. 2. cap. 2. multos recenset, inter quos præcipue Sirmondus, Pagius, Schelstrate, Bachinius, ostendunt, suburbicariam regionem esse omnem illam, quæ non urbis præfecto, sed urbico romano magistratui olim suberat, adeoque porrigi in universum occidentem. Dein subdit Pontifex : *ei dimicationi cum Salmasio et Gothefredo finis est impositus, ut jam nemo sit inter eruditos, inquit laudatus Valesius, qui non Sirmondi sententiam ambabus, quod aiunt, ulnis amplectantur.* Si igitur per suburbicariam regionem totus occidens intelligitur, et olim Papa in suburbicaria diœcesi consecrando et confirmando

episcopos jus patriarchale exercuit, igitur in toto occidente exercuit. Quid ergo modo queritur Febronius?

At inquis ex Barthelio : *omnes metropolitanos et episcopos — — — in Dardania, Africa, Hispania, Anglia, Gallia et Germania — — — singulos suis in conciliis fuisse ordinatos constat.* Quidquid sit de facto, etiamsi totum admitto, de jure quærimus. Febronium cum suis adversariis monstrare oportet, hæc sine elegatione, licentia et consensu Rom. Pontificis peracta fuisse. Non valet illatio : metropolitani ordinarunt episcopos, igitur patriarcha non habet jus eos ordinandi, quando hoc jus in patriarcha jam prævie inexistit, et aliunde certum est. Dein canones, qui tale jus tribuunt metropolitanis, non excludunt patriarchas, imo canon Nicænus, qui in hac re præcipuus est, de his maxime intelligendus est, hinc patriarcha Constantinop. omnes episcopos sui patriarchatus non per metropolitanos, sed per seipsum ordinavit. Tandem si in occidente contrarium etiam exemplis ostendere possem, anne jus Pontificis confirmandi et consecrandi episcopos in occidente adhuc in dubium vocari, et quod nunc reservatum dicitur, iniquum aut usurpatum vocari poterit? at videamus.

In Dardania et Illyrico certum est, quod Pontifices ibi constituerint et habuerint suos vicarios, sine quorum licentia vel consensu non licebat ordinare episcopos. Siricius P. epist. 4.

ad Anys. Thessalon. suum in Illyrico vicarium sic scribit : *dudum litteras dederamus, ut nulla licentia esset, sine consensu tuo in Illyrico episcopos ordinare præsumere. — — — Ad omnem ejusmodi audaciam comprimendam vigilare debet instantia tua, ut ipse, vel quos judicaveris idoneos, dato consensu dirigas, qui loco defuncti vel depositi possit episcopum vita et moribus probatum ordinare.* Ita etiam Cœlestinus P. epist. 3. ad episcop. Illyrici. S. Leo epist. ad Anatholium.

Idem Siricius P. epist. 5. ad episcop. Africæ : *observari cupiamus, quæ apostolica et Patrum constitutione sunt constituta. Primum ut extra conscientiam sedis apostolicæ, hoc est, primatis, nullus audeat ordinare.* In fine : *si quis inflatus mente carnis suæ ab hac canonis ratione voluerit evagari, sciat se a nostra communione seclusum, et gehennæ pœnas habiturum.*

Zosimus P. Arelatensem episcopum, secundum veterem consuetudinem, in provinciis Narbonensi et Viennensi apostolicæ sedis vicarium constituit. Epist. 1, 5, 6, 7 et 10. prohibet autem epist. 1, 6 et 11. sine ejus consensu ordinari episcopum. Et epist. 11. ad cler. Massiliens. ait : *curam vestri metropolitano Patroclo iterum committo, ut ejus obtemperantes nutibus, dignum accipere possitis sacerdotem.*

De Anglia et Germania nullum dubium est. Omnes nôrunt, istas provincias a viris apostolicis SS. Augustino et Bonifacio ad fidem conversas

fuisse, qui, speciali auctoritate sedis apostolicæ muniti, episcopatus fundarunt, episcopos consecrarunt, quod dein legationis et dignitatis officium, disponente sede apostolica, ad certas sedes episcopales et successores transmissum est. Hinc tot ex omnibus provinciis relationes ad sedem rom., et vicissim tot ordinationes atque epistolæ decretales Romanorum Pontificum circa electiones et ordinationes episcoporum emanarunt.

Ecquid igitur obstat, hoc jus rursus ad Papam revocari, si prius a metropolitis et conciliis provincialibus non propria auctoritate, sed solum delegata, vel consensu et permissu Papæ exercitum fuit. Nec mirum est, in jure hanc prærogativam conciliis et metropolitis asseri : nam et hoc ipsum faciunt sæpe Pontifices in suis decretalibus : at inde non sequitur, illis jure ordinario et originario deberi; quippe Pontifices sua jura delegata et ordinem a se ipsis constitutum sæpius in aliis defendere debuerunt.

Febronius cum suis asseclis equidem se fundat in canone Nicæn. IV., quo ordinatur, ut episcopus ab omnibus, vel saltem a tribus in provincia ordinetur : *firmitas autem eorum, quæ geruntur, per unamquamque provinciam a metropolitano tribuatur episcopo.* Et can. VI. *quod si quis, præter sententiam metropolitani, fuerit factus episcopus, hunc magna synodus definivit episcopum non esse oportere.*

At sciet Febronius, tempore concilii Nicæni nomen patriarchæ ignotum fuisse, et relate ad episcopos christianos in nullo documento ecclesiastico reperiri ante sæculum V. quippe prima vice occurrit in Socrate anno 450. Ideoque nomen metropolitani a concilio Nicæno adhiberi pro patriarcha, uti observat. christian. Lupus oper. de appellat. cap. 15. Porro *metropolis* idem est ac *matrix*, quæ prærogativa tantum ecclesiis apostolicis et nativis, præcipue a D. Petro, nempe Romanæ, Antiochenæ, in quibus sedit, et Alexandrinæ in transitu per D. Marcum constitutis, principaliter debetur. Igitur jus consecrandi et confirmandi episcopos juxta Nicænum primario ad patriarchas spectabat, quamvis postea, propter multiplicatas ecclesias episcopales et distantiam locorum, hoc jus, vel potius ejus excercitium deferebatur aliis episcopis per provincias, tanquam metropolitis inferioribus constitutis. Quare metropolitani hodierni jus illud vi concilii Nicæni neutiquam, sed solum primævi patriarchæ prætendere possunt.

Nihilominus, etsi hæc fors adeo certe et vera non essent, quæro adhuc, in quonam et ubi ante concilium Nicænum, atque primis temporibus, quando necdum metropolitani inferiores erant instituti, neque provinciæ distributæ, jus istud confirmandi episcopos resederit? certe jus hoc semper existebat, atque necessitas confirmandi episcopos concilio Nicæno tanti visa fuit,

ut definierit, eum omnino episcopum non esse oportere, qui absque consensu vel confirmatione metropolitani factus fuerit episcopus, atque *hoc generaliter* jam *clarum esse* dixit. Igitur initio hoc jus solum penes patriarchas apostolicos, atque præprimis penes Petri successores, utpote a quo in principales has sedes transfusum est, originarie residebat, a quibus, utique non invitis, dein ob bonum ordinis et ecclesiarum ad inferiores constitutos metropolitas post divisionem provinciarum transmissum, non omnino sublatum fuit. Sic D. Barthel. supra cit. ait, patriarcharum potestatem fuisse, *ordinare omnes archiepiscopos et episcopos.* Hanc potestatem Constantinopolitanus in toto suo patriarchatu, non obstante canone Nicæno et aliis, exercuit, quamvis esset patriarcha tantum ecclesiasticus, non apostolicus : romanus patriarcha equidem hoc jus ubique in suis provinciis non exercebat, at utique non minus, quam alii patriarchæ, habebat; unde etiam postliminio ad se revocare et reservare potuit. Itaque cum D. Amort dissert. 3. de jurisdict. Papæ sic concludo.

Ecclesia Romana merito gaudet titulo ac jure patriarchali, tum quia a D. Petro, apostolorum principe, fundata fuit, tum quia per suos missionarios fundavit omnes ecclesias occidentis, ut ait Innocentius I. epist. ad Decent. Eugub. fundatori autem episcopatuum ecclesiastico competit jus, sibi et suis successoribus reservandi

jurisdictionem in episcopos fundatos, quia hæc reservatio neque repugnat ordini episcopali, neque legi naturali, divinæ vel ecclesiasticæ, sed potius conformis est juri divino, quinimo omnia jura patriarchalia (de patriarchis primitivis et apostolicis loquor) in hoc titulo fundantur. Quare jus consecrandi et confirmandi episcopos romano episcopo tanquam patriarchæ occidentis in occidente jure originario, et ad tenorem ipsius concilii Nicæni debetur, atque merito sibi reservare potest. Quod ergo Papæ tanquam vicario Christi denegat (taceo enim, hoc jus primario ex primatu D. Petri descendere) saltem patriarchæ apostolico occidentis concedat Febronius, et qualitercunque, uti prætendit, hæc jura invicem confundantur, semper eidem aliquo titulo debentur, sicque inane erit reservationis gravamen.

§ VI.

Apostolicæ Ecclesiæ *dignitas, Romanæ præcipue competens*, et sanctitas *episcoporum ejus magnam illi auctoritatem conciliavit, sed nativi primatus juribus nihil addidit.*

Idem observandum de qualitate matris *et* magistræ, *quæ Romæ respectu ecclesiarum occidentis tribuitur.*

Titulus et dignitas capitis Ecclesiæ, *nec non vicarii* Christi *Rom. Pontifici propria absolutam superioritatem non importat.*

Qualitas *apostolicæ* Ecclesiæ sedi romanæ magis propria est, quod ab apostolorum *principe* plantata noscatur. Traditio quidem in omnibus catholicis ecclesiis locum habet, et majoris semper æstimata fuit in ecclesiis ab apostolis institutis, præcipue in romana, etiam independenter ab omni primatu, tanquam fundata a Petro, et utriusque apostoli Petri et Pauli sanguine irrigata.

Singulare ei decus addit *sanctitas* romanorum præsulum, quippe in nulla Ecclesia refulserunt tot episcopi sanctitatis gloria illustres: sanctitate autem maxime populorum reverentia conciliatur.

Accedit qualitas *matris*, quam Romæ promeruit spiritualis generatio plurimarum ecclesiarum occidentis, et naturali quodam impulsu receptum erat, ut Ecclesiæ matres essent cen-

trum unionis et communionis ecclesiasticæ. Porro Ecclesia Romana, quæ sub Innocentio III. in concil. Lateran. appellata *fuit mater universarum ecclesiarum*, quanquam revera et in proprio sensu non esset, sub Innocentio I. solum dicitur mater ecclesiarum occidentis.

Docet ratio, ut in dubiis pro interpretatione legum recurratur ad eos, a quibus, et per quos illæ præfectæ sunt; hinc ad rom. Ecclesiam tanquam ad canonum interpretem, fidei alumnam et *magistram* pro explicatione dogmatum et legum recurrebatur. Chalcedon. concilium Papæ tribuit qualitatem *capitis Ecclesiæ*, tum quia ipse concilio per legatos præsedit, sicut caput præest membris, tum ut quædam decreta probaret, sicut concilium ejus probavit litteras.

Insuper *vicarii Christi* primo Pontifices appellantur apud Gelasium epist. 27.

Hìc notandum est ex Andrea Duvallio de suprem. Pontif. potestate part. 4. Quæst. 7. etsi concilium Florentinum definivit, Papam rom. esse *vicarium Christi*, totius *Ecclesiæ caput*, non tamen idcirco definivit, esse supra concilium et universam Ecclesiam legitime congregatam. Christus est caput *essentiale* et *principale* Ecclesiæ, Pontifex tantum *ministeriale* : Ecclesia corpus Christi est, non Pontificis etc. Interim omnes illi tituli facile incautos in transversum agunt, et Romani adhuc hodie has expressiones in favorem prætensæ monarchiæ suæ captant.

1. *Ecclesiæ apostolicæ* non una ratione dicuntur. Romana *apostolica* appellatur, quia a principibus apostolorum fundata et horum sanguine consecrata fuit, Alexandrina, quia per D. Marcum Petri discipulum fundata, Antiochena, quia christianum nomen in ea primum exortum fuit, aliæ ecclesiæ, quia ab apostolis fidei semina acceperunt et administratæ sunt, vel apostolicum virum, qui tamen cum apostolis perseveravit, habent auctorem, vel traducem fidei ab apostolis mutuarunt, vel apostolicas epistolas accipere meruerunt. Ita Theodoret. Tertull. August. S. Leo. Inter romanam tamen et reliquas apostolicas sedes hoc discrimen est, quod hæ privilegia per canones, et jure ecclesiastico, adeoque humano tantum obtinuerint, illa vero totum id retinuerit juris, quod apostolorum princeps fuerat a *Domino* consecutus : sed hoc ad dignitatem primatus pertinet, de quo hìc abstrahitur.

2. *Sanctitas* nullum novum jus superaddit, et si daret, humanum foret, et per contraria scandala, præsertim sæculo X. ammissum dici posset. Sanctitate sua Pontifices facilem accessum, et decreta impetrabant ab Imperatoribus extra ordinem, uti S. Leo M. sub- et obreptione præventus a Valentiniano III. obtinuit decretum Gallicanæ ecclesiæ derogans.

3. Titulus *matris* et *magistræ omnium ecclesiarum* fundamentum potuit habere in spuria epistola Calixti P. et dein in aliis canonibus cor-

poris juris clausi. Verum hæc capitula commode explicari possunt, et proprie spectant ad Rom. Ecclesiam comparatam cum singulis aliis *seorsim* sumptis, et ut *plurimum* saltem in occidente ab illa conditis, quo sensu etiam intelligendum est Trident. sess. 14. cap. 3. Sane ea auctoritate, qua Christus est *magister*, nec Petrus, nec ejus successores magistri dici debent, hoc expresse prohibetur Matth. 23. quod autem Romana Ecclesia non possit dici *mater catholicæ et universalis Ecclesiæ*, manifestum est, quia ante romanam aliæ in oriente et Palæstina coaluerunt, ut Hierosolymitana, Cretensis, Ephesina, Cæsariensis, Heracleensis etc. Cyprianus epist. 45. ad Cornel. P. non intelligit romanam *per matricem et radicem Ecclesiæ catholicæ*, sed ut ex epist. 71. ad Quint. patet, *per matricem* intelligitur in genere Ecclesia catholica, prout distinguitur ab hæretica. Simili sensu accipi debet formula professionis fidei a Pio IV. edita.

4. *Caput* est Rom. Pontifex universalis Ecclesiæ, sed non omni capiti competit superioritas proprie dicta in universum corpus. Dantur corpora suo capite superiora, uti pleraque capitula, collegia judicum, et universitates etc. De universis semper manebit verum, quod scripsit Sixtus III. epist. ad episcop. Illyrici : *ut omne corpus capite regitur, ita ipsum caput, nisi corpore suo sustentetur, firmitatem et vigorem perdit, et non tenet, quam habuerat dignitatem.* Sicut

autem metropolitanus decretis concilii provincialis, et ipsi concilio provinciali subjicitur, etsi hujus concilii caput et præses sit, ita Rom. Pontifex universali concilio et hujus canonibus subjicitur, licet hujus caput sit, eique præsideat. Hoc tantum sensu Patres Basileenses Rom. Pontificem caput Ecclesiæ esse dixerunt epist. ad Eugen. P.

5. Quod Papa sit *vicarius Christi*, ideo a simili vicariatu non excluduntur reliqui episcopi, æque ac ille, apostolorum successores. Sic episcopi in Theodonis villa anno 844, in concil. Meldens. anno 845, in Carisiaco anno 858. se dixerunt vicarios Christi, in eo solum differunt, quod Pontifex in hoc vicariatu parem cum Petro partem habeat et sit primus vicarius, adeoque in sensu jam explicato cæterorum caput. Sed evenit haud difficulter, ut quod in sua origine in *reverentia filiali*, in *magistrali auctoritate* et in *mero primatu* fundatum est, post *in imperium*, dominante ignorantia et ignavia, pertrahatur.

NOTA.

Si rem rite perpendimus, Febronius toto paragrapho id agit, quod hi tituli sint tantum relativi et restricti, non proprii et generales, solumque in reverentia filiali, magistrali auctoritate vel in primatu fundentur, ideoque nullam veram jurisdictionem importent, utpote in quo sensu male intelligerentur.

Verum, nos primatum jurisdictionis universalem in Papa supra non ex his titulis, sed legitimis testimoniis a S. scriptura, Patribus et traditione petitis probavimus. Non igitur rem titulo aut verbis demonstramus, sed vicissim titulum et verba rei jam aliunde demonstratæ adaptamus. Quod si primatus jurisdictionis universalis in omnes ecclesias revera subsistat, uti cap. 1, 2. et hoc capite hactenus abunde monstravimus, non est, cur hisce titulis aliam, et longe quæsitam, vel præscindentem notionem substituamus, imo hi ipsi rem jam comprobatam magis illustrant. Respondebimus tamen adhuc aliqua.

Ad 1. Etsi aliæ ecclesiæ quoque ab apostolis fundatæ fuerint, illæ tamen, ut Cretensis, Ephesina etc., imo etiam Antiochena et Alexandrina ab ipso D. Petro fundatæ communiter non appellabantur *apostolicæ*, sed hic titulus *soli romanæ* statim ab initio constanter adhæsit, ut, ut simpliciter et per antonomasiam diceretur *apostolica*. Unde hoc? utique non ideo solum, quia ab aliquo apostolo fundata aut recta fuit, vel quia in eadem mortem oppetiit, nam hac ratione nec sola nec magis in communi diceretur *apostolica*, quam reliquæ, atque sic non minus alia, quam romana posset intelligi. Est ergo alia ratio, quare hic titulus a primævo tempore soli romanæ Ecclesiæ adhæsit, hæc sola tali voce communiter adpellata et intellecta fuit?

dicit Febronius, eam per excellentiam vocari *apostolicam*, quia a *principibus apostolorum* fundata, et utriusque sanguine consecrata fuit. At clarius loquuntur SS. Patres, et romanam Ecclesiam vocant apostolicam, quia in ea *cathedra Petri collocata est*, et in ea *semper apostolicæ cathedra viguit principatus*. Apostolica ergo per excellentiam vocatur propter principatum cathedræ, seu propter cathedram primatus Petri, id, quamvis obscure, fatente ipso Febronio; subdole igitur et male hic abstrahi vult a primatu, quando ipse primatus hujus tituli principalis ratio et causa existit. Titulus *apostolicitatis* equidem juribus nativi primatus nihil addit, attamen hunc aperte loquitur.

Ad 2. *Sanctitas* personis venerationem conciliat, nullum tamen dignitati incrementum aut jus superaddit. Quamvis igitur dos sanctitatis subditos ac Principes ad jura dignitatis tuenda inclinare, et proniores facere soleat, hæc tamen dignitas in non sanctis haud minor est, aut quidquam de jure suo deperdit, quia non a moribus hominum, sed ab institutione, promissione, et assistentia Christi dependet, neque Pontifices nobis dati sunt ad exemplum vitæ instituendæ, sed ad magisterium doctrinæ tenendæ, et Ecclesiæ gubernandæ. Quod addit Febronius, S. Leonem P. a Valentiniano Imp. decretum Ecclesiæ Gallicanæ derogans obtinuisse, refellitur ex ipsa epistola S. Leonis et decreto Imperatoris. St. Leo

quippe ad episcopos per provinciam Viennensem constitutos in caussa Hilarii Arelatensis episcopi ait ipsum Hilarium excessisse : *beatissimi Petri reverentiam verbis arrogantioribus minuendo, cui cum præ cæteris solvendi et ligandi tradita sit potestas, pascendarum tuum ovium cura specialius mandata est, cui quisquis principatum æstimat denegandum, illius quidem nullo modo potest minuere dignitatem, sed inflatus spiritu superbiæ suæ semetipsum ad inferna demergit.* Ergo S. Hilarius in causa Chelidonii et Projecti cum S. Leone P. non tam jura Ecclesiæ suæ vindicasse, quam jura Pontificis minuere voluisse dicendus est. Imperator vero per suum decretum tantum sententiam Leonis P. executioni dedit, aiens, illam *per Gallias etiam sine imperiali sanctione valituram*, et idcirco *veterem consuetudinem* allegat. Igitur, teste Imperatore, contra jura Ecclesiæ Gallicanæ nihil actum est, et prætensæ hujus Ecclesiæ libertates tum nondum valebant.

Ad 3. Titulum *matris* ad solas occidentis Ecclesias refert Febronius, et revera relative ad has specialior ratio habetur, fundationis nempe et institutionis. At ideo non excluditur ratio generalis hujus tituli fundata in sollicitudine generali et jurisdictione universalis primatus. Si receptum erat, uti ait ipse Febronius, quod ecclesiæ *matres* essent centrum communionis ecclesiasticæ respectu filiarum, quare Ecclesia ro-

mana, quæ a Christo per Petrum constituta fuit centrum universalis Ecclesiæ, non poterit dici *mater* respectu omnium ecclesiarum, sive seorsim sive simul sumptarum, quia cura sedis apostolicæ se non solum ad singulas, sed et in universam Ecclesiam extendit, et centrum non solum ad partes, sed ad totum relationem tenet. Porro Febronius quodammodo concilium œcumenicum Lateran. IV. sugillare videtur, quod can. 5. de romana Ecclesia ait : *quæ, disponente Domino, super omnes alias ordinariæ potestatis obtinet principatum, utpote mater universorum christianorum.* Singula hæc verba mire pungunt, totumque Febronii systema evertunt, ideo hæc in sensu proprio vera non esse contendit : at non licet tanto concilio figmenta privati hominis anteferre. Major est hujus concilii auctoritas, quam ut posthæc adversarius audiri mereatur : quippe in illo, præter Innocentium III. P. præsentes erant duo patriarchæ Constantinopolitanus et Hierosolymitanus, 70 archiepiscopi, 400 episcopi, in omnibus cum legatis absentium 1258 Patres, præterea orientalis et occidentalis Imperii, atque omnium regum et principum legati; in conciliorum autem definitionibus singula verba prius accurate expenduntur.

Idem est de titulo *magistræ*, unde demum proveniat. Si ex toto orbe ad romanam sedem referri debet, et inde responsa ac decreta manabant, si illa tenet traditionem et depositum

fidei, tunc iste titulus eidem convenienter et merito tribuitur. Nullius momenti, et næniæ sunt, quæ Febronius hìc objectat. Christus prohibuit discipulis vocari magistros Matthæ. 23. an ideo episcopi non sunt magistri et doctores ecclesiarum suarum? an male se Paulus vocat doctorem gentium? an, teste Paulo, non ipse Christus dedit alios doctores in ædificationem corporis Christi? prohibuit Christus, eos vocari *magistros* ea auctoritate et ratione, qua ipse per excellentiam erat magister, nempe ne illi sua propria auctoritate aliam et singularem doctrinam proponerent, sed licet essent magistri et doctores populorum, nihilominus tanquam discipuli summi magistri eam tenerent ac prædicarent, quam ipse docuit. Atque in hoc, non alio in sensu Ecclesia Romana etiam dicitur *magistra* ecclesiarum : neque illa titulo et ratione fundationis, utpote qua utique aliæ quædam priores erant, *magistra* appellatur, sed ratione depositi fidei, et certitudinis doctrinæ, quæ in ea a Petro universali pastore et rectore cum prærogativa, ad successores manante, deposita fuit; unde etiam prius fundatæ Ecclesiæ, decedentibus apostolis suis fundatoribus, ab illa dependere, atque in fide et doctrina cum ea consonare debebant. Sic in causa quartodecimanorum, licet Asiaticæ ecclesiæ se fundabant in traditione S. Joannis apostoli, tamen sententiæ Victoris Rom. Pontificis cedere debuerunt.

Parum ingeniosa etiam videtur illa Febronii interpretatio in epistolas S. Cypriani, scilicet, quod in epist. 45. Cypriani ad Cornel. P. *per matricem* et *radicem* non debeat intelligi Ecclesia Romana, *sed unitas catholica*, quia Cyprianus epist. 71. ad Quint. ait, hæreticum conversum redire ad *matricem. Hoc igitur est*, ait Febronius, *catholicam tenere matricem in epistola ad Cornel., quod hæreticum redire ad matricem in epistola ad Quint.*

Verum, Cyprianus epist. ad Cornel. P. ait, se omnes *Romam* navigantes hortatum esse, ne ibi schismati Novati adhærerent, sed *matricem* et *radicem* agnoscerent et tenerent : igitur aperte sermo est de Ecclesia *romana catholica*, prout distinguitur a schismatica Novati. Dein Cyprianus ibi non simpliciter dicit, ut teneant *matricem* et *radicem*, sed *NB. catholicæ Ecclesiæ matricem et radicem*, atque his verbis tota vis inest : igitur, juxta Cyprianum, Ecclesia Romana, de qua loquitur, Ecclesiæ catholicæ et unitatis *radix* et *matrix* est. E contra, epist. ad Quint. solum ait, hæreticos, *errore digesto, ad veritatem et matricem*, seu catholicam unitatem redire, quod in terminis non idem est, ac *ad catholicæ Ecclesiæ seu unitatis radicem et matricem* redire, æque ac si dicerem, *ad unitatem redire*, *et ad unitatis centrum redire*, quod ultimum specialius quid importat.

Ad 4. Pontifex est *caput Ecclesiæ*. Hoc con-

cilium Chalcedon. S. Leoni P. asseruit, hoc concilium Florent. aperte definivit : hæc erat ante schisma Græcorum communis, et certa totius orientalis et occidentalis ecclesiæ doctrina, et quidem jam ante concilium Chalcedon. Patres Rom. Pontificem *caput Ecclesiæ* appellabant, *Petro omnes jure divino caput inclinant, et primates mundi tanquam ipsi Domino Jesu obediunt.* — — — *Debemus nos, ut qui membra sumus, capiti nostro Rom. Pontifici et apostolicæ Sedi adhærere.* Cyrill. Alexand. lib. Thesaur. contra hæret. *totius orbis christiani caput, romanam Ecclesiam agnoscere, unde in omnes venerandæ communionis jura dimanant.* Concil. Aquilei. in epist. synod. ad Impp. tom. 1. Opp. S. Ambros. anno 381. *Columna Ecclesiæ, fidei basis, apostolici chori caput Petrus.* S. Chrysost. homil. deusque supersunt de Ps. 50. T. I. edit. Paris. *Sanctitatis vestræ scripta, quæ ad sedem apostolicam misistis, tanquam ad caput, ut inde accipiatis responsa, unde omnis Ecclesia totius religionis sumpsit exordium, gradanter accepi.* Felix P. IV. epist. 1. *Hanc ecclesiis toto orbe diffusis velut caput suorum certum esse est membrorum.* Bonifacius P. I. epist. ad episcop. Thessal. Optat. Miles. lib. 3. cont. Parmen. aliique. Hæc et alia nota ac certa sunt. Quid igitur Febronius? Papam facit esse caput iners, quod nullum vigorem, nullum influxum vel auctoritatem habet, corpori et vix non pedibus sub-

jicit. *Dantur corpora*, ait, *suo capiti superiora, metropolitanus concilio provinciali subjicitur, ita et Papa concilio generali.* Recte P. Sangallo eidem respondet, quod illa corpora in exemplis a Febronio adductis, et quæ majorem ipso capite tenent auctoritatem, sibimet suum caput constituant, eique auctoritatem tribuant, hinc etiam capite superius sunt. Idem est de metropolitano, qui tantum jure ecclesiastico constitutus est caput concilii provincialis, et eodem jure eidem etiam subjicitur. Non sic de Papa : hic non ab Ecclesia seu corpore suam auctoritatem accepit, sed a Christo ; hæc igitur auctoritas capitis, non ecclesiastica, sed divina est, superior omnibus et singulis membris.

At Febronius tom. 2. apolog. advers. 4. theolog. art. 5. hæc facile explodit, dicens, *sibi sufficere, se clara demonstrasse, quod Ecclesia per se et immediate a Christo suam habeat potestatem et jurisdictionem, quod hanc non mutuetur a Papa, quod Pontifex primarium in Ecclesia gerat officium, sed S. matri Ecclesiæ subordinatum.* At præterquam quod prætensæ hæ demonstrationes hactenus satis convulsæ, atque contritæ sint, semper adhuc æquivoco laborant. Nam quæro : an Ecclesia, ut præcisa a suo capite, et acephala hanc accepit a Christo potestatem, vel ut juncta capiti ? an Ecclesia sine, et præciso capite accepit propriam et distinctam potestatem, quæ etiam a capite nullo modo dependeat, at-

que vi hujus distinctæ potestatis caput eidem subordinetur? hæc Febronius demonstrare debuisset. Sane sub nomine Ecclesiæ intelligitur totum corpus et membra simul cum capite; si igitur illa distinctam accepêre potestatem præcipue in ipsum caput, hæc non de Ecclesia in genere, sed de illis speciatim probari debuisset.

Tandem Febronius, quod hoc paragrapho concedit, Papam *caput Ecclesiæ* esse, tom. 3. tit. 2. omnino negare videtur. Quare? quia Scriptura solum Christum vocat *caput* Ecclesiæ, quia Augustinus Petrum non appellat caput, sed Christum, itidem S. Leo, et concil. Tolet. VIII. Hunc loquendi modum, ait, tenere fuisset securius, quam talem adhibere locutionem, quæ quibusdam præbuit ansam superbiendi, et actu multis dedit occasionem tribuendi capiti Ecclesiæ *ministeriali*, quæ tantum debentur *essentiali*, quod est Christus. tom. 2. flores sparsi. cap. 3. n. 5. ait, si Papa moriatur, hæreticus vel schismaticus fiat, *non desinit Ecclesia esse, atque ita Ecclesia per aliquod tempus sine ministeriali capite subsistere potest.* Item eod. tom. 2. inter addenda. p. mihi 621. ex Panormitano, quod *Papa non sit vere caput Ecclesiæ*, et ex academia Cracoviensi, *Papa dicitur caput per metaphoram.*

Quis crederet, Febronium absque pudore improbare, quod veteres SS. Patres et concilia distincte professi sunt, Papam esse caput Eccle-

siæ? sed quid juvat, tot ac tanta disputare? *primarium et essentiale caput Ecclesiæ* Christus est : hoc nemo negat. An ideo *ministeriale, vicarium* et *visibile* caput in Ecclesia militante non datur? hoc concilia œcumenica, traditio et Patres asserunt atque declarant, et ne quid novitatum amatoribus desit, etiam Galli et concilii Basileensis patres profitentur ac credunt; quod Pontifex, aiunt isti epist. ad Eug. P. *caput sit, et primas Ecclesiæ, vicarius Christi, non ab hominibus vel synodis aliis prælatus, — — — ista plane fatemur et credimus.* Id igitur catholico, et Febronio negare nefas est. Huic capiti *vicario* et *ministeriali* non totum tribuitur, quod debetur *essentiali* et *primario*, secus vicarium et ministeriale non esset, sed tantum, quantum necesse est ad regimen Ecclesiæ externum et visibile, eidemque tantum collatum fuisse, et necessario deberi, primo et secundo capite hucusque ostendimus : et quamvis Ecclesia hoc capite *visibili* et *vicario* ad tempus carere possit, sicut imperium monarcha, regnum suo rege, et quidem eo magis, quod adhuc adsistat Ecclesiæ caput invisibile et principale, tamen non semper carere potest, quia regimini externo et visibili necessarium est caput visibile. Ideo mirum est, eruditum Febronium, verba Cracoviensium in vim argumenti afferre, nempe Papam per metaphoram dici caput Ecclesiæ, nam ex eorundem verbis, et argumentorum serie os-

tendi potest, eos in hoc satis metaphorice locutos fuisse, similiter discursum Basileensium, quem Febronius tom. 1. citat, paralogismis et æquivocationibus laborare legenti manifestum est. Tales argutiæ incautis et parum eruditis imponere, et speciem argumenti conficere valent, verum a rerum gnaris vix attenduntur. Tanti interest, in quorum manus perniciosus quisquam liber incidat.

Adhuc præterire nequeo, quod Febronius t. 1. hoc cap. et paragrapho citet epistolam Sixti III. P. ad episcop. Illyr., quæ epistola nullibi in Labbeo, Binio, Baronio, Pagio aut nova conciliorum collectione D. Mansi, sed in solo Petro Constant. invenitur, et pro spuria habetur. In quo alios judicat, in hoc seipsum condemnat, nempe aliis semper spurias Isidori merces objicit, nunc talibus ipse in rem suam utitur. Num hæc sinceritatem auctoris commendant?

Ad 5. Papa est *vicarius Christi :* at etiam *episcopi* sunt vicarii Christi? ita est, quilibet in sua diœcesi est, et agit vicarium Christi, sed non quilibet episcopus est vicarius Christi *universalis* respectu totius Ecclesiæ, et cum tanta plenitudine potestatis, sicut Petrus. Hinc male scribit Febronius; *a simili vicariatu* non excluduntur reliqui episcopi: nam hæc *similitudo* se non extendit, nec ad præeminentiam gradus, nec ad universalitatem potestatis, in utraque Pontifex major est. Episcopus vices Christi agit in sua propria ec-

clesia, Pontifex in universa : episcopus tanquam vicarius Christi proprium suum gregem potestate et jurisdictione regit ; quidni et vicarius Christi universalis hac potestate et jurisdictione in totum gregem potietur ? haud existimo, amplius repetendos esse tot S. scripturæ et Patrum textus. Florentinum concilium hoc, subscribentibus Græcis, expresse definivit : quis nunc catholicus dubitare audeat ? si autem, definiente Florentino, Pontifex in Ecclesia tota verus Christi vicarius est, tunc vicarius non per se proprie, sed Christus invisibilis per suum vicarium visibilem etiam visibiliter suam regit Ecclesiam, secus cum heterodoxis dicere debes, Ecclesiam Christi invisibilem esse. Male igitur iterum, imo pessime concludit Febronius, *ut quod in sua origine in reverentia filiali, in magistrali auctoritate, demum in mero primatu fundatum est, post in Imperium sacrum pertrahatur.* Deneget prius, si possit, vel Christum habere imperium in Ecclesiam, vel deneget, Rom. Pontificem ejus vicarium esse in Ecclesia, vel deneget omnino in Ecclesia imperium esse. Nam si vel nullum imperium est in Ecclesia, vel Christus non habet imperium in illam, vel si tale quidem imperium existit, attamen non uni, sed multitudini datum est, tunc utique ille unus tale imperium non habebit ; verum hoc ipso Christi vicarius, eum repræsentans non erit, neque Christus, neque Ecclesia tali vicario indigebit, sicque tolli-

tur primatus, et democratia in Ecclesiam inducitur.

§ VII.

Relationes in gravioribus et dubiis causis ad rom. sedem fieri solitæ, magnum ei auctoritatis pondus addidêre.

Relationes, quæ de se minime sunt argumentum status monarchici, in hunc sensum paulatim tractæ sunt, dum Pontifices iis adsueti deinceps *pro jure* postularunt, et quod prius consuetudo fuit multorum, postea *in necessitatem* traxerunt. Non ad solum romanum, sed etiam ad alios magnæ auctoritatis episcopos, e. g. ad S. Cyprianum, recursus sumebantur. Theodosius Imp. tale privilegium indulsit episcopo Constantinop.; igitur hoc jus sua origine nulli sedium proprium est, et tamen ab una parte strictius vindicatum, ab altera remissius agnitum viam aperuit, mutandi *consilia* in *mandata*, *directorium* in *imperium*.

1. Primus id fecisse videtur Innocentius I. de *majoribus causis* ex *prætenso synodi statuto et veteri consuetudine* sedi rom. referendis ad Victricium Rothomag. Item alia epist. ad Nucerian. in epist. ad concil. Milevit. et S. Leo P. ad episcopos Galliæ epist. 10. sed dicebant hi Pontifices se esse *consultos*.

2. Hac eo tempore modestia utebantur Pontifices, ut non *novum jus* conderent, sed consulti

de jure constituto in dubiis responderent, quamvis Innocentius I. de causis majoribus jam ad se referri debere contenderet. Hoc tamen curabant, ut sua responsa, quæ et decreta vocabant, in aliorum notitiam pro norma disciplinæ deducerentur, et ut ait Petrus de Marca, ut mentes revocarent *ad observationem canonum et antiquæ traditionis.*

3. Hac auctoritate responsis Rom. Pontificum tributa, in unum collecta fuerunt a Dionysio exiguo et aliis, non ut eorum esset publica auctoritas, attamen hæc collectio a romana Ecclesia suscepta et probata fuit, ut a Nicolao I., Leone IV. etc. *codex canonum* dicta sit.

4. Hactenus satis moderate. At, introducto jure Isidoriano, alia rerum inducta facies, et episcopis imposita fuit necessitas et obligatio recipiendi, et se conformandi Rom. Pontificum decretalibus. Hoc prætextu sæculo IX. Joannes VIII. Wiliberto archiepiscopo Coloniensi Pallium negavit.

5. Cum tempore res longius processit. D. Barthel. annot. in jus canon. in procem. ait : postquam sæculo XII. studium juris civilis invaluit, etiam Pontifices totum processum forensem in Ecclesiam introduxerunt. Ceperunt tunc dispensationes, exemptiones, privilegia, indulta : Pontifices se canonum *Dominos* dixerunt, cum antecessores se tantum *custodes, vindices* et *executores canonum* nominarent ; hinc tot supplicationes, consultationes et rescripta prodierunt : Ecclesia *romana* cœpit vocari *curia*, nova disciplina et politia introducta est.

6. Justinianus Imp. relationes sibi factas prohibuit Novell. 125. Pontifices contraria politia utebantur, consulentes, et referentes laudabant ex ratione status, et Fleurius ait, Pontificum potentia nulla re magis censeri posse videbatur, quam si dispensationes a canonum observantia in infinitum extenderentur. De hujus rei veritate nemo dubitat, sed ad sequioris ævi corruptelas pertinet. Aliter sensit proba antiquitas.

7. Hæc intelligenda sunt sine præjudicio relationum *de rebus statum universalis Ecclesiæ tangentibus*, et ad Pontificem referendis. Interim necessariæ hæ relationes ansa fuerunt relationum de rebus ad officium primatis non pertinentibus.

8. Magnum in Ecclesia obsequium præstant in destruenda vesana securitate operam locantes, ne sub scuto dispensationum, indulgentiarum, exemptionum etc. ab obligatione communis legis quis immunis credatur, et potestas Pontificis in immensum extollatur ad parandum præsidium adversus conscientiæ remorsus.

NOTA.

Romana Ecclesia est centrum unionis : ad hoc centrum et jus essentiale primatus pertinet, ut *in negotiis gravioris momenti*, tum etiam quæ *universam Ecclesiam respiciunt, ubivis gerantur*, ad Rom. Pontificem referantur. Hoc non solum fatetur, sed etiam multis exemplis probat Fe-

bronius c. 2. § 4. num. 6. et præcipue § 6. per totum, uti ibidem retulimus.

Ipse loc. cit. hanc relationum consuetudinem et praxin non solum ex conciliis Ephesino, Chalcedonensi, Sardicensi, Africanis et vetustissimis Pontificibus confirmat, sed etiam antrorsum a concilio Arelatensi usque ad Ecclesiæ nascentis exordia et Clementem P., qui ad Corinthios scripsit epistolam, refert. Dum igitur una ex parte natura centri et unionis has relationes exigit, eæque ad jura primatus pertinent, inter quæ ab ipso Febronio reponuntur cit. § 6; ex altera parte a primitivis Ecclesiæ sæculis originem suam habeant, quarum epocha assignari nequeat, hinc sequitur, eas secundum tritam Augustini regulam ad traditionem apostolicam, vel omnino divinam referri debere, ideoque hoc ipso, et præcipue quia in jure primatus originario et essentiali fundantur, a Pontifice *pro jure* postulari. Frustra l. c. Adversarius illud Gregorii M. subjungit, *verbum jussionis, peto, a me removete*, et hic istas relationes vocat *consuetudinem multorum* et non necessariam: vel integrum suum paragraphum sextum in c. 2. expugnat Febronius, vel modo concedat, has relationes Pontifici *jure* deberi, et *pro jure* postulari. Quare jus relationum statum monarchicum omnino firmat, imo præsupponit.

Evanescit quoque illa inanis distinctio hìc num. 7. adhibita inter relationes de *rebus sta-*

tum universalis Ecclesiæ tangentibus. Utique Papa vi primatus suam sollicitudinem *ad omnes provincias et ecclesias* extendere debet, uti ipse Febronius fatetur, et exempla, testimoniaque a Febronio allata cap. 2. § 6. probant, et clare demonstrant, *de singulis quibusque provinciis*, ait concilium Sardic. et Innocentius I. *Per omnes provincias, quod per totum mundum possit omnibus ecclesiis in commune prodesse, diversorum consulta ad Petri sedem referenda esse.* Igitur non solum ea, quæ universam simul Ecclesiam, sed etiam singulas particulares ecclesias attinent. Quæ autem referri debebant, iisdem Febronii exemplis exponuntur. *Quoties fidei ratio ventilatur.* Innocent. I. epist. ad conc. Milev. *super anxiis rebus, quæ sit tenenda sententia*, idem l. c. *in rebus ad Ecclesiæ statum pertinentibus, si quid dubitationis fuerit exortum.* Avit. Vien. epist. 36. *in causis et litibus episcoporum.* Concil. Sardic. can. 3, 4 et 7. *ea omnia, quæ ad ecclesiasticum spectant statum.* Justin. l. 7. cod. de SS. Trinit. *quæ ad disciplinæ rationem et canones* pertinent. Innocent I. epist. 3. ad concil. Tolet., adeoque in summa ea omnia, quæ fidem, mores, leges, disciplinam, et statum seu regimen Ecclesiæ externum ubivis et in singulis etiam provinciis atque ecclesiis concernunt.

Ex proprio igitur ore judicatur Febronius, has relationes non meram *consuetudinem multorum* et

arbitrariam, sed veterem praxin in *traditione* stabilitam, et in essentiali jure primatus fundatam esse, adeoque a Rom. Pontificibus pro officio, *jureque* postulari, has relationes etiam ab ecclesiis particularibus deberi in rebus anxiis, dubiis, fidem, disciplinam et Ecclesiæ statum spectantibus. Hinc nos, etiam nolente Febronio, primatum jurisdictionis, ultimatum judicium, et quodammodo infallibilitatem Pontificis congrue deducimus.

Sit, quod ad Cyprianum primatem Africæ, et ad alios patriarchas etiam relationes factæ, vel fieri jussæ sint. Conveniens erat, ut inferiores episcopi prius cum suo primate conferrent, præcipue si propter distantiam ad Papam facilis recursus non esset. Attamen hi ipsi, si causa exigebat, postmodum ad Papam referebant, et in rebus gravioris momenti quivis episcopus per se ad eundem referre potuit, quod patet ex tot decretalibus epistolis ad particulares ecclesias et episcopos datis. Nihil interest, utrum mediate vel immediate consuleretur Pontifex, attamen in rebus majoris momenti inde ultimatum judicium exspectandum erat.

Ad 1. Qua fronte Febronius Innocentium I. accusat, quod majores causas ex prætenso synodi statuto et veteri consuetudine referendas esse scripserit? si jam ante ipsum hoc in conciliis Sardicensi, Arelatensi, duobus Carthaginensibus ab anno 255. receptum et observatum fuit. An Innocentius, qui anno 402. Petri cathedram as-

cendit, veterem consuetudinem et traditionem non melius novit, quam ultra tredecim sæculis posterior Febronius? vel an S. hic Pontifex omnino mentitus est, dum scripsit, *synodus statuit, et vetus consuetudo exigit?* si talia tam facile negare liceat, quid amplius ex traditione et veterum testimoniis certum habebimus? Julius I. Innocentio 64. annis anterior. rescripto ad orient. scribit: *cujus* (*apostolicæ sedis*) *dispositioni omnes majoris causas, et episcoporum judicia antiqua apostolorum, eorumque successorum atque canonum auctoritas reservavit.* Hinc patet, Innocentium P. non primum fuisse, qui causas majores *reservavit*, aut referendas dixit, dein, teste Julio, hanc consuetudinem ab apostolis, horumque successoribus, adeoque *traditione apostolica*, demum etiam ex canonum, utique in synodo aliqua constitutorum auctoritate derivari. Julius ergo eadem, quæ Innocentius, imo adhuc clarius loquitur. In hisce duobus testibus an non stabit verbum?

At eo tempore dicebant Pontifices, se tantum *consultos* esse, postea *consilia* in *mandata*, *directorium* in *imperium* migrarunt. Fors existimas, responsa Pontificum non nisi *consilia* fuisse pro libitu amplectenda vel rejicienda, vel eos ad consulta non potuisse legem dare? falleris: siquidem rescripta principum data solum *ad consultationem vel supplicationem alterius* vim legis habent, si publice promulgantur, vel corpori juris in-

seruntur. Illi autem Pontifices in suis rescriptis ad consulta præcipiebant, prohibebant, sanciebant, pœnas contra refractarios statuebant, atque ea in conciliis provincialibus, vel alias per episcopos promulgari jubebant, uti cap. 2. §§ 7 et 8. ostendimus: igitur illa rescripta non mera *consilia*, sed jam mandata erant. Rescripta vel decretales epistolæ, ait Barthel. annot. ad jus can. tit. 3. de rescript. *faciunt jus universale, quia vel Pontifex voluit illas extendere ad similes causas, vel quia relatæ sunt in corpus juris.* Potuit ergo Pontifex ad relationes et consulta dare legem, ex his etiam patet responsio.

Ad 2. Confer. etiam, quæ diximus in not. ad c. 2. §§ 7 et 8.

Ad 3 et 4. Inutiles quærelæ! ante omne jus Isidorianum Pontifices vi primatus habebant jus exigendi relationes in causis gravioribus, jus decidendi, statuendi, uti satis hìc et alibi ostendimus, igitur et imponendi obligationem recipiendi et se conformandi, sive dein *novum jus* conderent, sive dubia circa *jus constitutum* deciderent. Jam ante concilium Nicænum Stephanus P. venientes ab hæresi prohibuit baptizari celeberrimo illo decreto: *nihil innovetur, nisi quod traditum est.* Cornelius P. decreto edito pacem lapsis reddidit, idololatris veniam concessit, notamque controversiam decidit, de quo Eusebius lib. 6. c. 35. et Cyprian. epist. 67. *jam pridem collega noster Cornelius sanxit, ejusmodi*

homines lapsos quidem ad pœnitentiam posse admitti, ab ordinatione autem cleri et sacerdotali honore prohiberi. Notum est decretum Victoris P. de celebrando Paschate, et aliud Zepherini P., de quo Tertullianus : *audio, edictum esse propositum, et quidem peremptorium : Pontifex scilicet maximus, episcopus episcoporum dicit.* In antiquissimis collectionibus epistolarum Roman. Pontificum præmittuntur passim hæc verba : *incipiunt decreta Leonis, decreta Symachi, decreta Siricii, decreta Innocentii etc.* SS. Patres epistolas et rescripta Pontificum tanquam decreta et constitutiones citant : Sic Augustinus epistolam Zosimi, Sixti, Cœlestini, Athanasius Julii et alii aliorum Pontificum rescripta et decreta, tanquam Ecclesiæ leges allegant.

Audiamus denique universas ecclesias pro Rom. Pontificum legibus loquentes, Hispaniam in concilio Toletano III. *permaneant in suo vigore conciliorum omnia constituta, et synodicæ sanctorum romanorum præsulum epistolæ, et decernente Hilario P., nulli fas sit sine status sui periculo vel divinas constitutiones, vel apostolicæ sedis decreta temerare.* Galliam antiquam in concilio Turon. II. *Nos ergo hoc sequentes, quod vel Paulus apostolus, vel Papa Innocentius statuit, in canonibus nostris inferentes.* Africam epist. ad Innocent. P. *ut statutis nostræ mediocritatis etiam apostolicæ sedis adhibeatur auctoritas.* Daniam epist. ad Gelas. P. *saluberrima apostolatus vestri præcepta,*

qua oportet, devotione suscepimus. Universum denique orientem epist. ad Hormisum. *Quia non potest Domini nostri prætermitti sententia, tu es Petrus, quapropter sequentes in omnibus sedem apostolicam, et prædicamus omnia, quæ ab ipsa decreta sunt.* Cæcus sit, qui in his non clare Rom. Pontificibus assertam leges ferendi potestatem intuetur, et hæc quidem jam ante introductas Isidori decretales dicta et gesta sunt. Ad quid ergo tot circuitiones, exceptiones, violentæ aut malevolæ explicationes, ubi res in propatulo est?

Ad 5. Febronius non omnia fideliter proponit : affert, quæ invidiam creare possunt, et ignaros scandalizare, omittit, quæ excusationem adstruunt. Febronio longe æquior est. D. Barthel. Ait hic quidem loc. cit. novam disciplinam in Ecclesiam inductam fuisse per frequentes appellationes, relaxationes canonum, et adjectas conditiones pro valide et licite celebrandis conciliis minoribus; unde etiam recursus et rescripta insigniter augebantur. At causam hujus rei addit : *ex hoc neutiquam*, ait, *cum protestantibus inferre licet : ergo tum temporis spiritus Ecclesiæ dissipatus evanuit? nam cum spiritus Ecclesiæ sit ad ædificationem, non ad destructionem, et, refrigescente charitate fidelium, rigor ille canonum haud amplius expediret, Ecclesia eodem ducta spiritu illum recte immutavit.* Hæc omisit Febronius, et eorum loco sic inferius suum judicium profert :

hæc ad insignes sequioris ævi corruptelas pertinent. Aliter sensit proba antiquitas. En! quantum Barthelius et Febronius inter se distent. Videntur autem hæc ultima Febronii verba in ipsa protestantium objectione a Barthelio confutari. Cæterum dispensationes, exemptiones, privilegia tum non primum cœpêre, quod suo loco monstrabimus, attamen frequentiores invaluêre, et *hoc refrigescente charitate, ubi rigor canonum haud amplius expediebat.*

Ad 6. Veteres illi et sancti Pontifices ante omnes Isidori decretales laudabant referentes : an vero non laudare licet observantiam veteris juris et traditionis? an hoc iis in malum sensum pro libitu interpretari, suspectos reddere, et invidiosam rationem status idcirco affingere licet? dein ad dispensationes iterum recurrit auctor, sed de his suo loco.

Ad 7. Vana hæc exceptio jam supra præoccupata fuit.

Ad 8. Iterum alibi loquar de his, ubi ex instituto tractabuntur. Sciet interim auctor abusum frequentiorum dispensationum, indulgentiarum etc. non in solum dispensantem, sed plurimum etiam in petentes, horumque promotores et potentes commendatitias, ubi status petentium melius, quam Romæ cognosci debet, refundendum esse. Romæ et toti Ecclesiæ magnum obsequium præstabit Febronius, si hisce meliora persuadeat, ego vades ero, non tot amplius dispensationes

Roma mittendas esse. Scimus interim, multos obloqui, et publice scribere contra dispensationes et pluralitatem beneficiorum eodem tempore, quo ipsi iisdem inhiant, vel jam obtentis utuntur, et retinent. Quis credat, horum monita e sincero animo proficisci, non sua quærere, sed quæ sunt Jesu-Christi, scandala, quæ prædicant, respectu ipsorum non pharisaice esse? Medice, cura te ipsum.

Febronius, qui sicut vasta eruditione, ita et proprio sensu multum abundat, tom. 3 et 4. hisce adhuc numerosas explicationes, exceptiones, allegationes, restrictiones, limitationes opponit. Tom. 3. iterum repetit modum promulgandi, et vim legis conciliandi decretis Pontificum *per consensum episcoporum*, et per *insertionem* talis decreti in *codicem canonum ab ecclesiis receptum*. De primo modo satis dixi cap. 2. §§ 7 et 8. in not. putat nihilominus, necessitatem consensu episcoporum ad vim legis Pontificiæ se posse evincere ex Petro Constant. qui ait, Afros decreto Siricii P., *ne quis episcopum extra conscientiam sedis apostolicæ ordinaret*, hanc clausulam et temperamentum addidisse, *hoc est primatis*, ut quod suburbicariis ecclesiis præscriptum erat, ad suam ipsi consuetudinem accommodarent.

At inanis hæc conjectura est quam P. Constant. nulla ratione probat, nec probare potest. Siricius P. Romæ in basilica S. Petri celebravit synodum 80 episcoporum ad restaurandam in

Africa collapsam disciplinam : epistola, de qua sermo est, erat synodalis specialiter ad Afros data, quibus etiam inscripta fuit, si tamen genuina est. In hac ipsa epistola occurrunt illa verba, *extra conscientiam sedis apostolicæ, hoc est, primatis.* Quò igitur fundamento P. Constant. dicere audet, hanc epistolam primum Italorum episcoporum causa scriptam fuisse, et ubi ad Afros perlata est, hanc clausulam et mutationem ab iis additam fuisse. Ubi, quando, a quibus hoc factum est? num ita fingere licet? ipse Siricius scribit, *extra conscientiam sedis apostolicæ, hoc est, primatis.* Quid hæc verba aliud innuunt, quam approbationem et confirmationem ordinandi episcopi primario ad sedem apostolicam pertinere, quod jus, quia ab hac propter distantiam locorum non exercebatur, secundum illius ævi disciplinam ad primates provinciarum delatum fuit, ita ut si ordinatio episcopi scientia et consensu primatis fieret, idem esset, ac si scientia sedis apostolicæ facta fuisset. Confer. supra § 5. in not. Africani igitur episcopi ad decretum Siricii nihil addiderunt, nec contra vim legis Pontificiæ hinc aliquid eruitur.

Dicit equidem Siricius cit. epist., se non *nova præcepta* dare, sed observari velle, quæ *apostolica et Patrum constitutione sunt constituta.* Sed jus ordinandi et confirmandi omnes archiepiscopos primitus ad solos patriarchas spectabat, uti probavimus supra § 5. in nota, et infra c. 4.

§ 3. per *metropolitanos* igitur primario intelliguntur patriarchæ, dein illi, ad quos jus illud successu temporis a patriarchis delatum fuit, quippe non omnes metropolitani confirmabant episcopos suæ provinciæ, uti in Italia etc., et patriarcha Constantinopolitanus hoc jus in toto patriarchatu solus exercebat. Quod secundum promulgandi, et pontificiis epistolis vim legis communis conciliandi modum attinet, nempe per relationem in codicem canonum ab ecclesiis receptum, Febronius nihil iterum lucratur. Nullus dicit, omnes omnino Pontificum epistolas et responsa per se vim legis habere, et quidem eo ipso, quia illi nolebant ea tanquam leges præscribere, sed tantum ad privatos, et sæpe sola magistrali auctoritate datæ sunt. Hæc igitur suam auctoritatem tantum mutuant ab observantia, et quod in codicem juris communis relata sint.

Dum Italus dixerat, Febronium solum primatum ordinis admittere, respondet, *non meri ordinis prærogativam, sed permagnæ auctoritatis et potestatis esse,* quod Pontifex *solus* et jure suo possit circa legem fideles *instruere, observantiam mandare, urgere*, finaliter *ex præscripto canonum* rebelles a gremio Ecclesiæ *abscindere.*

Nescio, qualiter ista cohæreant. Si Papa non potest legem *condere,* si *ad esse legis* requiritur *consensus et acceptatio Ecclesiæ*, si non *nisi ex præscripto canonum* potest rebelles *abscindere,* tunc ipse non potest proprie observantiam suæ

legis urgere, mandare, et illa omnia proprio, sed tantum alieno jure agere, quæ qualiscunque potestas meri ordinis, non veræ et propriæ jurisdictionis est.

Tandem auctor tom. 4. part. 2. c. 3. num. 6. quinque *relationum* species distinguit. 1. Quæ materiam fidei et statum Ecclesiæ spectant. 2. Quæ ad tutelam et executionem canonum pertinent. 3. Quæ solum pro consilio et magistrali doctrina proponuntur. 4. Relationes *graviorum causarum* et *appellationes* non pertinere ad substantiam primatus, sed variantis disciplinæ esse. 5. Relationes actorum in conciliis provincialibus et aliis majoribus, antequam executioni mandarentur, hoc vero tantum ex canonum præscripto et antiqua observantia, synodum quoque posse aliter statuere, quam Pontifici visum fuit.

Ex his relationum speciebus solum priores duas concedat primatui *jure divino* annexas esse. Ergo, quoad priores duas relationum species, saltem verum est, eas a Pontifice *pro jure* postulari posse, non in *mera consuetudine*, sed in vero *jure primatus* fundari, neque hoc jus intra solum occidentem concludi, ut cit. loc. Febronius perperam adstruit, quia primatus jure divino ad universam Ecclesiam se extendit. Ruit igitur, quod initio hujus paragraphi a Febronio dictum fuit. De tertia specie relationum, eas a Papa pro jure postulari, et necessario ad eum referri debere, nemo somniat. De quarta et quinta dicemus, ubi

de causis majoribus, appellationibus et conciliis agemus.

§ VIII.

Quæ hinc, inde occurrunt figuratæ aut ampullatæ Patrum elocutiones, substantiam rei non mutant.

Genuina Ecclesiæ romanæ jura Patribus, scriptoribus ecclesiasticis, et ipsis Pontificibus sæpe ansam dederunt, ut de illis in æstu concertationis amplissimis verbis loquerentur et scriberent. Nempe a proprio et stricto verborum sensu nonnunquam generalius, et sine consideratione argumenta sumuntur ad determinata quædam jura, quæ primatui adhærere serius prætensa sunt. Hinc Græci in concilio Florentino Romanis opposuêre : *quæ honoris causa dicta sunt, in consequentiam trahi non debere.*

1. In decreto, decretalibus et constitutionibus Pontificum admodum frequens est usus, seu potius abusus verborum Christi : *tu es Petrus, et super hanc petram etc. Pasce oves meas etc. Ego rogavi pro te etc.* ad stabiliendam universalem monarchiam, infallibilitatem, et jus exclusivum cognoscendi de causis majoribus. Porro hos textus ad id, pro quo allegantur, nimium generales, et plane extraneos esse, c. 1. ostensum fuit. Si hoc evenit circa verbum Dei, quis mirabitur, similem aut majorem abusum circa scripta Patrum ? de quibus solum pauca pro exemplo afferuntur.

2. Hieronymus epist. ad Damas. P. *Ego nullum primum, nisi Christum sequens beatitudini tuæ, id est, cathedra Petri communione consocior. Super illam petram ædificatam Ecclesiam scio : quicunque extra hanc domum agnum comederit, profanus est, si quis in Arca non fuerit, peribit. Et postea, quicunque tecum non colligit, spargit : hoc est, qui Christi non est, antichristi est.* Hæc verba, utcunque turgida aliud non exprimunt, quam communionem cum prima sede, nempe romana.

3. Augustinus epist. 43. *in romana Ecclesia semper apostolicæ cathedræ viguit principatus.* Et epist. 190. *me apud Cæsaream præsente venerunt, quo nos injuncta nobis a venerabili Papa Zosimo apostolicæ sedis episcopo ecclesiastica necessitas traxerat.* Hìc iterum nihil, præterquam universalis primatus, et huic cohærens jus indicendi synodos.

4. Dum episcopi Africani duabus synodis Pelagianos damnassent, harum confirmationem a Papa petierunt, ut nempe sua doctrina cum traditione sedis apostolicæ collata origini conformior agnosceretur : hoc sensu dixit Augustinus epist. 95. ad Innocent. I. *utrum noster rivulus, licet exiguus, ex eodem, quo etiam tuus abundans manet capite fluentorum, hoc a te probari volumus.* Postea, collatione facta, dixit, *causam finitam esse*, et quidem ex decisiva ratione, quia Papa respondit, *quod antiquitus apostolica sedes cum cæteris tenet perseveranter Ecclesia.* Seu

quia in Rom. Ecclesiæ doctrina universalis Ecclesiæ sententiam se invenisse putabat. Interim non omnibus ita visum, et causa illa primum in Ephesina synodo *plene* et *effective* terminata fuit. Romani illa verba Augustini, *causa finita est*, pro universali regula ad omnes causas per Rom. Pontifices decisas sumunt, e contra, aliud ejusdem doctoris dictum, *restabat adhuc plenarium Ecclesiæ concilium*, ad unum solum particularem casum pertinere contendunt.

5. Pariter circa quæstionem de divinitate Spiritus S. Sozomenus lib. 4. histor. cap. 21. ait, *controversia judicio Rom. Ecclesiæ terminata, singuli quievêre, eaque quæstio tandem finem accepisse videbatur.* Hìc advertit Febronius, Pontificem scripsisse orientalibus, ut *cum episcopis occidentis* sentirent, sicque *ut patriarcham* omnium occidentalium fidem proposuisse. Dein *videbatur* causa terminata, attamen unius Rom. Pontificis judicio ad hoc minus sufficiente, quies Constantinopolitani concilii auctoritate stabiliri adhuc debuit.

6. S. Bernardus lib. 2. de consid. cap. 8. *quis es? sacerdos magnus, summus Pontifex: tu princeps episcoporum, tu hæres apostolorum, tu primatu Abel, gubernatu Noë, patriarchatu Abraham, ordine Melchisedech, dignitate Aaron, auctoritate Moses, judicatu Samuel, potestate Petrus, unctione Christus. Tu es, cui claves traditæ, cui oves creditæ sunt. Sunt quidem et alii cœli*

janitores, et gregum pastores. — — — Habent illi assignatos sibi greges, singuli singulos, tibi universi crediti sunt, uni unus, nec modo ovium, sed et pastorum tu unus omnium pastor. Ex amplissimis his verbis, figurarum plenis, nihil eruitur, quam sollicitudo omnium ecclesiarum. Ævo D. Bernardi systema falsarum decretalium jam prævaluerat; unde minime mirandum, si idem vir sanctus secundum hujus corruptæ œconomiæ ideam locutus fuerit, et quædam scripturæ loca in eundem sensum traxerit, quæ secundum se spectata illuc nulla ratione pertinere noscuntur.

7. Hæc lucem dare possunt aliis similibus Patrum locis, in hanc causam allegari solitis, quam nulla ratione evincunt.

NOTA.

Si genuina primatus jura Patribus ansam dederunt, de illis *amplissimis verbis* loquendi, tunc certe eximia et magnifica esse debent, et non talia, qualia sunt *meri præsidis in collegio judicum*, nisi Patres tantum lusisse velis; neque solum hi talia in æstu concertationis, sed ut plurimum narrando, asserendo et profitendo locuti sunt. Italus hic Febronio satis apposite et veraciter respondet. Avide corradit Febronius ea omnia, quæ primatum Pontificis impugnant, unde demum sive ex fonte sacro, profano, vel

hæredicali proveniant, omnia invicte concludunt, et in solidam auctoritatem admitti debent. E contra, si scriptura, si Patres pro nostra sententia pugnant, eorum verba in *sensu accommodo* intelligi postulat, elocutiones *figuratæ* et *ampullatæ* sunt. At si ita est, quis credat amplius SS. Patrum verbis? an non quivis rejicere poterit, hæc *metaphorica*, ista *hyperbolica*, illa *ampullata* esse, nec in sensu litterali sumi debere? verum, an non sic tota traditio, quæ SS. Patrum testimoniis innititur, dubia redditur, imo penitus evertitur, et demum hi, dum de sede apostolica magnifice loquuntur, adulatores, assentatores et parasiti dicendi forent? quod impium est. Græci utique dixerunt, *quæ honoris causa dicta sunt, in consequentiam trahi non debere.* At hæc utique in *æstu concertationis* dixerunt, et ipsis adhuc probandum restabat, ea non vere et proprie, sed *solum honoris causa* dicta fuisse. Sed quis nescit, in conciliis non intermedias disputationes, sed finem attendendum esse? contrarium ipsis probatum fuit, et in fine Græci manus victas dedêre, atque primatum universalem Rom. Pontificis definiendo subscripserunt. Hæc attendere debuisset Febronius.

Ad 1. Verba Christi de primatu Petri universali et jurisdictionis recte et proprie intelligenda esse, c. 1. in not. invicte demonstratum fuit. Non igitur *abusus*, sed genuinus usus est horum verborum, si ad primatum adplicentur.

Ad 2. Verba Hieronymi non nisi communionem cum sede romana exprimunt : nimium parcus es, amplius quid exprimunt : Hieronymus scripsit tempore schismatis, in quod totus oriens scindebantur : in his turbis nil sibi securius et certius fore existimabat, quam communionem tenere cum romana sede : verum et hujus communionis rationem et argumenta addit, quæ præprimis attendi debent; nempe, quia *supra illam petram ædificatam Ecclesiam sciebat*, et quia quivis extra hanc communionem *profanus* est, cum non *Christi*, sed *antichristi* sit, ideoque per hanc communionem se ab omni erroris periculo immunem præstat, quæ omnia in cathedra Petri inerrantiam et infallibilitatem in fide præsupponunt. Igitur non *sola communio*, sed etiam *necessitas* et *ratio communionis* exprimitur. E contra, in sensu Febronii Ecclesia super cathedram Petri non est fundata, sed super omnes apostolos, profanus non est, qui extra hanc domum agnum comedit, modo in Ecclesia aliqua comedat, quia omnes episcopi auctoritate sunt æquales, non romana Ecclesia sola audienda est, sed quævis ecclesia, quia illa dono inerrantiæ non gaudet. Vides hinc, quare Febronio verba Hieronymi *turgida* visa sint? nempe, quia ejus systemati directe adversantur.

Ad 3. Nescio, quid in Augustini epist. 43. Febronium fors offendere possit, nisi vox *principatus*. At Augustinus haud facile patietur, a

Febronio se corrigi, postquam in libris retractationum omnia corrigenda ipse correxit et retractavit; neque tam impudens erit Febronius, ut Augustinum, qui Isidori decretalibus decipi nondum potuit, inter assentatores romanæ cathedræ reponat, quando cum Irenæo, Epiphanio et aliis illorum temporum Patribus locutus fuit, qui Petrum communiter *principem* apostolorum, et ejus primatum *principatum* adpellant. Haud igitur Augustino propter vocem *principatus* molestus sit Febronius, concedatque eam sana mente et in proprio sensu a S. Doctore adhibitam fuisse.

In secundo textu Febronius ipse in Papa jus indicendi concilia recognoscit, et quidem vi primatus, quod aperte negat cap. 6. § 2 et 3. de concil. Dum vero S. Augustinus *injunctam necessitatem* vocat, valde dubito, utrum hoc cum primatu *nudi directorii* conciliari queat?

Ad 4. Gratis omnino fingitur, Afros suos synodales rationes ideo solum Romam misisse, ut eorum doctrina cum romanæ Ecclesiæ doctrina conferatur, ac si particularium ecclesiarum doctrina pro formando judicio romano necessaria foret; sed e contra, ut si Afrorum doctrina cum romana Pontificis consentiret, tum illam approbaret, hinc ait S. Doctor, *hoc a te probari volumus, utrum noster rivulus exiguus ex eodem, quo tuus abundans emanet capite fluentorem.* Igitur doctrina Africana judicio romano non in subsidium venire debuit, sed potius tunc solum

approbari et confirmari meruit, quando et quia romanæ doctrinæ conformis est.

Pariter minus vere dixit Febronius, quod Augustinus, facta collatione, in responsis Innocentii P. sententiam universalis Ecclesiæ invenisse ratus, exclamaverit : *causa finita est.* Duo concilia Africana non ad totam Ecclesiam, nec ad synodum universalem missa sunt, sed ad solam sedem romanam, ab hoc solum Augustinus ea probari voluit, *hoc a te probari volumus,* ab hac etiam sola peremptorie decisa fuit, et dein exclamavit Augustinus, *causa finita est.* Igitur Augustinus judicium romanum censuit esse ultimatum et infallibile. Neque obstat, Augustinum dixisse, quod Innocentius non potuerit aliud respondere, *nisi quod antiquitus apostolica sedes romana cum cæteris perseveranter tenet Ecclesia.* Quippe romana non tenebatur prius cæterarum ecclesiarum particularium sententiam et doctrinam exquirere, sed harum sententia et consensus in illa tacite jam includebatur propter nexum unitatis, ob quam cæteræ cum romana in doctrina conspirare debebant, utpote in qua tanquam centro hærebat traditionis apostolicæ depositum; unde hæc tantum suam sententiam promebat, quæ etiam censeri debet sententia aliarum ecclesiarum, communione doctrinæ et fidei cum ipsa conjunctarum, hicque est sensus verborum Augustini. Tandem male suggillat Augustinum Febronius, *causam finitam* non fuisse,

nisi postea in synodo Ephesina. Certe in sententia Augustini per judicium romanum causa finita fuit, non tamen error finitus erat, hinc Augustinus querebatur, *error utinam finiatur.* Hoc vero ad contumaciam hæreticorum pertinet, non ad labefactandum judicium romanum inferri potest. Causa Arii in concilio Nicæno finita fuit, error tamen finitus non fuit, qui dein cum auctore iterum in conciliis Sardicensi, Mediolanensi, Romano, Parisiensi sine omni præjudicio Nicænæ synodi damnatus fuit. Vere igitur Augustinus dixit, causam finitam esse, nec ad ullum amplius concilium respexit, vel necessarium esse censuit. Dum vero Augustinus alibi de Donatistis dixerat, ipsis post judicium romanum adhuc *restare plenarium Ecclesiæ concilium*, id S. Pater non in proprio, sed in sensu et persona Donatistorum præferebat : *ecce putemus*, ait, quod idem est ac *supponamus*, *quod dicunt, eos non habuisse bonos judices etc.* Quippe de concilio Arelatensi postea ab Imperatore ipsis concesso aperte dixit, hoc non fuisse *necessarium*, et datum fuisse solum *eorum perversitati*, non jure, atque ad cohibendam *impudentiam*. Cæterum, si, juxta mentem S. Augustini, Donatistis revera adhuc restabat concilium, quare huic, postquam illis concessum fuit, æque non adquievêre, sicuti judicio romano, et insuper ad Imperatorem appellaverunt ? igitur causa eorum neque concilio finita fuisset. Confer. cap. 1. § 7. in not.

Ad 5. Similis fere responsio est. Quæro tantum, de quibus *episcopi romani litteris*, et *judicio romano* Sozomenus loquatur, vel intelligi debeat? scripsit Damasus P. contra hæreses tunc grassantes ad Paulinum Antiochenum epistolam, ab orientalibus episcopis subscribendam: scripsit et aliam ad episcopos orientales, qua synodum Constantinopolitanam I. confirmavit, testatur hoc Photius auctor hac in parte nemini suspectus lib. 7. de synod. ubi de synodo Constantinop. I. ait: *quibus haud multo post et Damasus episcopus Romæ eadem confirmans atque sentiens accessit.* Si de prima epistola Sozomeno sermo sit, igitur ad solam episcopi romani sententiam *controversia terminata fuit, singuli quievêre*, et *quæstio finem tandem accepisse videbatur* ante omne concilium, quod dein ad contumaciam erroris frangendam ex parte adhuc celebratum fuit; dico *ex parte*, nam et aliæ synodi hujus congregandæ causæ suberant, nempe, ut Nicæna fides confirmaretur, et Constantinopoli ordinaretur episcopus, teste Socrate lib. 5. c. 8. at tali modo elucet auctoritas romani episcopi in oriente certe maxima, qui ibi ad suum judicium tam promptos et obsequentes habuit episcopos; neque his saltem concilium necessarium, vel quæstionem non finitam esse visum est, *si singuli quievêre, et controversia terminata fuit.* Sit, quod error finitus non fuerit, et alii rursus motus ciere non destiterint, quod, ut dixi, etiam post damnatos

errores in conciliis generalibus Nicæno, Ephesino, Chalcedonensi etc. factum est, quamvis causa terminata fuisset. Tantam reverentiam vero et obsequium soli *patriarchæ*, et episcopis occidentis reliquos patriarchas et episcopos orientis, in tanta controversia inter eos mota, mox tam prompte exhibuisse, statimque cessisse, credibile non est. Si autem Sozomenus de secunda epistola synodi Constantinopolitanæ confirmatoria loquatur, quod verisimilius est, quia *judicium* Romanæ Ecclesiæ vocat, tunc utique illa synodum non præcessit, sed subsecuta fuit : et revera synodus Constantinop. œcumenica non fuit, nec robur habuit, nisi postquam missis litteris a Damaso confirmata fuit, et sic, *utpote controversia judicio Rom. Ecclesiæ terminata, singuli quievêre.* Quidquid ergo dicas, causa episcopi romani tanquam primatis universalis sententia terminata fuit.

Ad 6. Febronius ex verbis S. Bernardi nil nisi *sollicitudinem omnium ecclesiarum eruit*, ubi tamen S. Pater *principatum, primatum, gubernatum, dignitatem, auctoritatem, judicatum, potestatem*, semper supremam, et officium *pastorale universale* clare exprimit. Revera ejus verba amplissima sunt, nec validiores comparationes institui possunt pro probando primatu universali jurisdictionis et infallibilitatis in Pontifice, atque pro monarchico regimine : certe in sensu Febronii primatum neutiquam exprimunt, sicque totus noster est Bernardus. Quid igitur ? fal-

sis decretalibus obcæcatus fuit; unde ergo illum tam perspicacem deprehendit Febronius in materia dispensationum, exemptionum etc. et alibi, quo sæpius in rem suam gloriatur? id saltem non solum asserere, sed etiam probare debuisset : non quicunque nostram tenet sententiam, eam ex falsis decretalibus hausit, aut iisdem innititur. Nos eandem hactenus ex genuinis fontibus, et certis testimoniis explicavimus, nec ulla facta falsarum decretalium mentione.

§ IX.

Status Ecclesiæ exterior per falsas Isidori decretales penitus immutatus est.

Lineamenta hujus systematis.

Ansam Pontificiorum jurium extra legitimos fines proferendorum, omnium ferocissimam, egregie ementitam, a primævo statu et a veritate plane alienam dederunt Isidori decretales spuriæ sæculo VIII. Per hanc decretalium confictionem et introductionem Patrum disciplina confracta, et quasi pro jure proposita principia, tanquam ab apostolica traditione ad nos transmissa, quæ apostolorum moribus, et primorum sæculorum observantiæ directe repugnant. De his mentionem facit Stephanus Balluzius præfat. ad lib. Reginon. § 3. et inter alia, Gallicanos episcopos litem adversus eas movisse, vicisse ta-

men fortunam populi Romani. Isidorus autem Ecclesiæ formam per sua falsa corrupit.

1. Rom. Pontificem ex epistolis Stephani I., Victoris, Pontiani, Sixti I. facit *uiversalis Ecclesiæ* episcopum.

2. Ex Anacleto, Marcello, omnes *causas majores et difficiliores* ad sedem apostolicam vult referri.

3. Sub nomine Sixti I., Aniceti, Euleterii, Victoris, Zepherini, Marcelli romanæ sedi reservat *causas episcoporum.*

4. Ex Damaso et Julio I. nulla *concilia* etiam *provincialia* sine auctoritate Rom. Pontificis celebrari posse.

5. Nec concilii decreta rata esse sine ejus *confirmatione.*

6. Ex Antero P. fingitur *translatio* cujusdam Eusebi episcopi ad sedem Alexandrinam.

7. Item ex variis antiquis Pontificibus *appellatio* ad sedem rom.

8. Ex Pelagio I. quod metropolitani debeant recipere *pallium.*

9. Quod non liceat dissentire a consuetudine Ecclesiæ Romanæ, *et salva sit in omnibus apostolica auctoritas.*

10. His pro veris reputatis, facile concluditur *pro monarchia Papali*, ut episcopi sint meri ministri vocati in partem sollicitudinis, solus Papa in plenitudinem potestatis. Ita Gratianus quoque.

11. Petri Constant. egregie disserit præfat. ad

epist. rom. PP. de damnis per falsas has decretales illatis, præcipue quod novatores, perspecta illorum falsitate, etiam gradum facerent ad genuina in dubium vocanda.

12. Isidorus contra regulam Vincentii Lirinensis formam Ecclesiæ et regiminis non talem, *qualem a Patribus acceperat*, posteris *consignavit*, sed quo ipse *voluit, duxit*. Porro *Ecclesia*, ut ait Facundus, *non est indiga falsitatis*.

NOTA.

Millies, et singulis fere paragraphis Febronius lectorem admonet, atque omni modo inculcat, per falsas Isidoris decretales totum Ecclesiæ statum immutatum fuisse, inde Pontifices suæ auctoritatis incrementa accepisse, hisce cardinibus monarchiam Papalem inniti, per has traditionem apostolicam, Patrum disciplinam, primorum sæculorum genuinam praxin, et consuetudinem adulteratam, imo confractam fuisse, illas omne malum in Ecclesiam induxisse, imo plus mali, quam omnes simul hæresiarchas eidem intulisse. Vid. infra cap. 8. § 8.

Profecto si omnes accusationes, exprobrationes, querelas contra Isidori decretales ex libro Febroniano abscindas, dimidium operis demes. Sed quæritur, utrum omnes hæ querelæ et accusationes justæ ac veræ sint?

Interim nostro ævo non solus Febronius his

armis pugnat. Quidquid vel regimen externum Ecclesiæ, vel Rom. Pontificis prærogativas, vel episcoporum jura in personas sacras, vel denique immunitatem ecclesiasticam realem aut personalem attinet, omnia facile prætextu falsarum decretalium exploduntur, quasi Ecclesiæ præter has nulla alia supersint certiora et genuina jurium suorum monumenta, omni ætate maxima in veneratione habita. Præprimis hoc notandum volo : quæcunque hactenus pro regimine monarchico, Rom. Pontificis primatu universali et jurisdictionis a nobis dicta, et de hujus juribus adhuc dicenda sunt, neutiquam ex falsis decretalibus probavimus, sed semper scriptura, traditione, Patribus ac testimoniis certis, genuinisque utimur. Regimen Ecclesiæ ante et post Isidori decretales monarchicum fuit, et longe aliis, quam hisce decretalibus, fundamentis fulcitur, uti cap. 1 et 2. abunde ostensum fuit. Per nos ergo nihil interest, sive tales falsæ decretales existant, sive non, et in vanum laborat Febronius, illas continuo lectori objiciendo, quando nobis in nullo argumento sunt, et omnia momenta aliunde demonstrantur.

Attamen nec illæ Isidori decretales tam atro stigmate notari merentur, uti inclamat Febronius. Et quidem ante Siricium P. jam decretales epistolas oppido plurimas a Rom. Pontificibus prodiisse certum est. Sic S. Hieronymus epist. ad Ageruchiam memorat, se *in responsis ad orientis,*

occidentisque consultationes Damasium P. juvare. Leo I. P. qui 42 annis post Siricium Pontificatum cœpit, epist. 1. ad univers. episcop. Italiæ ait : *omnia decretalia constituta omnium prædecessorum nostrorum ita vestram dilectionem custodire debere mandamus, ut si quis illa contempserit, veniam sibi deinceps noverit denegari.* Nicolaus I. epist. 47. ad Galliæ episcopos idem Leonis decretum allegat atque confirmat. Verum, veteres illas decretales eas ipsas esse, quas Isidorus collegit, eruditi negant, hasque spurias esse dicunt. Sed duplici modo spuriæ esse possunt, primo præferendo falsum nomen auctoris et ætatem, quam non habent : secundo quando non quoad auctorem aut ætatem modo, sed in seipsis confictæ ac falsæ sunt. Primo modo ut plurimum spurias esse facile concedimus, et in hunc sensum eruditi loquuntur ; at inficiamur, eas omnino in se confictas et falsas esse. Habeat adversarius hujus rei testes, contra quos nullam exceptionem facere poterit, suos nempe patronus Petrum de Marca lib. 3. de concord. cap. 5. n. 1. *in eo suffragari non possum, quod atrocibus verbis epistolas dilacerat (Blondellus) quas e sententiis et verbis legum, canonum antiquorum et SS. Patrum, qui in quarto et quinto sæculo floruerunt, si pauca demas, concinnatas esse constat.* Launoi. in Anti-Bellarm. addit. 1. *igitur longe probabilius est, harum epistolarum consarcinatorem esse plagii turpissimi reum, quod Patrum posteriorum*

dicta exscripserit, et alienis vulgaverit nominibus. Natal. Alexand. dissert. 21. sæc. I. ait, multa concilia et insignes scriptores has decretales laudasse, *non quod illas a SS. Pontificibus datas censerent, sed quia illas quoad dogmatum veritatem, quoad judiciorum ordinem ab Ecclesia receptas noverant, quorumcunque auctorum essent.* His accedunt, cardin. Bona, Sirmondus, Petavius, uterque Pagius, Labbæus, Christianus Lupus etc.

Ex his colligitur, quod illæ Isidori decretales non tantum contra fidem et doctrinam morum nihil contineant, sed potius eandem nobis ex sententiis canonum, antiquorumque SS. Patrum dictis quarti et quinti sæculi proponant, consequenter nec falsa, nec nova esse, quæ hisce decretalibus innituntur, sed omnino veteri traditioni et antiquis canonibus conformia, quamvis non eorum, quæ præ se ferunt, nominibus gloriari debeant, neque primi et secundi sæculi ætatem plene adæquent. Hoc tamen nihil refert: multa olim opera certis auctoribus perperam adscripta fuisse posterior critices detexit, sunt nihilominus in se bona, et omni veneratione dignissima. Quo igitur fundamento Febronius omnia jura sedis apostolicæ, quæ hoc paragrapho per 12. numeros enumerat, et ubivis prætensiones et usurpationes vocat, *conficta et falsa* asserere audet? ostendat prius, omnia et singula hæc jura nullo alio fundamento, sed solis falsis decretalibus niti: ostendat, omnes et singulas decre-

tales, quibus innituntur, non nomine solum auctoris, sed in substantia et reipsa confictas atque falsas esse : ostendat denique, has falsas decretales, et præter has nullam aliam causam fuisse, disciplinam, formamque Ecclesiæ immutandi.

Febronius ad ista tom. 2, 3 et 4. multa respondet, nempe, etiam testibus Petro de Marca et Natali, aliisque per falsas decretales statum Ecclesiæ penitus immutatum fuisse, eas Ecclesiæ magna damna intulisse, potestatem Pontificis auxisse, totum corpus juris canonici infecisse, synodorum et metropolitanorum juribus grave vulnus inflixisse, etiam conciliis generalibus illusisse, uno verbo per eas veteri detrito et abjecto novum jus in Ecclesiam introductum fuisse, et quis amplius mussitare audeat, si adhuc Durandum Mimatensem, Fleurium, Ballu-zium, Gersonem, Constant., Gregor. Zallwein, Gibert, Barthel, Berard et ipsum D. Bernardum in aciem producat? sed meminerit Febronius, se D. Bernardum mox superiori paragrapho falsis Isidori decretalibus obcæcatum pronuntiasse, et nunc contra eas adversarius profertur, teste de Marca, Natali præter nomen et ætatem in se nihil mali aut falsi, sed potius disciplinam quarti aut quinti sæculi continere. Quidquid sit, ex his auctoribus unum, alterumve Febronio lubens concedo, potiores tamen, quantumcunque adversus Isidori decretales inclament, eas nihilominus in sensu Febronii, et eum in

finem neutiquam impugnant, ut tales, quales ipse, inde sequelas deducant. Non vacat, omnium mentem et argumenta speciatim indagare. Totam rei summam ad subsequentes quæstiones reducimus.

Quæritur 1. utrum per Isidori decretales in Ecclesia aliquid essentiale, nempe quoad dogmata fidei et morum immutatum sit? si ita, tunc portæ inferi prævaluerunt adversus Ecclesiam, et hæc in essentialibus defecit, adeoque verum erit, *quod epistolæ decretales seducant a fide Christi.* At hæ sunt calumniæ Novatorum, et ultima propositio damnata fuit ut hæretica in synodo Constant. adversus Wicleffum. Miror, Febronium hanc objectionem, quam sibi Italus jam opposuit, a se non amoliri, dum tom. 3. § 7. ait, *Italus audet sustinere, per eas* (decretales) *nihil substantiale fuisse immutatum in Ecclesia.* — — — *Ut virum hunc erroris convincamus etc.* Et tamen Italus editione mihi Lucensi de anno 1770. clare asserit, se per e. g. *essentiale* intelligere dogmata ad fidem et mores spectantia.

Haud existimo, Febronium cum Blondello et Novatoribus sentire, quod Ecclesia in his defecerit. Quanquam sibi non cohæreat (secundum mitiora eum judico) dum tom. 2. apolog. advers. 4. theolog. pag. 305. ait : *de doctrina hic non queritur : hanc noluit corrumpere Isidorus, sed disciplinam, extollendo Papam supra modum.* Si ergo solum circa disciplinam quæstio versatur,

Quær. 2. utrum ea in Ecclesia mutari non possit? utique de hoc nemo dubitat, dum etiam in veteri Ecclesia mutationem quandoque subiit.

Quær. 3. utrum a sæculo IX. nulla exstiterit causa immutandi disciplinam, præter has solas decretales?

Quær. 4. utrum per decretales Isidori Rom. Pontifici jus aliquod accreverit, quod prius nullo modo aut titulo habebat?

Nos admittimus, sæculo IX et X. disciplinam in multis immutatam, et quodammodo jus novum introductum fuisse: negamus vero, illas decretales disciplinæ mutandæ causam exstitisse, vel Rom. Pontifici inde nova jura accrevisse, quæ prius non habebat, et nunquam exercuit. Historia ecclesiastica in flebili illis sæculis ecclesiarum statu sufficientes hujus mutationis causas nobis subministrat. D. Amort in vindic. jur. eccles. tom. 3. dissert. 5. has recenset. 1. Ab eo tempore, quo episcopi comitatibus et principatibus aucti evaserunt feudatarii Regum et Imperatorum, personaliter cum suis vasallis exercitus sequi compulsi sunt, quæ perversio durabat quatuor ferme sæculis. In aliis quoque regnis erant perpetua bella intestina vel cum barbaris. 2. Episcopi sic principatibus aucti plerumque instruebant Palatia sua instar aulæ sæcularis copioso comitatu nobilium sæcularium, cum quibus perpetuo versari debebant. 3. Eorum plerique implicabantur negotiis et litibus sæcularibus. 4. Ipsi cum aliis

bella gerebant. 5. Ex defectu academiarum rarissimi pertingebant ad mediocrem scientiam juris. 6. Cum Europa in plus quam centum dominos scissa fuit, multis in locis episcopi eidem metropolitano subjecti in territoriis quatuor, quinque aut sex principum siti erant, qui ob dissidia, æmulationes, vel metum conspirationis recusabant suis episcopis licentiam comparendi in synodo provinciali; imo hac de causa sæpe reges in propriis regnis prohibebant episcopis instituere generales conventus. 7. Apud metropolitas non habebatur stylus curiæ et lex constans, sufficiens ad dirigendas partes litigantes in causis controversis. Optabilius autem est partibus litigantibus certare in tribunali, in quo reperitur lex et stylus constans, in quo possit fundare suam intentionem. 8. Cum synodi episcoporum provinciales non possint diu durare sine maximo diœcesium detrimento in absentia suorum pastorum, impossibile est, intricatas causas cum omnibus documentis etc., si multæ concurrant, exacte discuti a singulis episcopis. 9. Si causæ omnes per provinciam deferantur ad synodum provincialem, debebit singulis annis synodus celebrari propter multitudinem appellationum et causarum, quod fieri nequit sine maximis molestiis et impensis episcoporum. 10. Per dependentiam a confessu tot judicum et consultorum episcopalium perpetuo variatorum non abbreviantur, sed protrahuntur lites, nec minuuntur, sed augentur ex-

pensæ litigantium. 11. Tolerabilius est episcopo judicari a Papa, quam ab æquali, et quia facilis ac frequens erat appellatio ab episcopo ad concilium provinciale vel metropolitanum, hoc episcopo molestum accidere, ejusque judicium contemptum reddere poterat. 12. Partes plus assistentiæ et executionis sperare possunt a Papa.

Occurrit dein D. Amort objectioni, quod hæc omnia veterem Ecclesiam non absterruerint a deferendo conciliis provincialibus definitivo judicio. At respondet, in veteri Ecclesia has causas omnes non exstitisse; primis sæculis major erat charitas, raræ lites, episcopi negotiis sæcularibus et militiæ non distenti, et ipsi canonum conditores fuerunt. Sed crescente per orbem numero fidelium, refrigescente charitate, multiplicatis litibus, etiam judicia et canones multiplicari debebant: his tandem in magnum numerum excrescentibus, non amplius arbitrii, sed multæ scientiæ, experientiæ et indaginis res erat, causas intricatas decidere.

Accedunt his violentia metropolitanorum nunnunquam in episcopos, qui lubentius a sede apostolica, quam in concilio provinciali judicari volebant, et alia sæpe in conciliis provincialibus in damnum reipublicæ vel Ecclesiæ perperam gesta, unde toties talia concilia vel reprobari, vel emendari, vel causæ de novo tractari debebant. Primi generis exempla præbet non solum Ecclesia orientalis per tot violentas depositiones episcoporum,

sed insigne est etiam inter cætera illud Hincmari Rhemensis in suum nepotem Hincmarum Laudunensem. Quis nescit tragicam illam scenam, et vexationes crudeles avunculi Rhemensis in nepotem Laudunensem, qui, illo ordinante, ter in synodis provincialibus judicatus, et non solum episcopatu privatus, in exilium actus, sed demum etiam ferro vinctus et oculis orbatus fuit? ubi canones dant facultatem synodis provincialibus tam dire divexandi episcopum confratrem? ter appellavit Laudunensis, sed appellationis nulla ratio habita fuit. Talis fuit Hincmarus, heros Febronii, cujus auctoritate evincere vult, Isidori decretales Pontificiæ potestati incrementum peperisse; quippe ejus intererat, suam malam causam quomodocunque defendere. Similis fere fuit violentia Hincmari in Rothadum episcopum Suessionensem. Hinc Christian. Lupus in not. ad canon. Sardic. ait: *metropolitarum præsumptio varia, et in suffraganeos crudelitas tandem coegit mutari et extendi regulam. Propter Hincmari Rhemensium metropolitæ in Rothadum Suessionensem episcopum tragicam barbariem edixit Nicolaus I. nullum in occidente episcopum deponi posse sine prævia licentia.* Taceo ea, quæ in causa Lotharii junioris in duobus conciliis Aquisgranensibus, et plura alia, quæ sæpe patrocinantibus in vota suorum principum episcopis haud conformiter ad canones gesta sunt. Ipse Ludovic. Thomassin. de discip. eccles. tom. 1. part. 1. c. 48. multis probat, non

Rom. Pontificibus, sed ipsis metropolitis imputandum esse suæ potestatis imminutionem, dum pro ejus conservatione et vigore Pontifices prius multum institerint.

Habes inde tot causas mutandæ pristinæ disciplinæ, quando non tam falsæ decretales, quam vel denegata justitia, vel nimia violentia oppressi, vel judicio metropolitanorum audacius resistentes episcopi, aliaque quam plurima ansam dederunt tot appellationibus, imo necessitatem imposuerunt Pontificibus, causas ad se trahendi, et providendi, ne disciplina omnino collabatur. Recte igitur dixit Italus : Si Febronius et sui similes (sunt autem hodiedum plurimi) antiquam disciplinam inclamant, restituant primæva tempora, reddant apostolicos mores, tradant pristinum Ecclesiæ statum, imo et venerationem, creent alium gregem et postea contra *pastorem supremum* renitentem, et sine necessitate innovantem insurgant.

Quod autem superius dixi, per Isidori decretales Rom. Pontifici non nova jus accessisse, quæ prius non habebat vel nunquam exercuit, id per singula capita suis locis speciatim demonstrabitur, quamvis ab eo tempore propter laxatam ubivis disciplinam, corruptos mores, ea jura latius explicare, et iisdem, quam prioribus sæculis fieri solebat, frequentius uti necessum fuerit.

Ex hactenus dictis igitur sic concludo : si mutatio in systemate Ecclesiæ non quoad dogmata

fidei et morum, sed solum quoad disciplinam facta fuit, quæ variari potest : si aliæ sufficientes hujus variationis causæ dari possunt, et revera tales exstitêre : si denique Rom. Pontifici nullum novum jus inde accrevit, sed tantum temporum necessitas coegit, ut illud, quod jam habebat, sese apertius et latius explicaret, tunc vanæ et frivolæ sunt omnes querelæ contra falsas Isidori decretales, et sedi apostolicæ vel infensis vel minus addictis solum pro prætextu inserviunt, eam infamandi.

Verum est, quod illa collectio decretalium inciderit in ea tempora, ubi necessitas erat innovandi, et occasione harum, mutatio fors facilius cessit : at aliæ justæ causæ mutationis suberant, et summi Pontifices jure suo agebant consentientibus, imo et petentibus sæpe episcopis; verbo post decretales Isidori facta est quædam mutatio in disciplina, sed non propter decretales facta fuit. Nec obstat, in vim hujus mutationis has decretales quandoque allegatas fuisse; siquidem ejusdem et aliæ rationes fuerunt, neque decretales pro solo fundamento habebat; allegatur autem sæpius id, quod notius atque receptum est, quamvis nec unicum, nec præcipuum causæ argumentum sit.

Adde Isidori decretales saltem doctrinam, praxin et disciplinam 4, 5 et 6. sæculi continere, uti supra ostensum est : si quid ergo per decretales immutatum fuit, idcirco non falsum aut novum,

sed statui Ecclesiæ horum sæculorum conforme dici debet. Certe omnis innovatio contra usus receptos et veteres consuetudines odiosa est, et absque tumultibus fieri vix potest : quare igitur ista mutatio tam cito, tam quiete et universaliter introducta est, paucis non tam reclamantibus, quam tergiversantibus, nisi quia ista mutatio necessaria fuit, in melius fiebat, et jam antiquis regulis nitebatur? Denique Isidorus romanus non fuit, ejus decretales nec Romæ, nec curiæ romanæ mandato compilatæ sunt; imo in Germania, Hispania et alibi jam erant usu receptæ, antequam Romam pervaderent, utquid ergo Roma de imposturis et usurpationibus accusatur? interim disciplina ista, contra quam adversarii tot clamores attollunt, ab Ecclesia, confirmata, et possessione novem sæculorum gaudet, unde demum ortum habuerit. Pœnitentia publica olim in Ecclesia orientali propter incautam propalationem unius peccati secreti sublata fuit, et in hac parte magna pars disciplinæ mutationem subiit. Quis audeat obstrepere? sufficit, aliquam disciplinam, quæ variari potest, ab Ecclesia esse receptam et approbatam, et nemini eam infamare licebit, nisi et simul Ecclesiam, cujus auctoritate firmatur, infamare velit.

§ X.

Novum illud systema non leviter roboratur per amplum dominium et regimen temporale, quod Rom. Ecclesiæ circa eadem tempora accessit.

Romana curia a sede distinguenda est.

Propter amplissimi territorii dominium temporale, Romanæ Ecclesiæ liberalitate Imperatorum et Principum serius concessum, agebatur jam sæculo 8 et 9. ibi sæcularis curia, haud levem in res romani imperii et jura capitis ejusdem habens influxum, et temporalis principatus majestas dein in sacri primatus officium et administrationem se nimium quantum ingessit.

1. Auctor enumerat donationes Ecclesiæ romanæ factas, aitque regimen temporale Pontificis Isidori decretalibus vix non coævum esse.

2. Pro defendendo patrimonio S. Petri, aliisque bonis, Romani miscebant jura spiritualia cum temporalibus, et vicissim politia utuntur pro sustinendis juribus sacris.

3. Pientissimus quidam Galliæ præsul hanc politicarum, sacrarumque rationum mixturam dolore apostolico deplorat.

4. In jure ecclesiastico Rom. Pontifici tribuitur jus Imperatorem electum examinandi, approbandi, coronandi, aut si indignum putaverit, rejiciendi, ab eo homagium et vasallagium petendi, item quod Papa possit inobedientibus regna auferre,

votum ultramarinum non implentem regno privare, hæc omnia Isidori falsa monarchia nituntur, quæ sanctissimorum Patrum dicta esse a Pontificibus et Imperatoribus existimabantur.

5. Gerhous Reicherspergensis lib. de corrupt. statu eccles. carpit, *curiam romanam* vocari, quod antehac dicebatur *Ecclesia romana*. In antiquis monumentis nusquam reperiri hoc nomen, quod potius a *cruore* vel *cura* derivatur. Sic recte cogitari et dici putabatur ante 6 sæcula, ait Febronius, quid obstat, ut idem existimemus hodie?

6. Magnum in jure publico solœcismum committunt, qui romanam *curiam* cum *sede* vel *Ecclesia* confundunt. Delecti a Paulo III. Cardinales et prælati memorant, nonnullos Pontifices coacervasse sibi magistros ad desideria sua, non ut ab iis discerent, quid facere deberent, sed ut eorum calliditate inveniretur ratio, qua liceret id, quod liberet. Hinc prodierunt doctores docentes, Pontificem esse dominum omnium beneficiorum, in eum non posse cadere simoniam, voluntatem Pontificis esse regulam actionum et operationum suarum, ut quidquid libeat, etiam liceat; ex hoc fonte, tanquam ex equo Trojano, in Ecclesiam Dei tot abusus, et gravissimos morbos irrupisse etc. Hæc omnia sane nec *romanæ Ecclesiæ*, nec *sedi apostolicæ*, sed *curiæ* tribuenda esse, etiam viri probi illa abjudicare vellent, si abjudicari possent.

NOTA.

Hoc argumentum vel omnibus Germaniæ episcopis injuriosum, vel si de solo romano episcopatu affirmas, summopere invidiosum est. Quippe si dominium temporale Rom. Pontifici ansam et causam præbuit jura sacra et profana permiscendi, et monarchiam sacram stabiliendi, quid dicendum de aliis episcopis, præsertim Germaniæ, quorum aliqua dominia territorialia et proventus illa Rom. Pontificis vix non adæquant? de his utique haud affirmabit Febronius, *temporalis principatus majestatem, fastumque* se quandoque in officium sacrum ingessisse, et utraque jura permixta fuisse? Sola igitur Roma tam infelix atque perversa est, ut principatus terrenus, Pontifices obcæcando, jura sacra adulteraverit in damnum totius Ecclesiæ. Quis de hoc maximos episcopos principali majestate fulgentes accusavit unquam, de quo tu Rom. Pontificem accusas? attamen argumenta et exempla Febronii nondum probant, mala romana, qualiacunque sint, ex hoc fonte manasse. Novimus eos, qui mordentibus invectivis ambitioni, avaritiæ, cupidati adscribunt, tanta territoria et dominia ab episcopis possideri, sed nihil obstat, in una, eademque persona et sacri et profani principatus jura conjungi, quæ legali titulo et possessione fundantur. *Ineffabile prorsus divinæ providentiæ consilium erat*, ait D. Barthel. quæst. inaugur. opusc. 4. *quod ab*

initio, cum Ecclesiam pauperem et inermem voluerit, ut digitus Dei ostenderetur, eandem tutata sit mediis extraordinariis, signis et prodigiis. — — — At postquam Ecclesia adulta facta fuit, opulentam et potentem esse voluit, quatenus eam suis se viribus, et auxilio Dei magis ordinario tuendam relinqueret. Et superius : *nequit ipsa religio efflorescere, nisi cum ejus ministri et præsules in honore sunt, hinc recte Ivo Carnot. epist.* 240. *scripsit, dignitas episcopalis paupertatem his diebus ferre non valet. Paupertatem siquidem et impotentiam contemptus pastorum sequitur, ex quo salus et religio populi periclitatur.* Num hæc de Rom. Pontifice dicenda non sunt? an hunc solum, qui portat onus totius Ecclesiæ, et ut primas episcoporum primam personam gerit, egere, et pauperem esse vis? respondet ad hoc Æneas Sylvius ad Mayer. Mogunt. lib. de mor. German. *pauperem vis esse Rom. Pontificem, cardinales, episcopos etc. certe illis, qui regimini aliorum præsunt, paupertas noxia est; nam quomodo tu judicem facies pauperem, quem nolis testem admittere? quod si testimonium pauperis corruptum videri potest, non videmus, cur judicis inopis sententia integra sit. — — — Nos id experimur passim, qui sacerdotes usūrarios, mendaces et falsarios aliquando videmus, quo plerumque paupertas cogit.* Et infra : *Ecclesiam pauperem qui esse cupiunt, ut pragmatici, extinctam religionem volunt.* Hæc vota, quæ a pragmaticis

tempore Æneæ Sylvii facta sunt, ab hodiernis politicis tandem strenue impleri videntur.

Porro si nihilominus putas, soli curiæ romanæ dominium temporale nocuisse, iterum respondebit Æneas Sylvius lib. cit. *Si velis conferre simul omnia, et minores sedes pro suis portionibus comparare majoribus, nullam ostendes curiam, in qua minus hoc morbi grassetur, et in qua magis ex ordine, rectoque instituto, quam in romana res gerantur. Nec usquam terrarum tantam doctrinam, tantam rerum experientiam, tot bonarum artium studia, tot viros sanctimonia præclaros, quot in romana reperies curia, ut recte hic esse domicilium, et officinam virtutum quis affirmaverit.* Hæc Æneas Sylvius eo tempore, quo contra abusus romanæ curiæ undique conclamatum fuit. Puto, hæc nostro ævo majori adhuc jure cavillatoribus in faciem objectari posse. Satius fuisset Febronio, ab isto argumento de dominio temporali omnino abstinere, quo omnes curiæ episcopales tacite suggillari videntur, dum vitio hominum, invitis etiam præsulibus, semper omni a labe immunes esse non possunt.

Ad 1 et 2. Eruditioni Febronii hìc nihil opponimus, nec inquirimus, unde et quando dominium temporale Ecclesiæ romanæ obvenerit? siquidem jura primatus nec ab isto, nec ab Isidori decretalibus metimur. Interim hæ meræ imputationes, conjecturæ sunt, dum ait, Pontifices jura temporalia armis spiritualibus defendebant,

et vicissim politice agunt pro sustinendis juribus sacris : prius tyrannis et abusus Febronio fuit, alterum politia sæculi est. Interest nempe, qua facie rem intueamur. Num Ecclesia legitimas suas possessiones et bona cuivis diripienti sponte cedere debebat? igitur erravit Petrus, dum Ananiam et Saphiram retinentes partem de pretio agri morte mulctavit, eo quod hac fraude non tantum sibi, sed et Spiritui S. mentiti sunt : cur Spiritui S. mentiti, nisi quia totum pretium agri Deo sacrum fecerunt? cur morte mulctati, si bona Deo sacrata et Ecclesiæ defendere non liceat? erravit S. Laurentius, qui thesauros Ecclesiæ nec ipsi Imperatori petenti tradidit? Ecclesia utique potest iis armis, quibus valet, rem suam defendere, cum jure naturæ liceat, vim vi repellere, et injusto aggressori omnibus mediis, quæ cuivis pro jure suo competunt, resistere. E contra, in defendendis juribus sacris et primatus, quantum ad regimen Ecclesiæ pertinent, si mitius egere Pontifices, quod Febronius politiam vocat, ego moderamen apostolicum appello, quando nempe juxta præceptum Christi, non prædominante potestate et despotice, sed ut monet apostolus, instando importune et opportune, arguendo, obsecrando, increpando, sive per occasionem, sive per veritatem, quæ sui juris et Christi sunt, intacta esse voluerunt. Ubi olim omnia per *diffidationes* et *jus manuarium* eversa sunt, Ecclesiæ res erat cum raptoribus,

injustis aggressoribus, contra quos utique sua jura et bona temporalia armis spiritualibus, queis pollebat, defendere potuit. At si quando in jura sacra peccatum fuit, sæpe error prius dedocendus, corrigendus, quam censuris plectendus erat: quod hìc Febronius crimen politiæ, alii prudentem œconomiam vocant, modestiam laudant.

Si tamen Pontifices alicubi etiam jura sacra spiritualibus armis vindicabant, iterum insurgit Febronius, tyrannis, fastus, abusus est: quidquid igitur agant, crimen erit. Pulcherrimæ imagini si pro libitu quamvis umbram appingere vales, eam facile deformabis: at negabit is, qui ita depingitur, sui imaginem esse.

Ad 3. Quis sit iste pientissimus præsul, non memorat Febronius? vocat nos ad suum cap. 7. § 8. n. 15 et § 9. sed ibi iterum nos ad hunc locum reducit, nec alium Galliæ præsulem ibi invenio, quam Bossuetum cum sua defensione declarat. Cleri gallic. Dum igitur auctor non constat, sive ejus dicta querelæ, sive accusationes, sive testimonia sint, probatione adhuc indigent. Nam si cujusvis dicta privata et scripta attendere velimus, nemo bonus, nemo malus æstimari debet. Interim hujus præsulis dicta animum satis exacerbatum produnt, ut inde quidem conjicere liceat, quo animo, sed non qua causa et veritate scripserit.

Ad 4. Si ista in sensu, quem verba obiter præ se ferunt, recipiuntur, magnum ambitum,

fastum, vel etiam sacræ potestatis excessum portendere videntur: at si ea ad circumstantias temporum, nomenclaturam et gesta eorum sæculorum reducimus, quibus dicta aut exercita sunt, tota verborum pompa et pondus in nihil inusitatum fere recidunt.

Præprimis hæc omnia qualiacunque, sive jura, sive prætensiones ad jura sacri primatus neutiquam pertinere, omnibus certum est; sed solum ad veterem consuetudinem, pacta, officium defensoris Ecclesiæ etc. reducuntur, et si qui Pontifices ea verba et textus, quibus primatus probari solet, in hunc finem allegant, solum de materia spirituali, puta juramentis, potestate excommunicandi intelligi debet. Hujus rei magis explicandæ gratia adverto, Imperatorem duplicem sustinere personam atque officium, nempe summi Imperatoris in occidentali imperio, atque defensoris Ecclesiæ. Totum igitur *examen* ante coronationem a Pontificibus fieri solitum in hoc sistebat, ut legitimo testimonio probaretur, eum a principibus, ad quos spectabat, vere electum Imperatorem esse; dein nec sacrilegum, excommunicatum, tyrannum, fatuum, hæreticum aut paganum esse, quod eruitur ex cap. *Venerabilem* X. *de elect.* primum, nempe testimonium de legitima electione postulabatur ex ipso consensu tacito vel expresso imperii principum, ne quis temere coronam reciperet, antequam de ejus legitima electione et jure constaret; hinc

Rudolphus Glaber de coronatione Henrici II. testis Synchronus histor. lib. 1. ait : *illud nimium condecens et perhonestum videtur, atque ad pacis tutelam optimum decretum, scilicet ut ne quisquam audacter romani imperii sceptrum præproperus gestare princeps adpetat, seu Imperator dici et esse valeat, nisi quem Papa sedis romanæ morum probitate delegerit aptum reipublicæ.* Secundum, nempe moribus et fide christianum atque catholicum esse, præcipue pro officio defensoris Ecclesiæ requirebatur : Diethmarus lib. 7. de coronat. Henrici II. ait : *Henricus Rex cum dilecta conjuge Cunigunda ad Ecclesiam S. Petri, Papa exspectante venit, et antequam introduceretur, ab eodem interrogatus, si fidelis vellet romanæ patronus esse et defensor Ecclesiæ, sibi autem suisque successoribus per omnia fidelis, devota professione respondit, et tunc ab eodem in unctionem et coronam cum conthorali sua suscepit.*

His addebantur ut plurimum *pacta* Papam inter et Imperatorem inita. Ita de pactis Paschalis P. cum Ludovico Pio ait Astronum. in vita Ludovici Pii : *legationis* (Pontificiæ) *Bajulus fuit Theodorus nomenclator, qui negotio peracto et petitis impetratis, super confirmatione scilicet pacti et amicitiæ more prædecessorum suorum reversus est.* Joannes P. VIII. epist. 63. apud Labb. tom. 9. *Legatos ex latere nostro ad vos solemniter dirigemus, cumque pagina capitulariter continente ea, quæ vos matri vestræ romanæ Ecclesiæ, ves-*

troque protectori Petro apostolo perpetualiter debetis concedere. Idem Papa epist. 109. *omnes vos legatorum tam viva voce, quam epistolis studui convocare, ut pactum, quod avi et patres vestri sanctæ romanæ Ecclesiæ jurejurando promiserunt, adimplere contenderetis. Pacta* igitur ista *juramento* ab Imperatoribus confirmabantur. Nostro ævo D. Barthel. opusc. 2. de jure reform. Antiq. art. 8. de his juramentis ita disserit : *quia plurium Imperatorum et Regum magna sæpius exstitit circa hoc* (defensionem Ecclesiæ) *perfidia, hypocrisis, simulatiæ, propterea tot vincula stipulationum et juramentorum in solemni coronandi cæremonia usurpanda adjuncta sunt; hinc fit, ut non nisi in ecclesiis, et ad altare, et dum Sacrosanctum christianorum mysterium peragitur, ad regendum inaugurentur.* In hoc igitur juramento totum illud consistit, quod pro more illorum temporum titulo *homagii* et *vasallagii* donatum fuit : veteres quippe in adhibendis et distinguendis vocabulis adeo delicati non erant.

Quare examen, homagium, vasallagium etc. olim in substantia nihil aliud erant, quam hodiernæ capitulationes Cæsareæ; et quid obstat, tale juramentum pro defensione Ecclesiæ et circa pacta utrinque inita, ab Imperatore præstari summo Pontifici, quando hodiedum in capitulationibus, etiam statibus sibi subditis certa pacta et jura jurare debet? dein Imperatores aliquando bona Ecclesiæ romanæ, uti patrimonium Ma-

thildis, Exarchatum Ravennatensem etc. a Rom. Pontifice in feuda recipiebant, et pactis initis desuper *homagium* eidem præstabant; de his itaque, non de imperio *vasallagium* intelligi debet Innocentius III, dum aliqui pro Friderico juvene, Henrici VI filio, coronam et imperium negotiarentur, eidem Friderico ex hac causa favere noluit, *quod per hoc regnum Siciliæ uniretur imperio, et ex ipsa unione confunderetur Ecclesia. Nam, ut cætera pericula taceamus, ipse propter dignitatem imperii nollet Ecclesiæ de regno Sciiliæ fidelitatem et hominium exhibere, sicut noluit pater ejus.* Innocent. num. 29. registri Imper. p. 698. Michaël Schmidt histor. German. tom. 2. pag. 614. Ex hoc patet, Imperatores romanæ Ecclesiæ *hominium* solum præstitisse pro bonis ab eadem in feudum receptis, non vero pro provinciis et territoriis imperii, quandoquidem Imperatores, dum aliqua provincia imperio uniretur, nexum feudalem, quo alteri obstricta erat, solvere tentabant, et homagium *propter imperii dignitatem* præstare detractabant. Hinc igitur qualitatem et interpretationem *hominii* atque *vasallagii* ab Imperatoribus romanæ Ecclesiæ præstiti sumere debemus. *Coronatio* Imperatoris occidentis ad quem magis pertinere debuit, quam ad Rom. Pontificem, quo adnitente, imperium occidentis in Carolum Magnum translatum est, ex quo tempore Carolingicæ stirpis Imperatores semper Romæ coronari voluerunt in signum, se non

Francorum modo, sed totius occidentalis imperii Imperatores esse? Ludovic. II. Imperat epist. ad Basil. Imperat. Græc. ait : *Matrem omnium Ecclesiarum Dei defendendam, atque sublimandam suscepimus, ex qua et regnandi prius, et postmodum imperandi auctoritatem prosapiæ nostræ seminarium sumpsit. Nam Francorum principes primo Reges, dein vero Imperatores dicti sunt ii duntaxat, qui a Rom. Pontifice ad hoc oleo perfusi sunt.* Unde jus coronandi Imperatorem Rom. Pontifici consuetudine, dein tacito vel expresso consensu principum competiit, et eidem, quatenus Imperator Ecclesiæ protector et advocatus est, quam maxime et convenientissime debebatur. Novissimus auctor histor. German. politiæ Rom. Pontificum adscribit, quod primi post Carolum M. Imperatores ab iis coronarentur, et sic coronatio romana quasi necessaria, atque pro jure haberetur; ideo Stephanum V. in Galliam venisse pro coronando Ludovico I., et Lotharium in Italia negotiis distentum, et jamjam reversurum a Paschali P. Romam invitatum fuisse, ubi a Papa, vivente adhuc patre, coronatus fuit. Hæc elegantius dicuntur, vel potius obtenduntur, quam probantur : Stephanus V. ipse pro coronando Ludovico in Galliam venit. Verum, an non invitatus venit? num eo animo venit, ut de coronatione possessionem atque jus traheret? talis intentio præprimis probari deberet, et si dubia foret, factum in meliorem par-

tem interpretari oportet. Pariter hic animus certe abfuit a Paschali P. in coronando Lothario : Sandini in Paschali I. ait, ipsum Ludovicum filium suum Lotharium factum consortem imperii, regemque Italiæ misisse in Italiam, tum ut partes muneris Regii obiret juredicendo, *tum ut regni Longobardici coronam et Imperatoris Augusti nomen acciperet a Pontifice.* Citat Baron. an. 823. § 1. et pag. 1. § 1. et anne credibile est, Lotharium, vivente adhuc patre, attamen inscio, vel non consentiente, a Papa in Imperatorem coronatum fuisse? non licet facto innocuo quamlibet, et pro libitu sinistram intentionem affingere.

Dices : inde Rom. Pontifices tamen sibi jus prætendebant, electum Imperatorem, si indignum censebant, rejiciendi, vel inter duos competitores pro libitu unum eligendi, quod patet ex cap. *Venerabilem* Innocentii III. et epist. 155. Joan. VIII. P. atque hoc jus deducebant ex jure coronandi sibi debito. Respondeo, nondum satis constare, in quo consistat illud jus, quod Pontifices in electione et coronatione Imperatorum prætendebant, vel quid per coronam illius contulerint? Auctores etiam antiquissimi atque coævi non satis clare loquuntur, neque conveniunt. Hoc certum est, Rom. Pontifices, postquam post sæculum VII. orientis Imperatores omnem Ecclesiæ defendendæ curam abjecissent, sibi aliunde Ecclesiæ romanæ defensores et pa-

tronos quæsiisse, atque Stephanum II. in hunc finem pactis initis, Pipinum Francorum principem cum Carolo et Carolomanno, collata illis *patriciatus* dignitate, defensores constituisse, Leo III. vero eundem Carolum in Imperatorem Romanorum coronavit, exultante et acclamante populo romano, ad hujus exemplum postea omnes occidentis Imperatores usque post Carolum V. a Rom. Pontifice coronam acceperunt, non fraudibus et arte Pontificum, uti superius dixi, et aliqui romanæ sedi vel infensi, vel minus propensi persuadere volunt, sed quia per istam coronationem sibi revera aliquod jus tribui, vel quia hanc cæremoniam aliunde necessariam esse credebant. Ex hac observantia et translatione imperii romani ad Francos, jam a tempore Caroli M., ut ait : Coccius Sabbellicus, et supra cit. Rudolphus Glaber, *creditum jam inde imperii arbitrium apostolicæ sedis esse :* hujus opinionis etiam quosdam Pontifices fuisse, ex eorundem epistolis et rescriptis erui videtur. At dum Innocent. III. qui hìc objicitur, in cap. *venerabilem* declarat, se recognoscere in principibus Germaniæ jus et potestatem eligendi Regem, postea in Imperatorem promovendum; dein electi Imperatores ante coronationem omnia jura exercuerunt, et rempublicam summa potestate administrarunt, non contradicente ullo Pontifice, tandem cum Adrianus IV. ad Fridericum I. Imp. teste Radewico Ottonis Frinsig. continuatore scriberet :

insigne coronæ beneficium tibi contulimus. — — *Debes, gloriosissime fili, ante oculos mentis reducere, quantam sacra romana Ecclesia tibi dignitatis plenitudinem et honoris, et qualiter imperialis coronæ insignia libentissime contulerit.* Et insuper legatorum unus dixisset : *si Friedericus a Domino apostolico non habet imperium, a quo ergo habet ?* Otto de S. Blasio in chronic. Indeque Imperator et principes suspicarentur, quod Papa imperium sedis romanæ feudum et clientare reputaret Beneficium, tum Adrianus P. sinistra hac interpretatione intellecta, epistola ad Imperatorem, quam pariter producit cit. Radewicus, declarat, se per *beneficium* non intelligere *feudum*, sed *bonum factum*, et per *conferre*, *posuisse*. Ex his omnibus intelligitur, Rom. Pontificum mentem neutiquam fuisse, quod Imperator sit vasallus Ecclesiæ, neque quod a Papa *per coronationem* territoria, principatus, et jura imperii quasi in feudum recipiat, uti quidam rerum male intelligentes prætendunt, alii ex malevolentia, Galli vero ex invidia, (uti insignis aliquis scriptor ait) Germanis imponunt : sed si rem rite perpendimus, aptius sentiunt illi auctores, qui coronationem Papalem dignitatis imperialis plenitudinem, ac veluti complementum esse volunt. Quippe a tempore Caroli M. officium defensoris Ecclesiæ, præcipue romanæ, coronæ imperiali annexum erat, dumque hoc officium et prærogativa a Leone III., me-

diantibus pactis, in Carolum et successores translata fuit, nolebant Pontifices sibi exin quemlibet obtrudi, nisi qui velit, aptusque sit, hoc officium adimplere, et pactis stare. In hoc igitur jus suum fundabant Rom. Pontifices, quod sibi ipsi possint Ecclesiæ defensorem eligere, nec debeant quemvis admittere, vel si Ecclesiæ noxius futurus sit, iterum valeant abjicere, sicque per coronationem illi hoc munus cum titulo et prærogativa *Imperatoris Romani* tribuere intendebant : huc ergo examen, pacta, juramenta et omnes prætensiones Pontificum ante coronationem pertinent, neque propterea Imperator *vasallus*, aut imperium *feudum Ecclesiæ* dici possunt, utpote illæ prætensiones territoria, dominia et jura temporalia, quæ per electionem regenda suscepit, non attinent. In hoc sensu dixit Innocentius III. in sæpius objecto cap. *venerabilem*. Quod si principes sacrilegum, excommunicatum, hæreticum, aut paganum eligerent, utique a Rom. Pontifice non fore inungendum et coronandum, vel si in electionem alicujus personæ convenire nollent, idcirco Ecclesiam advocato et defensore carere non debere. His perpensis, facile intelliguntur, et explicantur testimonia, quæ ultro citroque proferuntur nec ullo modo prætendi potest, ut Pontifex admittat, vel recognoscat defensorem Ecclesiæ, quem Ecclesiæ infensum, hostem, vel noxium fore novit, quin propterea in ejus principatus et territoria tem-

poralia jus sibi arrogare, aut in his præjudicio esse valeat. Hinc etiam Bellarminus tom. II. lib. 1. cap. 3. ait: *Ecclesia non dicit, Augustum precario regnare: quin contra potius affirmat, regnum illum habere ex electione principum, a se autem nomen Imperatoris.* Quod si fors aliquis Pontifex ultra hos limites excessisse videtur, hac in parte non censetur infallibilis, utpote in quæstione facti particularis de potestate politica seu temporali, neque hoc ad regimen sacrum internum, vel primatum pertinet, qui idcirco nec restringitur, nec adaugetur. Contingit autem facile in iis, qui suprema potestate potiuntur, ut eam in singulari casu aut circumstantia ulterius proferant, ubi nullos sibi limites poni vident.

Quod attinet *depositionem* Regum et *privationem* a regno, iterum attendi debent facta, circumstantiæ et modi illis sæculis conformes. Utique Papa per se et propria auctoritate ista non potest, sed tantum per modum *arbitri necessarii, fidejussoris*, aut *principalis compasciscentis*, quod ab exemplis manifestum est. Sic Zacharias P. anno 749. Childericum III. Galliæ Regem non tanquam Papa, sed tanquam arbiter imploratus a statibus regni non tam deposuit, uti aliqui putant, quam deponendum declaravit arbitrio ad eum delato, ut testantur annales Loiseliani, Laurisheimenses et Fuldenses: certe si Pontifex sua auctoritate voluisset deponere Regem, id utique non nudæ vocis oraculo, sed actis et litteris au-

thenticis præstitisset, sed ubi illa? quis eorum meminit? dein Childerici successor Pipinus, testibus annalibus Loiselianis et Tilianis, non a Papa, sed *a Francis secundum morem Francorum electus, est ad Regem, et elevatus a Francis in regno suo.*

Idem de depositione Henrici IV. dicendum est. Quippe certum est, proceres Germaniæ Henrici causam ad summum Pontificem detulisse, et inde justitiam expetiisse, dein ipsum Henricum hoc arbitrium recognovisse, spondendo intra certum terminum se justitiam aut concordiam facturum, sicuti ipse Henricus lib. 4. epist. Gregorii num. 12. fatetur. *Ego Henricus Rex de murmuratione et dissensione, quam nunc habent contra me Archiepiscopi et Episcopi, Duces, Comites, cæterique Principes regni Teutonicorum, — — — infra terminum, quem Dominus Papa Gregorius constituerit, aut justitiam secundum judicium ejus, aut concordiam secundum consilium ejus faciam.*

Hoc arbitrium Pontifici adhuc alio titulo debebatur, qui propius ejus judicium et potestatem tangebat, quia contra solemne juramentum in coronatione præstitum, et sæpius admonitus accusabatur tanquam hostis et invasor Ecclesiæ, dum simoniacam labem et inveteratum clericorum concubinatum potenter fovebat, dein schisma conflavit, coacto anno 1076. conciliabulo Wormatiensi ex simoniacis et concubinariis, a quibus Gregorius Pontificatu dejiciendus statuebatur. Si igitur omnes hujus causæ circumstan-

tiæ et motiva rite expendantur, ex hoc facto Gregorii VII. æque male concluditur, Papam simpliciter posse Reges deponere, aut regno privare, ac Gregorium in hac causa illegitime et male egisse, quippe non solam personam judicis contra juramentum violatum et hostem Ecclesiæ, sed quam maxime etiam personam arbitri gessit et fidejussoris aut compaciscentis principalis; quippe advertendum est, ex quo tempore officium defensoris Ecclesiæ et dignitas imperialis in occidente potissimum negotiatione romani Pontificis coronæ regiæ in Gallia et Germania annexa fuit, ipsosmet status regni suis regibus pacto tacito posuisse eam legem, ut Ecclesiam defendant, dein eandem legem Imperatoribus in eorum coronatione, consentientibus statibus, expresse a sum. Pontifice in pactum deductam fuisse, hinc reprehendi Pontifex non debet, si contra pacta publica violata ex consensu, vel etiam rogatu statuum tanquam primarius compaciscens processit.

Quod autem eo tempore tale jus Pontifici de aliis quoque regnis et regibus assertum fuit, non sequitur, id per se in potestate Rom. Pontificis fuisse, sed notandum est, antiquis temporibus fere omnia regna post conversionem ad fidem romanæ Ecclesiæ in feuda vel in tutelam oblata fuisse, ut ipse Gregorius VII. enumerat, hinc eo titulo, atque ut plurimum a statibus rogati Pontifices, ad quos querelæ deferebantur, in

turbas horum regnorum se sæpe ingerebant, et tanquam causarum arbitros constituebant. Si res igitur secundum circumstantias temporum æstimentur, longe aliam faciem sæpe induunt, quam hodie nudis verbis expressæ nobis ostendunt.

Ad 5. Quid modo diceret Gerohus, dum non solum Ecclesia romana, sed et omnes aliæ Ecclesiæ *curias* ecclesiasticas habent, et *curiæ* appellantur? an omnibus episcopis Febronius etiam illud Gerohi exprobrabit dicendo : *sic recte cogitari et dici putabatur ante* 6 *sæcula, quid obstat, ut et idem existimemus hodie?*

Ad 6. Quæritur, utrum consilium delectorum prælatorum, prout a Natali Alexandro et Febronio productum hominum manibus teritur, genuinum sit, an non fictitium, vel adulteratum, et ab hæreticis corruptum? Pallavicinus histor. Trident. l. 4. c. 5. narrat, Paulum III. iterato mandasse, ut ista consilia clam habeantur, et ne cuiquam scripto traderentur, ideoque legatum Alexandrum ad Cochlæum scripsisse : *consilii cardinalium promulgatio cum invectiva Sturmii manibus hominum teritur, antequam vel ab auctoribus edita, vel executioni fuerit demandata.* Igitur hoc consilium primum a Sturmio, vel ab alio novatore cum ejusdem invectiva editum fuit. Quod si tamen in eo nihil fictum, nihil corruptum sit, patefiunt quidem ex eo vulnera et abusus in regimine ecclesiastico, at simul etiam patescit, ut ait Pallavicinus, ea non dogmatum

falsitatem , non legum iniquitatem , non calliditatem politicam sanctimonia fucatam , non vitiorum impunitatem , sed nimiam indulgentiam in delictis persequendis attingere. Patet etiam , illa vulnera summa diligentia perquisita , libere ac sincere proposita fuisse a censoribus. Hinc Febronius concludere poterit , curiam romanam eo ipso tempore, quo de ejus emendatione maxime agebatur , atque reformatio petita fuit, non tot, tamque horrendis vitiis oppletam fuisse , quliater ipse eam ubivis depingit , neque Romæ meros assentatores et adulatores , sed etiam viros cordatos esse , qui veritatem audacter et sincere proponere non verentur. Accedit , emendationem postea non tam in paginis, sed in opere animadversam fuisse, quod ipse Ferdinandus Imp. fassus est, teste cardinali Contareno epist. ad card. Farnes. ann. 1541. Si mala edicere non erubescit Febronius , etiam bona reticere non deberet.

Dum autem *curiam romanam* a *sede romana* distinguit , nemo non videt , id eo fine fieri, ut eo licentius sub nomine *curiæ* in ipsam sedem , Pontifices nempe et cardinales obloqui possit. Quis episcoporum aut principum patienter feret, suam curiam despectam reddi , et cavillationibus atque odiis publice exponi , quin se ipsum simul hoc mucrone tactum sentiat ?

§ XI.

Systema falsarum decretalium etiamnum in Romana Ecclesia viget, quin multo durioribus, quam olim conditionibus practicatur.

Si jus publicum ecclesiasticum per varia media, maxime per falsa Isidori novissime detecta ingentem plagam sustinuit, minime mirandum, quod romana curia iisdem principiis continuo insistat, et eorum consequentias multiplicet. Quod maxime evinci potest ex cardinali de Luca, Benedicto XIV. et aliis primariis in curia doctoribus, consiliariis et judicibus. Card. de Luca in relat. curiæ Rom. forens. discurs. 4. ait : in ordine ad regimen Ecclesiæ universalis, juxta veriorem et in curia receptam opinionem, sub nomine officialium et adjutorum Papæ large seu mediate recenseri patriarchas, primates, archiepiscopos et episcopos etc., propter subordinationem ad primum pastorem, a quo, vel cum cujus auctoritate propositi sunt juxta proportionem, quæ cadit inter episcopum et parochum suæ diœcesis. Ex tali systemate Benedictus XIV. in op. de synod. diœces. has conclusiones deducit, Rom. Pontifex est universæ Ecclesiæ princeps, moderator et pastor. In tota Ecclesia est proprius sacerdos, habet auctoritatem reservandi casus, jus plenarie elargiendi indulgentias, potest ab omni jurisdictione episcopi subtrahere quamlibet Ec-

clesiam, in conciliis generalibus non tenetur sequi majorem partem, supremam habet auctoritatem relaxandi et commutandi legem ecclesiasticam, potest solus leges, ritus et consuetudines ubique receptas tollere, mutare, si dispensat, de ejus potestate dubitare, instar sacrilegii est, potest sibi reservare spolia clericorum. Sequuntur primarii curialistæ, ex quibus lector judicare potest de reliquis.

1. In Clementis Merlini decisionibus S. Rotæ Rom. tom. 1. de potestate Papæ nefas est dubitare : in re beneficiaria est dominus supremus et dispensator, et in hoc liberas habet habenas : recte potuit præjudicare quibuscunque collatoribus : est supra omne jus positivum : dogma est certissimum, a solis hæreticis impugnatum, regimen Ecclesiæ esse monarchicum, et Papam esse pastorem totius Ecclesiæ etiam simul congregatæ, et hinc tanquam dominus et administrator disponere potest super bonis omnium Ecclesiarum : congrue de eo dici, quod sit a Deo constitutus dominus domus suæ, et princeps omnis possessionis suæ : episcopi a Papa habent potestatem administrandi bona suarum ecclesiarum : est dominus bonorum Ecclesiæ : inferiores prælati habent administrationem ab ipso Papa, potest alienare libere ista bona, supplere omnes defectus, de quo dubitare, nefas est.

2. Ex Rubeo part. 8. decis. Rot. Papæ potestas in beneficialibus amplissima est, ut vulgo

dicitur, aptat quadrata rotundis, potest res Ecclesiæ, ut dominus vendere, in feudum vel emphiteusin dare, est Monarcha, Imperator, Rex, constito de ejus voluntate, nugatorium est de ejus potestate quærere, potest prævenire et concurrere cum quolibet orbis collatore circa beneficiorum collationem, et respectu ejus omnia beneficia sunt manualia et obedientialia, et sic ad nutum suæ voluntatis quemlibet possessorem suo beneficio privare.

3. Idem part. 9. Plenitudo potestatis Papæ longe difficilius extenditur ad canones conciliorum, quam ad alias constitutiones, et tamen major est concilio : ipsi tanquam Dei vices gerenti censentur ab initio donata fuisse omnia bona Ecclesiæ, pedibus ejus tanquam vicario Christi Cæsarea succumbit majestas, Reges submittunt coronas, ejus potestas æmula solis ubique se dilatat, relinquendo a tergo terminos Zodiaci, uti metas angustas, a Zepherinis partis Empirei usque ad profundos Abyssos averni gloriose se extendit.

4. Idem part. 12. fas non est dubitare de potestate Papæ, in bonis Ecclesiæ habet latissimam potestatem, nulla lege coarctatam, de ejus potestate dubitare sacrilegium est, non attentat, cum præsit jure quæsito positivo.

Part. 13. potest tollere jus civile, quod ei famulari debet, disponere de bonis Ecclesiæ tanquam absolutus dominus.

5. Cardin. de Luca theat. veritat. et justit. Papa est episcopus totius orbis; habet fiscum et territorium in toto mundo quoad personas et causas ecclesiasticas, ad eum spectat, diœceses et loca nullius constituere, cæteri antistites inferiores sunt ejus officiales, est dominus beneficiorum, potest in eis tertio præjudicare, prævenire ordinarios collocatores, et concurrere cum quolibet, beneficia perpetua respectu ejus sunt manualia, concordata non ligant ejus potestatem, concedere potest coadjutorias sine consensu coadjuti, capituli vel monasterii, perpetuis pensionibus potest ecclesias gravare, absque patronorum consensu, habet dominium in bona Ecclesiæ, potest derogare conciliis generalibus cum nota speciali, et Tridentino absque ea. Concernentibus Deum et animam ipse solus derogat, ad actus validitatem potest fingere factum fuisse, id quod erat faciendum.

6. Fagnanus in comment. ad decretales: Papa Dei vices gerens in terris cœleste habet arbitrium, est major apostolo, nec Petri et Pauli præceptis adstringitur: omnia potest extra jus, supra, contra jus: ejus interpretatio prævalet dictis Patrum: standum est ejus sententiæ, si contradicat Ecclesiæ vel concilio, etiam in materia dogmatum: prævalet sententiæ totius mundi: non subjicitur canonibus: in spiritualibus omnia potest: facit jus de eo, quod non est jus: potest immutare naturam rei, et de nihilo aliquid

facere : est universalis Ecclesiæ episcopus, ordinarius singulorum, judex omnium mortalium : solus habet plenitudinem potestatis et principatum in omnibus ecclesiis : explet minima per plebanos, media per episcopos, suprema per se ipsum : quæ sunt ordinis, potest committere etiam non episcopo in uno episcopatu duos episcopos constituere, concedere privilegium audiendi confessiones alterius diœcesani, etiam episcopo invito : in beneficialibus ejus voluntas est pro ratione, et potestas pro causa. Potest libere disponere de beneficiis patronatus laicorum, concedendo in Germania coadjutorias perpetuas in omnibus mensibus non dicitur concordatis contravenire, potest quem privare beneficio sine causa, et dispensare in jure positivo sine causa, est princeps principum, et dominus dominantium, contra infideles inobedientes potest bellum indicere, in concilio deponit Imperatorem etiam non approbante concilio. Ratione criminis potest absolvere vasallos laicorum ab omni obligatione, et alios principi obnoxios a quocunque pacto etiam jurato, propter injustitias et iniquitates potest judices sæculares dignitate privare, potest de bonis omnium ecclesiarum disponere pro libitu, eas collectare, rem uni Ecclesiæ auferre et dare alteri sine causa.

Hæ propositiones sunt *piarum* aurium offensivæ, prudentibus horrorem injiciunt, et argumentum ex absurdo conficiunt : hæc principia

quam maxime *practica* et decidendis causis quotidie inservientia nec umbram spei relinquunt reunionis protestantium et schismaticorum cum romana Ecclesia. Monstratur in opere Febroniano, has conclusiones non esse approbatas ab universa Ecclesia. Protestatur auctor, se hæc non proferre ad aversionem et alienationem ab Ecclesia injiciendam, sed ut Romani curialistæ tandem oculos aperiant, et suum systema monarchicum politico-sacrum dimittant.

8. Fatetur Alexander III. P. talia subinde a romana curia prodire, *quæ fraternum animum exasperare videntur.* Priora sunt talia : sequendum igitur consilium ejusdem Papæ moderatione plenum, *ut rationabilis causa prætendatur, quare talia adimpleri non possint.* In allegandis his causis toti quanti sumus. Superest, ut audiamur.

9. Thomas de Vio cardinalis Cajetanus docuit, *Ecclesiam servam natam esse, et principandi jure carere,* Dominum vero esse solum Papam. Launojus vocat hoc *inventum statua dignum, sed plumbea,* atque ad hunc consummatæ et deploratæ adulationis theologi ludum referenda esse mandata ab Adriano VI. suo in Germaniam legato Francisco Cheregato data, et consilium delectorum prælatorum sub Paulo III. Sed Cajetani doctrina non supponit tantum, sed egregie confirmatur per sententias modernorum Romanorum hoc § relatas. Deferenda est schola *curiæ*, et adeunda schola *sedis apostolicæ,* ubi traditur,

Ecclesiam esse omnium christianorum, uti et ipsius Rom. Pontificis matrem et dominam. Sic concilium Trident. sess. 13. can. 9. ait, omnes et singulos Christi fideles utriusque sexus teneri singulis annis saltem in Paschate communicare *juxta præceptum sanctæ matris Ecclesiæ*. Hoc jus præcipiendi non haberet Ecclesia, si serva nata esset.

NOTA.

Febronius nude crude istas propositiones affert sine glossis, additamentis, aut explicatione auctorum : præprimis ostendere debuisset, quo sensu, quos intra limites sententiæ illæ defendantur ab Italis commentaristis : probare debuisset, eas in sensu Italorum acceptas, absurdas, malas, falsas esse : denique non solum asserere, sed monstrare debuisset, easdem omnes in eo ipso sensu quoque in tribunali romano practicari. Equidem ego non singulis assentior, atque subscribo : quædam cum excessu dicuntur : attamen quæ cum primatu jurisdictionis et regimine monarchico *necessario* cohærent, neutiquam reprobamus, atque in rom. curia jure practicantur, quippe non falsis Isidori decretalibus, quod perperam clamitat Febronius, sed S. scripturis, traditioni, Patribus invicte innituntur. In his ergo non exaudietur : Roma non dimittet, nec dimittere potest, aut debet primatum jurisdictionis et monarchicum, non quidem in sensu Febronii arbitrarie, sed temperate, at-

que in bonum Ecclesiæ exercendum, quia in jure divino fundatur, et contra eum nec rationabilis, nec justa causa pærtendi potest.

Deberent igitur attendi, summa quæstionis, finis, argumenta, et modus, quibus se explicat auctor : his consideratis ille fastus verborum, quæ in nuda propositione apparet, sæpe multum deperdit. Exemplo sit prima propositio a cardinali de Luca prolata. *Patriarchæ, primates, archiepiscopi, episcopi sunt officiales et coadjutores Papæ.* Hæc primo intuitu satis abjecte sonant; verum adde moderationem et explicationes ipsius cardinalis, hos tantum *large* et *mediate*, dici *propter subordinationem ad primum pastorem, a quo vel cujus auctoritate præpositi sunt.* Certum est, officia patriarchæ, primatis, archiepiscopi, non jure divino, sed ecclesiastico esse constituta; illos non minus ac episcopos primatui universali jure divino subordinari. Quid igitur obstat, eos in hoc sensu largiori et improprio dici officiales et coadjutores primatis universalis et vicarii Christi in gubernanda Ecclesia? supponit quidem de Luca, eos a Papa suam auctoritatem recipere; verum hæc adhucdum scholæ sententia est, contrarium nullibi ab Ecclesia definitum fuit. Attamen unde demum suam auctoritatem recipiant, illa subordinatio et dependentia nihilominus jure divino subsistit, atque in hoc sensu largiori sententia de Luca vera est.

Distinguat dein Febronius potestatem Papæ ab

ejus usu et exercitio; multa siquidem potest, sed non omnia expediunt : item eas consecutiones, quæ necessario cum primatu universali jurisdictionis cohærent, ab iis, quæ contingenter tantum inde dimanant : admittat denique, quasdam *figuratas* et *ampullatas* horum canonistarum elocutiones esse, *quæ substantiam rei non mutant.* Et cur hæc non admittat de privatis scriptoribus, quod supra de SS. Patrum dictis tam præfracte defendit, cum tamen ab horum sensu et verbis absque necessitate recedere haud liceat, e contra, privatis auctoribus impune contradici possit. Hisce mediis multa in horum scriptis absurda evanescent, alios majori cum honore adversarius dimittet. Porro allatæ propositiones ut plurimum scholæ opiniones sunt, vel asserta privatorum auctorum. Num vero a scholæ opinionibus vel assertis leguleiorum, canonistarum etc. tam præfidenter ad praxin curiarum tam ecclesiasticarum, quam civilium argumentari licet? habet Germania, habent et aliæ nationes suos canonistas, publicistas, legum interpretes, et commentaristes. Mira videbis, si omnium privatas opiniones et dicta in unum colligas : non enim inter eos desunt quoque adulatores, qui talia principia fovent, quæ si curiis episcoporum, dicasteriis principum, ipsisque monarchis affingere velis, et idcirco mox ibidem practicari diceres, a crimine ambitus, despotismi vel tyrannidis vix excusabis, Papam cum episcopis, omni clero, ac

Ecclesiæ bonis, principibus subjicies, leges, canones, horumque interpretationes illi a potestate civili acceptare tenebuntur: Papa et episcopi in materia fidei etiam et disciplinæ sine consensu principis nihil amplius poterunt, fides, religio, Ecclesia in republica tantum precario subsistent, et tota Ecclesia serviliter famulabitur Imperio. Felix Germania, si non omnes privatorum opiniones, scripta, consilia, quibus hodiedum superabundat, in sacratissima curiarum penetralia trahantur, ibique quasi pro lege canonizentur! inter hæc Febronianos libros quam maxime numero.

Non igitur a privatorum scriptorum sententiis ad praxin totius insignis curiæ, vel integræ nationis argumentari debemus. Sunt autem opiniones illæ Fagnani, Rubei, Merlini, de Luca etc. non ipsæ decisiones Rotæ, sed tantummodo privatæ sententiæ et asserta leguleiorum istorum, qui in decisiones Rotæ commentantur. Quis interim nescit, quod in iis materiis, quæ in scholis controvertuntur, quisque sibi sententiam eligere possit, quæ ei verisimilior appareat? habet Imperator, Rex Galliæ, Hispania, respublica Venetiarum, Dux Hetruriæ in tribunali Rotæ suos auditores et judices: hi certe nunquam tales sententias nimium excessivas practicari permittent, minus ipsi practicabunt, cum et ipsi sint judices, et sententiam ferant.

Id fabulam esse dicit Febronius appendic. 2.

addit. ad § 2. nihil juvare aliqua vota transalpinorum, ubi Itali majora efficiunt: quid juvat Germaniam Gallus, ait, Hispanus etc., qui notitiam Germaniæ non habent? observantia, jura Germaniæ et constitutiones Imperii volunt, *quaslibet causas* in Germania ortas per judices Germanos esse judicandas. Egregie ad schisma conflandum! ergo peculiaris in Germania Papa sit, oportet, supremus in ecclesiasticis judex ad omnes lites, controversias etc. ibi terminandas. Nam quæro, utrum ab his Germanis judicibus ad successorem Petri adhuc pateat recursus, vel appellari possit, vel non? si primum: igitur causæ in Germania semper finiri non possunt. Si alterum: ergo Papa romanus Germaniæ nihil amplius proderit. Quippe Germani judices *quaslibet* causas fidei, morum, disciplinæ etc. per se ultimato et independenter a Papa judicabunt, nugatorium erit illud centrum unionis, et sine influxu, et si quid adhuc vicario Christi conceditur, totum erit, ut fors sit consiliarius Germaniæ. Febronius isto argumento etiam ea, quæ c. 2. Rom. Pontifici in totam Ecclesiam concedit, penitus evertit. Constitutiones Imperii volunt, *quaslibet* causas civiles in Germania ortas per Germanos judices terminandas esse, non vero ecclesiasticas, quia in his nihil disponere possunt, et secus causæ ecclesiasticæ Germanorum nec in concilio generali judicari possent, quia ubi non essent meri judices Germani, et fors ipsum concilium in Germania

non celebraretur. Quod judices Rotales attinet, supponitur, quemlibet exterum habere notitiam suæ nationis, ut possit in causa informare, quippe in hunc finem ad Rotam assumitur : quod autem Itali vel Romani majora vota efficiant, iniquum haud est, quia tribunal Pontificis, non nationum est.

Tandem si excessum solum et abusum horum principiorum accusat Febronius, eo ipso genuinum eorum usum et facultatem admittere debet, atque magna cum injuria ea sine exceptione ac limitatione *usurpationes*, *prætensiones* vocantur. Utique in his vitio hominum, prout in omnibus mundi curiis sæpe contigit, excessus et abusus fuisse, non nego : admitto etiam, Romæ, sicut alibi, adulatores fuisse, qui potestatem Papæ ultra justos limites extollunt. At ista principia a Febronio superius allata nec omnibus Italis communia sunt, nec ibi pro lege canonizata esse, aut constanter practicari monstratum fuit. Interim Febronius cum novatoribus, et quibusdam catholicis in Germania haud soli sunt, qui hosce abusus in scenam producunt, et audiri volunt : fuerunt jam ante hos in Italia cordati viri, qui contra illos vocem evehebant. Consilium delectorum prælatorum sub Paulo III. utique Febronius ipse sæpe adducit. Cardinalis Quirinus epist. decad. 5. duas cardinalis Contareni epistolas producit, quibus falsas jurisperitorum opiniones refellit, qui censebant, Pontifici licere, quod vult. Vides, et Italos et

cardinales, qui officiales Papæ sunt, nimium excessivas opiniones circa potestatem Papæ publice et scriptis refellere. Sunt et alii adhuc egregii in Italia viri atque scriptores, qui negant, Papam posse episcopos pro libitu deponere, esse supra jus positivum sic, ut possit sine causa dispensare, abrogare, esse dominum omnium beneficiorum ecclesiasticorum etc. Doctissimus Pontifex Benedictus XIV., quem supra Febronius inter defensores falsarum opinionum recensuit, anno 1747. in publica congregatione Signaturæ gratiæ declaravit : *sciant, intelligantque omnes, Pontifices summos esse duntaxat administratores et dispensatores ecclesiasticorum reddituum.*

Scio, adversarios continuo vociferari, emendationem aulæ romanæ sæpe ad speciem propositam fuisse, sed nunquam serio agitatam, atque in praxin deductam, neque abusus sublatos esse. Iterum dico, non ii omnes abusus sunt, quos tales esse autumant, qui Pontifici primatum jurisdictionis denegant. Emendationem vero aulæ romanæ non modo tentatam, sed etiam in opus deductam, et veros abusus sublatos esse, satis constat ex historia Pallavicini lib. 2. cap. 6. et l. 4. cap. 5. sub Paulo III. a quo tres cardinales in quolibet tribunali, apostolica camera nempe, S. Rota, cancellaria et pœnitentiaria designati sunt, qui sancitas emendationis leges in unoquoque tribunalium observandas curarent, et cum Ferdinandus Rex conquestus esset, agi-

tatam Romæ morum emendationem, sed nunquam præstitam, cardinalis Contarenus, insignis ille sacri Collegii Cato, nullius dissimulator nævi, atque unus ex delectis ad emendationem prælatis fidenter respondit, jam provisum esse, ut episcopi in sua diœcesi persisterent, præstantissimos viros in sacrum senatum adlectos, pariter correctam in reliquis aulam, ut si illius in præsentia mores cum præteritis conferantur, satis foret ad accusationem eluendam, cum ipsa emendatio non in paginis, sed in operibus discerneretur, atque tum fassum regem, ea omnia vera esse. Enumerat dein Pallavicinus accusationis capita, ad singula ostendens, qualiter emendata fuerint. Quid igitur semper antiquam hæreticorum crambem recoquere juvat? quod si rursus aulam in deterius mutatam, et novos abusus irrepsisse velis, ostende, quales hi sint, quo tempore, a quibus denuo introducti et stabiliti fuerint? certe Romæ omnia non sunt pessima, et D. Carracioli, qui ibi omnia perspecta habuit, atque de adulationis vitio suspectus esse non potest, novissime passim in suis libris de cardinalibus et aula romana talem nobis imaginem exhibet, quæ reverentiam potius, non insolentiam promeretur.

In subsidium vocat Febronius D. Barthel. append. 1. § 4. qui curialistas accusat romanos, quod venerandam historiæ et canonum antiquitatem non attendant, et facile sibi persuadeant,

singula, quæ Germanis volunt obtrudere, semper ita practicata fuisse, et ex præconceptis suis opinionibus et principiis constitutiones, bullas, rescripta forment.

At præterquam quod in iis, quæ variabilem aut variatam disciplinam et praxin externæ politiæ attinent, non semper vetus disciplina et historia attendi possint, nec debeant, D. Barthel. non insultando, non improperando, sed summa moderatione proponit, talia rescripta et bullas ea, qua par est, modestia, sanoque in sensu a natione Germanica deprecari licere. Quis vero hoc negabit? nemo asserit, summum Pontificem in his errare, aut ab aliis circumveniri non posse, nec dicimus, in curia rom. nullum unquam abusum obrepere, a qua labe nulla omnino curia immunis est; at discrimen facimus inter abusus *mere contingentes*, et abusus *stabilitos*, et quasi *pro lege receptos*, priores in tanta negotiorum et hominum sibi invicem sæpe dissentientium turba exterminare non possumus, nisi ubivis hominibus angeli substituantur: posteriores vero si qui sunt, tamen nec tot, nec tantos esse contendo, ut non vel patienter tolerari, vel modeste et reverenter apud ipsam sedem apostolicam, ut D. Barthel. ait, proponi possint, quin opus sit, nova et vetera, vera et ficta simul in unum conferre, in publicum edere, comminationes addere, et quasi ad extinguendam flammam, totum orbem excitare eo ipso tempore, quo

vera Religio ubivis per sarcasmos et satyras impune impetitur, per incredulos subruitur, et debita etiam vicario Christi auctoritas et reverentia undequaque vilescit. *Romana vitia non probo*, ait Isidorus Clarius apud card. Quirin. epist. decad. 5, *sed ea tamen ad curandum dico esse faciliora, quam iniquitatem eorum, qui ut hominibus detrahant, ipsa etiam divina inviolata esse non sinunt. — — — Qui reprehensores vos morum et correctores vitæ sacerdotibus esse profitebamini, debebatis sane ipsi sine reprehensione esse.*

Deferenda est schola curiæ, ait Febronius, *et adeunda schola sedis apostolicæ.* Quam adulanter et pie? attamen et in hanc, in ipsos nempe Pontifices, horum doctrinam, statuta et constitutiones non raro invehitur. Et quare modo adeunda? quia docet, *Ecclesiam esse matrem omnium christianorum*, adeoque ipsius Rom. Pontificis, et quia Ecclesia jus præcipiendi habet, atque præcipit, singulos Christi fideles in Paschate communicare. Profecto ridiculum hoc est. Quis negat Papam christianum esse, atque ut talem etiam præceptis christianis teneri.

FINIS TOMI PRIMI.

INDEX

RERUM TOMI PRIMI.

A.

Æneas Sylvius paupertatem Ecclesiæ noxiam asserit. pag. 454.

Amort disciplinæ mutatæ causas assignat. 444.

Augustinus S. a Febronio in perversum sensum torquetur. 109. 430. — censuit judicium rom. sedis ultimatum et infallibile. 431.

B.

Barthelius Febronio non patrocinatur. 129, 419, 485. —paupertatem Ecclesiæ noxiam esse probat. 453.

S. Basilius Febronio non suffragatur. 263.

Bellarminus a Febronio male in rem suam citatur. 303.

D. Bernardum modo extollit, modo deprimit Febronius. 435, 442.

Bonifacius I. P. Febronio adversatur. 229.

Bossuet declarationem cleri Gallicani non bonis affectibus adscribit. 164. — ejus defensionis auctoritatem non habet. 242.

C.

Canon. XXVIII. concilii Chalcedon. spurius. 216, 383.

Clerus Gallicanus primatum jurisdictionis novissime profitetur. 313.

Concilii Trident. Patres primatum et jurisdictionem

R. Pontificis luculenter agnoverunt. 119. et seqq. item 128.

Concilia Carthagin. et Milevit. Febronii systema confundunt. 260.

Concilii Ephesini sententia in Nestorium non fuit confirmatoria, sed executoria. 268, 271.

Concilium Delectorum a Paulo III. Prælatorum an genuinum sit? 470.

Controversia de jure regaliæ in Gallia. 157.

P. Coustant. inanis conjectura. 421.

Curia Romana emendata fuit. 484.

S. Cyprianus Febronio non favet. 102, 156, 262. quo sensu dicat unum episcopatum in solidum. pag. 329. etc.

D.

Declarationis IV. articulorum cleri Gallicani origo, causa, finis. 157. et seqq. — eandem episcopi in alio conventu retractarunt. 168. — non fuit declaratio totius Cleri et Ecclesiæ Gallicanæ. 166, 169. — a multis doctoribus in Gallia oppugnata fuit. 170. Item a celeberrimis auctoribus. 174, 293.

Decretales epistolæ Isidori in seipsis non omnino confictæ et falsæ sunt. 448.

Diœcesis suburbicaria quid per eam intelligatur? 386.

Disciplinæ mutatæ justæ causæ. 444.

Dispensationum abusus et frequentia cui adscribi debeant? 420.

E.

Ecclesiæ regimen monarchicum, quo sensu? 67. etc.

Ecclesia Græca recognoscit supremam auctoritatem et judicium in R. Pontifice. 152, 186.

Ecclesia Gallicana profitetur infallibilitatem Rom. Pontificis. pag. 160. etc.

Ecclesia Romana sua privilegia habet per Petrum a Christo. 432. — vocatur apostolica; non ut aliæ Ecclesiæ, sed per excellentiam. 398. — Mater. 400. — Magistra. 401.

Episcopatus universalis quid sit? 317 et seq.

Episcopatus origo, et auctoritas in Petro constituitur a SS. Patribus. 342.

Episcopi qualiter vocati sint in partem sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis. 384.

Excommunicationem proprie dictam in Orientales etc. feriebant RR. Pontifices. 265. — et in alios. 362. — a R. Pontifice lata ubivis in tota Ecclesia valuit. 367.

Excommunicatio latæ sententiæ non est novioris inventionis. 375.

F.

Febronius sensum litteralem textus Matth. XVI. penitus destruit. 14, 15. etc. — de S. Francisco Sales. abjecte sentit. 16. — primatum Petri destruit. 34. — falsi convincitur. 46, 47, 48, 193, 307, 383. — textus S. Scripturæ inepte allegat. 57, 58, 59 et alibi sæpius. — correctores romanos de mala fide per calumniam accusat. 61. etc. — ejus contradictiones. 81. etc. 204. etc. 215. etc. 412, 423, 424, 431. Democratiam in Ecclesiam invehit. 88, 200. sequitur damnatas Richerii, Quesnelli sententias. 89, 200. D. Augustino abutitur. 108, 431. Item D. Gregorio M. 231, 349. D. Hieronymo. 343, 430. — D. Cypriano. 330, 326. — Concilium Tridentinum male sugillat.

132. etc. — sentit cum hæreticis. 143. — a Richerismo male se purgat. 178, 195, 200. — primatum inepta imagine depingit. 224. — ejus fallacia. 299. — calumniæ atque invidiæ reus arguitur. 376. — concilium Lateran. IV. frivole sugillat. 401. — citat spuriam epistolam Sixti III. 408. — Innocentium I. falso carpit. 415. — Barthelium haud fideliter allegat. 419.

Fleurius primatum jurisdictionis profitetur. 312.

S. Franciscus Sales. textum Matth. XVI. egregie vindicat. 15.

G.

Galli profitentur in Ecclesia regimen monarchicum. 73. — antiquiores et celeberrimi R. Pontifici infallibilitatem adstruunt. pag. 160.

Græci recognoscunt supremum et irrefragabile judicium R. Pontificis. 152, 264. etc.

Gravamina nationis Germanicæ juri patriarchali adversantur. 386.

Gregorius M. jurisdictionem vere talem in universa Ecclesia exercuit. 273. — eam a potestate sæculari præpediri queritur. 322.

H.

Hincmari Rhemensis violentia. 447.

Hieronymum Febronius falso interpretatur. 430.

I.

Innocentius I. Potestatem R. Pontificis clare ostendit. 260. — primus non est, qui causas majores sibi reservavit. 415.

Josephi patriarchæ Constantinop. professio fidei ante mortem. 152.

Ivo Carnot. pastores Ecclesiæ pauperes esse non vult. 454.

Jus devolutionis respective ad primatum Pontificis proprie non datur. 350.

L.

Launoius decretales Isidori non in seipsis confictas dicit. 440.

Legatorum apostolicorum missio non a falsis decretalibus ortum habet. 279. — eorum necessitas et frequentia. 279. — auctoritas. 280. — abusus. 281, 284. — Legati et Nuntii in Gallia, Belgio, Sicilia minorem potestatem exercent ex privilegio apostolico. 286.

S. Leonem M. perverse interpretatur Febronius. 249. — non impetravit ab Imperatore decretum Ecclesiæ Gallicanæ derogans. 399.

Lokius Joannes æquior Febronio est. 142.

Lotharingi card. ad Britonem epistola vel fictitia est, vel auxesi laborat. 123.

Lud. Thomassini testimonium de imminutione potestatis metropolitarum. 447.

Lupi Christiani effatum de præsumptione et crudelitate metropolitarum. 447.

M.

Maimburgus Ludov. primatum jurisdictionis profitetur. 311.

Massuetius male in rem suam a Febronio citatur. 228.

Marca (de, Petrus) primatum jurisdictionis asserit, et quæ alibi liberius scripsit, retractavit. 310. — decretales Isidori non in se falsas esse affirmat. 440.

N.

Natalis Alexander primatum jurisdictionis profitetur. 312.

Decretales Isidori non in se falsas et infictas fatetur. 440.

Nechitis Græci testimonium conveniens non est 151.

O.

Odericum Vitalem Febronius contra seipsum allegat. 255.

Osius Cordubensis legatus Sylvestri P. fuit. 327.

P.

SS. Patres dialecticam theologiæ modo utilem esse volunt, modo excludunt, et quare? 6, 7.

Patriarcharum potestas. 385, 390. etc.

Perronius card. quem primatum asseruerit? 305.

Petri auctoritas et potestas in concilio Hierosolymitano mire elucescit. 104.

Prærogativæ soli Petro propriæ, et omnibus apostolis communes. 30. etc.

Pontificis R. potestas et jurisdictio in concilio Trident. in dubium vocata non fuit. 119, 128, 133. etc. Ejus infallibilitas continetur in notione primatus et officii pastoralis. 148. — potestatem leges condendi in R. Pontifice agnovêre veteres Patres. 241. — est caput Ecclesiæ. 403. — vicarius Christi. 408.

Pontifices RR. veteres excommunicabant excommunicatione proprie tali cum jurisdictione. 362. — confirmarunt, et consecrarunt episcopos in occidente. 387. — leges et decreta sanxerunt. 418. — in coro-

natione Imperatorum quale jus habuerint? 457. etc. Item in depositione regum quid ad eos pertinuit? 467.

Primatus a sede Romana avelli non potest. 218.

Primatus jurisdictionis R. Pontificis definitur in concilio Lateran. IV. Florentino, Lateran. V. 309. — defenditur a Gersone, Petro de Marca, Ludov. Maimburgo, Claudio Fleurio, Natali Alexandro, Clero Gallicano, et novissime a D. Riegger. 310.

Puffendorf Samuel negat, Ecclesiam statum esse. 306.

R.

Richerius Edmundus quis fuerit? 89. — ejus liber de eccles. et polit. potest. damnatus. 89. — Palinodiam cecinit. 91. — hæc genuina est. 92.

Relationes ad sedem romanam quæ pertineant et quo jure? 414.

S.

Siricius P. novas leges condendi potestatem sibi aperte asseruit. 240.

Sorbona declarationi et IV. articulis cleri Gallicani restitit, et in iis acceptandis vim passa fuit. 166.

T.

Titulus universalis episcopi quo sensu conveniat R. Pontifici? 295. — quo sensu eidem in Tridentino restiterint Galli? 323. — quo sensu de aliis episcopis dicatur? 324.

Theologiam scholasticam Lutherus ignominiose traducit. 2. — eidem quare infensi fuerint novatores? 5. — SS. Patres eam modo laudant, modo rejiciunt, et quare? 6, 7.

V.

Vicarii apostolici in provinciis quare aboliti? 287.

Z.

Zosimus P. judicium sedis apostolicæ irretractabile esse ait. 268.

FINIS INDICIS RERUM.

213.2
Z 12
20190
ZACCARIA, F.A., S.J.
AUTHOR
Anti-Fabronius Vol. 1
TITLE
DATE LOANED | BORROWER'S NAME | ROOM NUMBER
STORAGE - CBEL
20190